SUMMA
PHILOSOPHICA

Volumen I

LOGIGA ET ONTOLOGIA

Nemini sine Auctoris facultate præsens opus edere liceat.



Tous droits de traduction, de reproduction et d'adaptation réservés pour tous pays.

SUMMA
PHILOSOPHICA

IN USUM SCHOLARUM

AUCTORE

F. THOMA MARIA ZIGLIARA

ORDINIS PRÆDICATORUM

S. R. E. CARDINALI

EDITIO QUINTADECIMA

Revisa et adnotationibus aucta

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

VOLUME I

LOGICA ET ONTOLOGIA

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

PARIS

Gabriel BEAUCHESNE et Cie, Éditeurs

ANCIENNE LIBRAIRIE DELHOMME ET BRIGUET

117, Rue de Rennes, 117

1912

Novam *Summae Philosophicae*, Em. Cardinalis Thomae Zigliara, editionem notis auctam approbamus.

Romæ e Collegio Angelico, die 19 Maii 1911.

Fr. Eduardus Hugon, O. P.
S. Theol. Mag.

Fr. Franciscus Alessandrodi, O. P.
S. Theol. Mag.

IMPRIMATUR :
Fr. Albertus Lepidi, O. P.
S. P. Ap. Mag.

MARIÆ

MATRI DEI

EMINENTISSIMUS ZIGLIARA CARDINALIS

Thomas Maria Zigliara natus est Bonifacii in Insula Corsica honesto genere die xxix. Octobris anno Domini m dccc xxxiii lustralique nomine Franciscus appellatus. Religiosæ indolis ac promptioris ingenii puerum primis erudiere doctrinis Fratres Scholarum christianarum, beati Ionnis Baptistæ de La Salle alumni meritissimi.

Inceptam ab ipsis institutionem amantissime prosequutus est R. P. Aloysius Piras, Societatis Iesu Presbyter, qui tunc Bonifacii degens Francisci ingenium brevi compererat. Præceptorem optimum patris alterius loco Zigliara semper coluit ac dilexit, factusque Cardinalis Romam accivit in sua tecta excipiendum. Imo pietatem qua erat erga magistrum in totam Societatem Iesu voluit redundare, eam laudibus efferre solitus et Christianæ religioni utilissimam prædicare.

Cum tamen, otio non suppetente, perfecta litterarum cultura discipulum expolire non potuisset Aloysius, ea quæ edoctus haud fuerat sua unius industria didicit adolescens, latinique præsertim et italici eloquii scientiam opera sibi comparavit assidua (1).

Sed iam ad sanctiora Franciscus noster *Christi pia tractus dulcedine* ferebatur. Quare, sollicitanti Domino obsequuturus, sæculo nuntium remittere constituit, Romamque ocius concedere, ubi Prædicatorum susciperet institutum. Res ei pro voto cessit. In hanc enim almam Urbem Bonifacio proficisci parabat R. P. Imbrenda, Ordinis Fratrum de Pœnitentia concionator, a quo in socium itineris accipi noster obtinuit candidatus. Romam appulsus ad Minervitanos Prædicatores properans, ut in Fratrum numerum cooptaretur valde postulavit. Precibus annuere seniores, iuvenem satis excultum litteris iudicantes, iisque ornatum moribus quos solent in Ordine nostro requirere. Anni m dccc li mensis maius agebatur.

1. Linguæ græcæ præcepta a doctissimo viro Patre Reginaldo Barbiani percepit.

Paulo post Anagniam missus, sacras Prædicatorum vestes induit octobris die XII. inter Cœnobii Tiburtini « filios » allectus, nec iam Franciscus in posterum, sed Frater Thomas-Maria nuncupandus.

Exacto cum religionis, constantiæ, vitæque integerrimæ laude unius anni tirocinio, votisque solemnibus emissis, Anagnia Romam venit, philosophiæ, mathematicarum, astronomiæ, aliarumque id genus scientiarum rudimentis imbuendus. Collegio S. P. Dominici Perusino subinde adscriptus, Theologiæ operam dedit. Præerat eo tempore Perusinæ Diœcesi Ioachim Episcopus Cardinalis Pecci, qui postea Ecclesiam gloriose rexit Pontifex Maximus. Hic Thomam nostrum Presbyterum consecravit die maii XVII anno M DCCC LVI.

In Romanum S. Thomæ Collegium translatus, magistrumque nactus Patrem Paulum Carbò, Hispanum, virum utique meritissimum, Lectoris titulo, cunctis plaudentibus, est insignitus.

Sacras paulo post docturus scientias, in Insulam Corsicam transfretavit, iubente Alexandro Vincentio Jandel, Ordinis Magistro, qui Thomam-Mariam ceu virum rectissime sentientem, pium, litterarum studiosum et doctum commendare consueverat.

In suam redux Provinciam, Viterbii a Seminarii curatoribus urbisque consulibus delectus est qui clericis philosophiæ traderet disciplinas. Uno etiam tempore in Gradensi Prædicatorum Cœnobio Theologiæ auditoribus ac novitiis magister datus, concionatoris insuper munere functus est, animarumque fuit moderator egregius.

Difficillima tempora Viterbii Thomas noster exegit, imo et in maximo vitæ discrimine versatus animæ suæ nequaquam parcere voluit : Gallicis siquidem militibus Pontificis iura tuentibus pius adfuit consolator, propriique periculi immemor contagiosa lue infectos hortatione iuvit et expiatione. Tandem capto a perduellibus Viterbio, Fratribusque nostris fugere coactis, solus ipse cum uno socio remansit, nec minis est superatus; sed collecta hinc inde pecunia, seditiosorum duces convenit impavidus, minoreque tributo Cœnobium ab excidio liberavit.

Romam a Maioribus revocatus, Viterbio discessit, ubi magnum apud clerum et populum reliquit sui desiderium, Fratribusque recens professis in Conventu S. Mariæ supra Minervam præfectus, omnes boni pastoris partes cumulate implevit; austeritatem morum suavitate temperans, novitiosque,

iuxta B. Humberti præceptum, nocte dieque confortans, eos maxime quos ægrotare aut indigere comperisset. Regularem observantiam divinique cultus religionem libenter et aperte, absque iactantia tamen, asseruit et inter Fratres promovere contendit.

Scholarum consueta emensus curricula, Magistri lauream est adeptus ac tandem Minervitani Collegii Regens salutatus.

Docendi munus strenue exercuit, Divi Thomæ doctrinam uti divinæ revelationi christianæque fidei propinquiorem cum amore interpretans et a contradicentium impetu prohibens. Angelici tamen Præceptoris sententiam propugnans nunquam hominum excidit reverentia, nunquam dilectione. Unde quidam erga scholam nostram haud ita bene affecti dicere solebant se cum Zigliara libentiores agere, quippe qui vir esset omnia recte intelligens, de propria laude altum silens et nihil aliud in sæculo perquirens quam æternam Dei veritatem.

Magistri cathedram serio præmeditatus ascendere consueverat, neutiquam probans ex tempore prælectiones haberi (1). Est enim necessarium ut qui docet ea quæ traditurus est memoria repetat, ordine digerat, modumque inveniat dicendorum. Secus, aut obscurus erit aut prolixus, a sententia peregrinans divagabitur, vix sciet ad omnia quæsita respondere, tædioque proculdubio afficiet audientes.

Anno MDCCCLXXIII sæva in Regulares oborta procella magistros et discipulos Minervitana domo compulit emigrare. Ordinis et scholarum iacturis volens Zigliara succurrere, Admodum RR. PP. « a Spiritu Sancto » dictos adiit, qui Gallicum ad Sanctæ Claræ Seminarium regunt, exulibus asylum petens quo confugere liceret. Exauditæ preces a viris piissimis, locusque Fratribus nostris oblatus, ubi et Deo servire possent et consuetis scholarum actibus operam dare. Sic D. Thomæ Collegium servatum fuit, et, regente Zigliara, splendore fulsit antiquo. Inclytum doctorem non Fratres modo aliive Clerici, sed et Præsules audire gestierunt, sapientiam, scientiam, dicendi luciditatem et gravitatem, facundiam, comitatem in homine ore uno collaudantes. Ipsum interea conveniebant theologi, philosophi, viri etiam rei politicæ civilisve regendæ periti, qui eius de dubiis exquirerent sententiam. Electus aliquando in Priorem S. Mariæ supra Minervan, Provincialem rogavit ne munus subire cogeretur. Oblatas sibi Nicienses infulas pariter recusavit.

1. Quæ discipulos doceret prius scripsisse solebat.

Hæc præstantiæ fama vigilantissimum Leonem Pontificem non latuit, qui Thomam-Mariam, nil tale cogitantem inter Purpuratos Ecclesiæ Romanæ Patres anno M DCCC LXXIX retulit, diaconali SS. Cosmæ et Damiani præficiens Ecclesiæ (1).

Obtenta dignitate non elatus, eadem modestia se habuit ac si unus esset ex minoribus : regularis vitæ institutum vix immutans, Ordinis amictu domi utens, omnes, Fratres suos in primis, benigno hilarique vultu excipiens, familiam non aspere, non imperiose, sed amanter potius humaneque tractans et alloquens.

Divinam rem omni die summa religione conficiebat; sacra infulatorum solemnia graviter accurateque rogatus obibat, cunctisque Ecclesiæ functionibus intererat libentissimus.

Qui prius elucidandæ veritati insudaverat, nec operæ pepercit purpura ornatus. Imo, dum sæpius labore confectus ab amicis quiescere iuberetur viribusque favere, Cardinalem se ad opera non ad otia creatum respondebat. Actuosæ semper et impigræ vitæ fuisse testantur egregia quæ reliquit ingenii monumenta (2). Libros ab eo publici iuris factos omnes habent præ manibus, nec est qui ignoret Operum S. Thomæ editionem quam Orbi christiano Leo XIII obtulit munificus, fuisse a Zigliara præparatam summoque studio inchoatam.

---

(1) Ad Presbyteralem S. Praxedis Titulum postea translatus est ac demum ad Tusculanam Sedem promotus.

(2) Hos libros typis mandaverat Eminentissimus Cardinalis Zigliara.

— *Saggio sui principii del Tradizionalismo*, Viterb. 1865, Sperandio Pompei, in-8. pp. 290.

— *Osservazioni sopra alcune interpretazioni della dottrina ideologica di S. Tommaso d'Aquino, del prof. G. C. Ubaghs*, Viterb. 1870, Sperandio Pompei, ed. alter. in-8. pp. 88.

— *Summa Philosophica in usum scholarum*, Parisiis et Lugduni, Delhomme et Briguet 1891. 3 vol. in-8. Ed. decima oct. ab Auct. denuo revisa et emendata I. vol. pp.. 444., II. vol. pp. 579., III. vol. pp. 390 (Adornatur ed. 19ª).

— *Propædeutica ad sacram Thologiam in usum scholarum*, Rom., 1890. Typ. S. C. de Propag. Fid. in-8. pp. 500 (ed. tert.)

— *De mente Concilii Viennensis in definiendo dogmate unionis animæ cum corpore*, Rom. Typ. S. C. de Propag. Fid. 1878. in-8. pp. 256.

— *Il* « Dimittatur » *e la spiegazione datane dalla S. Congregazione dell' Indice*, Rom. 1881, in-8. pp. 54.

— *Commentaria S. Thomæ in Aristotelis libros Perihermenias et Posteriorum Analyticorum cum synopsibus et annotationibus*

Vere nihil ipsi prius fuit satius, quam Domini sui gloriam verbo scriptoque promovere.

Sciens porro *mirabilem Deum in sanctis suis*, sedulo curavit ut sanctorum gesta cunctis innotescerent. Sic nihil intentatum reliquit ut venerabilibus Ioanni Baptistæ de La Salle et Modestino a Iesu-Maria beatorum honores accederent. Sic venerabilium Christi Martyrum Petri-Martyris Sanz et Sociorum causam in finem usque tueri voluit, eorum constantiam in consessu Patrum sacris ritibus præpositorum ultra horam toto pectore prædicans. Mirati sunt audientes, laudibusque certatim extulere perorantem, haud præsentientes tam brevi spatio dicentis vocem exstinctam iri (1) : Eminentissimum quippe Cardinalem non minus quam fuerat Ecclesiæ utilem fore et ætas, et facultas et studium portendebant. Sed iam appropinquabat dies in qua diceret : *Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.* Morbo non uno prostratus pristini laboris nonnihil relaxare debuit invitus.

Rom. 1882. Typ. S. C. de Propag. Fid. prim. tom. fol. nov. ed. Oper. D. Thomæ pp. CCC XLVI. et 2138.

— *Della luce intelletuale e dell' Ontologismo*, Rom. 1871 Chiapperini I. tom. 448. pp. II. tom. pp. 448.

— *Discorso detto il 27 ottobre 1872 nella Basilica della Madonna santissima della Quercia presso Viterbo dal P. Tommaso Maria Zigliara dé Predicatori in occasione del devoto pellegrinaggio degli abitanti del Viterbese a quel santuario per gli attuali bisogni della chiesa e della società.* Viterb. Sperandio Pompei 1872.

— *Orazione panegirica di S. Bonaventura recitata nel primo giorno del solenne triduo nel tempio di Aracoeli di Roma.* Rom. Monaldi. 1874 *Panegirico di S. Tommaso d'Aquino.* Ros. Mem. Dom. 1898 *Le dottrine di S. Tomm. d'Aquino e i nostri tempi.* R. M. D. 1895.

— *La Contessa Laura Savelli nata Roccaserra. Memoria.* Rom. Chiapperini 1874.

— Quæ autem sequuntur imperfecta reliquit :

— *De Sacramentis* (Quæ ad Baptismum et Confirmationem spectant iam absolverat).

— *Tractatus asceticus de Virgine beatissima.*

— *Utrum Episcopatus sit Ordo.*

— *Beata Virgo Maria via est ad Christum* (opusculum scilicet quod Fratribus Minervitanis noctu dictabat ægrotans).

Præter studia quæ sacris impendit litteris, plurimum Cardinalis noster in Romanis Congregationibus adlaboravit consultissimus.

(1) Aliarum causarum Relator fuit seu Ponens, quas inter possunt recenseri causa VV. Iohannis-Iacobi Olier, Bernardini a Calenzana, Michaëlis Le Nobletz, Michaëlis Garicoïts, Petri Bardesii, Annæ-Mariæ de Angelis Monteacuto et Ioannæ de Lanoue.

A Summo Pontifice cælum romano mitius petere iussus, nolens tamen Fratrum societate carere, ad Cœnobium S. P. Dominici Fesulanum se contulit, ubi Ordinis nostri tirones aluntur. Etsi gravior premebat infirmitas, omnes ad observantiæ regularis, vitæ communis et divini cultus amorem sacrarumque studia litterarum incitabat; pro virili parte ea omnia præstans quæ cœteri Fratres; de Ordine nostro peramanter, de Maioribus reverenter pieque locutus. Indeficiens eius oratio. Florentiam interdum a Fesulano Conventu non longe disiunctam veniens, sancti Antonini limen summa veneratione visitabat, antiphonam illam frequentans et a suis optans frequentari, quam in festo beati Confessoris dicimus : *In humilitate magnus, in paupertate dives, in corpore angelus, o beate Antonine, ora pro nobis quæsumus.*

Morbo tandem in dies ingravescente, Romam rediit, et lectulum paulo mox petere coactus est. Statimque intelligens *velocem* fore *tabernaculi sui depositionem*, omnia composuit et ordinavit vir religiosissimus, ut Domino venienti expeditus occurreret.

De recuperanda incolumitate non curans, cum audiret fusis precibus a Deo expeti ut convalesceret, solitus erat respondere : « Sapientior nobis est divina Providentia. Deum potius exorate ut mihi sit propitius, sibique placita dignetur adimplere ». Interrogatus multumne doleret : « Minus est, inquit, quod patimur, maius est quod meremur. Dominus non magnis tentat me doloribus quem novit impatientem ». Qui tamen infirmum iuvabant medici, probe sciebant ægritudinem esse molestissimam.

Gratiarum actione morborum excepit diuturnitatem : « Magnum est, aiebat, Domini beneficium; sic enim profectionem parare vacat, sic de multis rectius nunc sentio quæ per agendorum curas considerare prius non licuit. »

Eluxit in primis eius devotio. Quotidie Missam audivit sacraque refectus est Eucharistia. E regione positum Virginis beatæ simulacrum sæpius aspiciebat, oculo salutabat, manu ostendebat, volens pro eo iuge lumen ardere. Die scriptori suo, nocte vero Fratribus Minervitanis devotas et reconditas de Matre Dei dictabat sententias, seu quas dicunt « elevationes ». Coronam deprecatoriam manu gestare solebat iussitque super pectus suum in sepulcro collocari. Preces ipse delegerat quæ morituro legerentur, et antiphonam *Salve Regina* in transitu suo cantari iam pridem efflagitaverat.

Multos dies morti proximus visus est, sed Omnipotens famuli sui hominem qui foris erat lente corrumpi voluit, ut qui intus renovaretur de die in diem.

Sub initiis Maii extremam horam instare iam nemini dubium fuit. Gavisus est Cardinalis Eminentissimus mortis nuncium eo sibi mense afferri, quem beatæ Virgini dicatum, cælestibusque beneficiis insignitum recolebat. « Mense maio, inquit, patria relicta Romam veniens Ordinis obtinui consortium (1). mense maio Presbyter fui consecratus et in sacrum Collegium cooptatus; mense maio in Creatoris manus spiritum meum commendabo ». Obiit autem die 10 maii 1893.

Illud fuit morienti iucundissimum : inter ea quæ in vita sua docuerat aut dictaverat nihil irrepsisse quod a Pontificis Romani sententia vel minimum aberraret.

Demortuum flevit Pontifex Maximus et ceu virum de Ecclesia optime meritum, sanctæque Sedi Apostolicæ addictissimum effuse celebravit.

Funus in agro Verano die XII locatum est. Ibi, uti optaverat, communi Fratrum sepulcro illatus est humilique, conditus loculo, qui dum viveret, magnus fuit Fratrum amator, minusque est purpura romana quam S. P. Dominici paupertate gloriatus.

(1) Die V. Maii anni MDCCCLI Bonifacio profectus fuerat; die VI Maii anni labentis Sacra Eucharistia ultimo refici valuit.

PRAEFATIO

PRIMAE EDITIONI PRAEMISSA

ROMAE, 1876.

Post vulgatas Institutiones philosophicas Cajetani Sanseverino, Matthæi Liberatore, Zephirini Gonzalez, quæ manibus omnium teruntur, inuti'e aut saltem inopportunum mihi videbatur librorum molem hac *Summa Philosophica* augere. Sed aliorum prævaluit opinio et pene impulit ut opus, quod jamdiu in scrinio reposueram, publici juris facerem. En ratio hujus Operis. — In quo sic insisto vestigiis S. Thomæ, ut tamen non auctoritati affirmanti, sed exploratæ rationi cedam. Quamvis autem Angelici Doctoris doctrinis sim addictissimus, non propterea aut nihi'i aut parvi facio recentiores magistros : veritatem enim, a quocumque dicatur, liberter amplector, sicut quæ mihi arronea videntur, aperte et sine personarum acceptione refello.

— Quia vero in usum Scholarum scribo, brevitati sine perspicuitatis jactura pro meis viribus consu'o; unde quæstiones inutiles sedulo devito, formam scholasticam adhibeo, et quæ mihi visa sunt minus necessaria, perutilia tamen adolescentibus et silentio non premenda, in *Notis* refero. Hinc *Summa* hæc *Philosophica* ita triennio accommodatur ut etiam biennio commodo tradi possit. (1)

(1) *Opus majus* Emi viri decima quinta vice impressuri, notulis quisbusdam adornare placuit quas Auctor ipse certo apposuisset, si adhuc loquentem datum foret audire. Præsens *Manuale* sic innovatum ut hodiernis philosophiæ conditionibus melius responderet juvenes manu versent diurna, versent nocturna, ut scientiæ et fidei pugiles inveniantur et honorentur.

Romæ, X julii 1911.

APPROBATIONES

(Præmissæ primæ editioni. — Romæ ex typographia S. C. de Propaganda Fide, 1876.)

Jussu Reverendissimi P. M. Fr. Josephi Mariae Sanvito Vicarii Generalis totius Ordinis Prædicatorum, legimus qua majori potuimus sedulitate Opus inscriptum Summa Philosophica in usum Scholarum auctore P. F. Thoma Maria Zigliara Ordinis Praedicatorum, illudque summopere probamus non tantum quod nihil fidei ac bonis moribus adversum contineat, sed et eo potissimum nomine quod Auctor Sancti Thomæ Aquinatis doctrinis innixus, cujus mentem plane est assecutus, quæstiones omnes etiam recentissimas, ut in votis erat, ordine, perspicuitate atque argumentorum vi exponit ac decernit. Quapropter præfatum opus edendum esse censemus.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ supra Minervam die Festo Translationis S. Thomæ Aquinatis, 28 Januarii 1876.

Fr. RAYMUNDUS BIANCHI
S. T. Magister et Procurator Generalis Ord. Præd.

Fr. PAULUS CARBO
Magister et Theologus Casanatensis Ord. Præd.

NOS, Fr. Josephus M. Sanvito Sacr. Theol. Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis V. Generalis et Servus,

Facultatem concedimus A. R. P. F. Thomæ M. Zigliara Ord. Nostri, S. Theol. Magistro, et Collegii D. Thomæ de Urbe Regenti, typis evulgandi opus, cui titulus Summa Philosophica in usum Scholarum, etc., jam revisum et approbatum a duobus Ord. Nostri Theologis. — In quorum fidem, etc.

Datum Romæ in Conventu Nostro S. Mariæ supra Minervam. Die VII Martii, sacra Doctori Angelico S. Thomæ Aquinati.

Fr. JOSEPHUS M. SANVITO
V. Generalis Ordinis.

Loc. † *Sig.*

Fr. HYACINTHUS MARCHI
Magister Provincialis Daciæ et Socius Registr. pag. 252.

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti Ord. Præd. S. P. Ap. Mag.

EJUSDEM AUCTORIS

Saggio sui principi del tradizionalismo. — Vol. 1, in-8°.

Osservazioni supra alcune interpretazioni della doctrina ideologica di S. Tommaso di Aquino del prof. G. C. Ubaghs. — Opusc. in-8°.

Della luce intellettuale e dell'Ontologisme.—Vos. 2, in-8°.

De mente Concilii Viennensis in definiendo dogmate unionis animæ humanæ cum corpore, etc. — Vol. 1, in-8°.

Il Dimittatur e la spiegaizone datane dalla S. Congregazione dell'Indice. — Opusc. in-8°.

Commentaria S. Thomæ in Aristotelis libros Perihermeneias et Posteriorum Analyticorum, cum synopsibus et annotationibus. — In fol. — Vol. 1 novæ edit. Opp. S. Thomæ. Romæ, 1882.

Propædeutica ad sacram Theologiam, in usum Scholarum, seu Tractatus de ordine supernaturali. — Vol. 1, in-8°.

DE PHILOSOPHIA

IN GENERE (1)

I. Philosophi et philosophiæ vocabula. Omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur; « idque eorum nomen usque ad Pythagoræ manavit ætatem : quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Philiunthem ferunt venisse, eumque cum Leonte, Principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quædam. Cujus ingenium et eloquentiam quum admiratus esset Leon, quæsivisse ex eo, qua maxime arte confideret. At illum, artem quidem se scire nullam, sed esse *philosophum.* » Hæc Tullius, Libro V. *Tusculan.* Quæst. cap. 6. (Lutetiæ 1554). *Philosophi* igitur et *philosophiæ* vocabula invecta sunt a Pythagora; at res antiquissima. Philosophus enim (φιλόσοφος a φιλοσοφέω) secundum significationem etymologicam, est *cultor*, seu *amator sapientiæ;* et Philosophia (φιλοσοφία) est *cultus*, seu *amor sapientiæ :* revera tamen *philosophus* idem sonat ac sapiens; et *philosophia* idem ac *sapientia.*

II. Philosophiæ notio. *Philosophia* seu *sapientia* definitur ab ipso Tullio ibid. cap. V : *Divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque, tum cujusque rei cognitio.* Et lib. II. *de Officiis*, Cap. VII. *Rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia.* In qua tulliana definitione supervacua Senecæ videtur illa adjectio, *causarumque quibus hæ res continentur*, quia, ut ipse ait, Ep. LXXXIX. (Opp. Tom. II, page, 314, seq. — Patavii, 1713), *causæ divinorum humanorumque partes divinorum sunt.* Sed contra : nam esto causas divinorum partes divinorum esse, nihilominus *rationes* cur ita

(1) Cf. Lepidi. *Elementa philosophiæ christianæ. vol. I. Introductio.*
De Wulf. *Introduction à la philosophie neo-scolastique.* Louvain, 1904.
Mercier. *Cours de philosophie.* Notions propedeutiques.

sint in se habent, quas expendere et per eas explicare ipsa divina, sapientiæ munus est. Vulgo autem philosophia definitur : *Scientia* (hoc est cognitio certa et evidens) *rerum, per earum ultimas rationes* (seu causas) *naturali rationis lumine comparata.* — Dicitur scientia per *ultimas*, seu *altissimas rationes*, quia revera sapientia investigat ultimum *quia*, per quod res, uti sunt, explicentur; additur *naturali rationis lumine comparata* quia *objective* ex principiis per se naturaliter notis, et *subjective* ex naturali lumine rationis procedit philosophus; contra sacra theologica sapientia tota nititur veritatibus supernaturaliter revelatis, ut principiis propiis *objectivis*, et supernaturali fidei lumini, ut principio assentiendi *subjectivo*. Qua de re videsis quæ scripsimus in nostra *Propædeutica ad sacram theologiam*, Lib. I., Cap. I. IX et XIII.

III. Philosophiæ divisio. Philosophari est ordinem imponere rebus, ut scilicet una alteram nobis explicet, lumen eidem afferendo. Res autem quæ ordinari a mente nostra possunt, trifariam dividuntur. Aliæ namque sunt quæ ordinantur a mente et efficiuntur a mente, ut sunt *entia rationis :* aliæ ordinantur a mente sed non efficiuntur a mente; et hæ in duplici sunt classe. Etenim quædam sunt objecta simplicis cognitionis, ut *Deus*, *homo*, *mundus;* aliæ vero non solum cognoscuntur, ut cognoscantur; sed ut ad ipsas et juxta ipsas ordinentur actiones nostræ voluntatis. De primis objectis occupatur *Logica;* de secundis *Metaphysica;* de ultimis *Moralis.* Hinc divisio philosophiæ in *Logicam*, *Metaphysicam*, seu *Naturalem*, et *Moralem.* Quam divisionem primus Plato invexit, amplexus est Aristoteles, et postea communiter Philosophi. « Quantum intelligi datur, hinc philosophi sapientiæ disciplinam tripartitam esse voluerunt; immo tripartitam esse animadvertere potuerunt (neque enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt) : cujus una pars appellaretur *physica*, altera *logica*, tertia *ethica.* Quarum nomina latina jam multorum litteris frequentata sunt, ut *naturalis*, *rationalis*, *moralisque* vocarentur : quas etiam in octavo libro breviter perstrinximus. » Hæc S. Augustinus, *De civitate Dei*, lib. XI. Cap. XXV. (Basileæ 1569). Et S. Thomas late probat hanc divisionem Lect. I. in I. *Ethicorum*, argumento a nobis supra indicato; et in Caput II. Matthæi : *Sunt*, inquit, *tres partes philosophiæ, scilicet moralis, logica et naturalis.*

IV. Excellentia philosophiæ. Vix ac ne vix quidem opus

est probare philosophiæ maximam excellentiam. Homines siquidem sumus, quorum dignitas, qua ceteris rebus inferioribus longe excellentiores sumus, ex ratione habetur. Ratio autem veritatis cognitione perficitur; unde in nobis innatus sciendi appetitus nobilissimus, ad quem explendum philosophia ordinatur : nedum disserendo de mundo corporeo, sed penetrando animam nostram ut dictet *unde sit*, *quid sit* et *ad quem finem* naturaliter tendat; et postea elevando mentem nostram ad contemplationem rationum omnium, et primæ Causæ omnium rerum et nostræ mentis et ipsius philosophiæ, nempe Dei, principii et finis omnis creaturæ. Si ergo cognitio nobilis perfectio est, quanto nobilior erit philosophia quæ perfectionem cognitionis incessanter quærit et de rerum excellentissimarum veritate edisserit!

V. Utilitas et necessitas philosophiæ. Hinc etiam, quantum utilitatis homini ex philosophia proveniat, liquido patet : siquidem per ipsam homo perficit nobiliorem partem sui, veritates et quidem altissimas cognoscendo; et in scientia veritatis perfectus, melius cognoscit quæ Deo, quæ sibimetipsi, quæ aliis debet; et ideo officia sua facilius adimplere potest, non præpeditus ignorantia, non territus obstaculis, quæ sæpe sæpius imbecilliores homines retrahunt a virtute. Quæ omnia hominem individuum respiciunt. Quid de civibus? quid de civitatum rectoribus? « Ille quidem princeps ingenii et doctrinæ, Plato, inquit Tullius ad Q. Fratrem, Lib. I, Ep. I. n. 22, tum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti et sapientes homines eas regere cœpissent, aut, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc conjunctionem videlicet potestatis ac sapientiæ, saluti censuit civitatibus esse posse. » Unde ipse Tullius in Lib. *V. Tusculanarum Quæstionum*, cap. IV. exclamat : « O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset! Tu urbes peperisti : tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti : tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti : tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti! » Maxime autem veræ philosophiæ principiis imbutum se præbeat christianus, ut depravatæ rationis humanæ molimina contra divinæ revelationis doctrinam detegere valeat et eludere et propulsare.

VI. Causa ex qua orta est philosophia. Adam creatum fuisse a Deo plenum sapientia fides nostra docet (*Eccli.*

XVII); ipsum insuper fuisse primum humanum magistrum generis humani, certo tenemus. Verum de hoc in præsenti non quærimus; sed de philosophis qui primi ex se studia ad philosophandum contulere. Porro philosophiam ortam ex admiratione esse communiter asseritur ab antiquis et præcipuis scriptoribus rerum philosophicarum, ut sunt Plato in *Theæteto* et Aristoteles, quos sequitur S. Thomas, tum Lect. III. in I. *Metaphysic.*, tum in III. *Contra Gentiles*, Cap. XXV. Attamen non sic accipiendum est principium illud quasi *admiratio* causa per se fuerit cognitionis humanæ : non enim esse potest nisi causa *per accidens*. Nam, ut sapienter notat S. Thomas, II-II, Qu. CLXXX, Art. III, ad 3 : « Admiratio est species timoris consequens apprehensionem alicujus rei excedentis nostram facultatem. Unde admiratio est actus consequens contemplationem sublimis veritatis. » Si autem admiratio consequitur, neque causat neque excitat ex hac parte veritatis contemplationem, ex qua sapientia seu philosophia nascitur. Igitur ex apprehensione alicujus sublimis veritatis, cujus ratio mentem latet, nascitur admiratio quæ ex ignorantia est; innatus autem appetitus expellendi ignorantiam, et cessandi consequenter ignorantiæ admirationem, cognoscendo veritatem, investigationes mentales vehementer excitat, ex quibus vere et per se Philosophia, seu corpus connexum veritatem exurgit. Cognitio ergo mixta ex ignorantia in anima nostra ad veritatem nata et impulsà : en ratio philosophandi (1).

VII. Dispositiones subjectivæ ad recte philosophandum. Qui autem philosophari intendit, sincero amore veritatis ad ipsam inquirendam et inveniendam præprimis debet accedere : solus enim amor desiderium acuit, et vires sustinet atque corroborat, et difficultates vincit. Sed vel maxime virtutes morales, et præcipue religionem constanter et diligenter colere debet : ut enim Sacra docet Scriptura : « Perversæ... cogitationes separant a Deo : probata autem virtus corripit insipientes : quoniam in malevolam animam non introibit sapiaentia, nec habitabit in corpore subdito peccatis » (*Sapient.*

1. Brevius, causa philosophiæ fuit cognitio incompleta, qua incompla; tamen per accidens, non per se, quia incomplete scienti accidit seu adiunctum est completæ scientiæ desiderium.

Per se igitur causa philosophiæ fuit completæ cognitionis amor. *De existentia philosophiæ.* Cf. Lepidi, vol. I, cap. II, *loc. cit.*; Hugon, *Logica*, p. 13.

I, vv. 3 et 4). Ratio est, quia animus passionibus malis distractus, et quasi, ut ita dicam, oppressus, non potest sese attollere ad puritatem veritatis contemplandam et gustandam (1).

VIII. **In tradendis philosophicis disciplinis incipiendum est a Logica.** Etenim, ut acute notat Aristoteles in II. *Metaphysiocorum*, Cap. V. *absurdum est simul scientiam et modum scientiæ quærere;* quia *neutrum facile accipere est.* Porro Logica tota est circa modum sciendi pernecessarium, iis qui in scientiis addiscendis caute procedere et ordinate volunt. Igitur « prius philosophus debet addiscere logicam quam alias scientias, concludit S. Thomas, Lect. V. in caput *Metaphysiocorum* citatum, quia logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis » (2).

---

(1). Cf. Ausonio Franchi : *Ultima critica*, 95, 308-311 *Lib. I.*

(2) Licet a S. Th. Logica nominetur ars vel scientia (Post. Anal. lect. I); eius definitio potest redigi in unam atque implicitam formam sic :

« Logica est habitus directivus humanæ rationis in cognoscenda veritate »; vel « Logica est habitus recte iudicandi. »

Ex dictis eruitur proprium objectum *logicæ* esse verum seu conditionem veritatis, objectum *metaphysicæ* esse ens seu conditionem entitatis, objectum *ethicæ* esse bonum, seu conditionem bonitatis.

Reale autem est omnium objectum, at pro Logica et Ethica fundamentaliter, pro Metaphisica formaliter.

LOGICA

PROLEGOMENA

I. Ars hominibus propria. « Cum bruta animantia naturali instinctu agant, homo in actionibus suis rationis judicio dirigitur. Hinc est quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos diversæ artes deserviunt : etenim ars aliud non esse videtur quam *certa rationis ordinatio*, qua, per determinata media, actus humani debitum finem consequuntur. » — S. Thom. I. *Poster. analyctic.*, Lect. I.

II. Ars et scienta logica. At homo manibus perficit externa opera, sed ratione veritatem inquirit; et ratio, nedum manus earumque ad agendum aptitudinem, sed etiam semetipsam propriasque vires probe dignoscit. Sicut igitur circa manuum aptitudinem ratiocinando, mens humana adinvenit artes ædificatorias, fabriles, etc., quibus homo faciliter et ordinate actus disponat et exerceat, ad finem harum artium consequendum; ita ex sui consideratione ducta est ad præfiniendam artem, qua ipsamet dirigatur, ut ordinate, faciliter et sine errore procedat in ipso actu rationis, seu in cognitione veritatis. Et hæc est *ars logica* (λόγος) id est *rationalis* scientia. — *Ibid.*

III. Logicæ objectum. Exinde patet Logicæ objectum esse ipsam rationem, non in se præcise, sed ut dirigendam in cognitionem veritatis. Non enim Logica dicitur *rationalis* ex hoc quod est rationi conformis (id enim omnibus artibus commune est), sed præcipue ex eo quod circa actum rationis dirigendum, sicut circa propriam materiam occupatur. « Et ideo videtur esse *ars artium*, quia in actum rationis nos dirigit, a qua omnes artes procedunt. » — *Ibid.*

IV. Logicæ definitio. Nullo igitur negotio quid sit Logica definire possumus : nempe est *Ars* seu *scientia directiva rationis humanæ in cognoscenda veritate.* Porro, veritas a nobis tunc perfecte dignoscitur, quando res ita se habet sicut eam esse judicamus. Qua de causa, loco cognitionis in

genere, possumus ponere judicium, quod est *cognitio perfecta*, ad quam Logica nititur ducere rationem, et brevius dicere : Logica est *ars*, seu *scientia recte judicandi*.

V. Logicæ divisio. Logica primo dividitur in *naturalem* et *scientificam*, quam etiam *artificialem* dicunt. Hanc jam definivimus. Naturalis logica est, *aptitudo quædam a natura indita, qua vel rudes, sine ullo magisterio, nullaque doctrina, de rebus obviis recte judicant ac legitime ratiocinantur;* ea nempe ratione qua artis opera quædam ab hominibus artium ignaris passim fieri comperimus. Sicut autem ars perficit naturam, ut est in veteri adagio, ita logica scientifica perficit naturalem, quæ nonnulla utique in ordine cognitionis potest, at ad multa tamen imbecillis est.

VI. Altera divisio Logicæ. Est autem altera logicæ divisio, magis scientifica, in *Dialecticam* et *Criticam :* quæ divisio apud recentiores invaluit, sed antiquioribus quoad rem ipsam non ignota fuit. *Dialectica* in tradendis explicandisque legibus recte judicandi unice sistit; *Critica* principia suprema, quibus nititur certitudo nostrorum judiciorum, rimatur, ut verum a falso in ipsis judiciis mens discriminare valeat. *Dialectica* vocatur etiam Logica *formalis*, sicut et *Critica* Logica *materialis* quandoque audit.

VII. Discrimen inter Dialecticam et Sophisticam. Dialecticam cum Sophistica confundere imperitia summa est. Etenim sophistica, ut recte notat sanctus Thomas, *est visa sive apparens scientia non existens* (In IV. *Metaphysic.* Lect. IV); unde sophista omne studium confert *ad hoc quod videatur scire quamvis nesciat* (Ib). Contra *Dialectica* præceptis suis viam sternit ad veritatem capessendam, erroremque vitandum. Qua de re audiatur Augustinus egregie disserens contra Cresconium grammaticum : « Qui enim disputat, verum discernit a falso. Quod qui non possunt, et tamen dialectica videri volunt, per insidiosas interrogationes captant incautorum assensiones, ut ex eorum responsionibus concludant, unde illos vel in aperta falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem deceptis persuadeant, quam plerumque etiam ipsi existimant veritatem. Qui autem verus disputator est, id est veritatis a falsitate discretor, primo id apud se ipsum agit, ne non recte discernens ipse fallatur; quod nisi divinitus adjutus peragere non potest; deinde cum id quod apud se egit ad alios docendos profert, intuetur primitus quid jam certi noverint, ut ex his eos adducat ad ea quæ non noverant vel credere nolebant, ostendens ea consequentia

his quæ vel scientia vel fide retinebant : ut per ea vera de quibus se perspiciunt consentire, cogantur alia vera quæ negaverant approbare; et sic verum quod falsum putabatur, discernatur a falso, cum invenitur consentaneum illi vero quod jam antea tenebatur falsum. » — Lib. I. Cap. XV.

VIII. Studium Logicæ necessarium. Quæ omnia hucusque declarata satis superque sunt ad Logicæ necessitatem demonstrandam iis qui non perfunctorie scientiis acquirendis operam navare intendunt. Duo siquidem ad acquirendam veritatem menti nostræ necessaria sunt : 1°, recte judicare; 2°, demonstrationes, quibus unum verum ex altero infertur, recte conficere. Atqui hæc duo a logica habentur. Quocirca, videmus quotidie hac arte carentes tardiores esse ad scientias, et in errorem sæpissime prolabi. Audiatur iterum Augustinus : « Quando ergo (ratio) transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quædam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam *disciplinam disciplinarum*, quam dialecticam vocant? Hæc docet docere, hæc docet discere : in hac seipsa ratio demonstrat atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. *Scit scire; sola scientes facere* non solum vult, sed etiam potest. » (*De Ordine*, Lib. II. cap. XIII.). Similia habet sanctus Doctor Lib. III. *Contra Academicos*, Cap. XIII.; Lib. II. *De Doctrina Christiania*, Cap. XXXVII; *Contra Cresconium*, Lib. I. Cap. XIII. — Nota illa præclara et profundissima verba : *Scit scire :* multa enim certo hominibus constare possunt sine logica; at sine logica *scire se scire*, hoc est *scientifice habere cognita*, quæ cognita, utcunque sunt, nemo potest.

IX. Aristotelis in Logicam Tractatus. Nemini proinde mirum esse debet si præclara cujusque ætatis ingenia maximi semper logicam fecerint, qua mirifice uterentur ad arcana humanarum scientiarum penetranda. At inter omnes scriptores hujus scientiæ maxime excelluit Aristoteles, Stagiræ in Macedonia natus, anno 384 ante Jesu Christi adventum. Scripsit in Philosophiam rationalem libros, quos *Categoriarum*, *Perihermeneias*, *Priorum et Posteriorum Analyticorum*, *Topicorum*, *Elenchorum* titulis donavit, et quorum collectio vulgo *Organum* dicitur : in illis ita subtiliter simul et profunde Logicæ præcepta expendit, ut nihil addendum, fatente ipso Kant, successoribus reliquerit. Hos Aristotelis libros, sicut et ceteros pene omnes qui de *metaphysica* tractant, præclarissimis commentariis exornavit sanctus Thomas.

X. Minotum. Qui studio alicujus scientiæ navare operam

intendit, in antecessum, sibimetipsi proponere debet *Ordinem.* Etenim veritates, quæ successive a nobis cognoscuntur, non sunt sicut incompositus lapidum acervus, sed ita ad invicem connexæ, ut una alteri lucem afferat. Quocirca si mens hanc connexionem post-habeat, onerabitur potius quam perficiatur cognitionibus suis. Hac de causa singulis libris hujus Operis ordinem et rationem argumentorum, quæ in ipsis discutienda sunt, præmittemus, ut sciat lector cur de una re potiusquam de alia primitus agatur; videlicet methodum, qua sanctus Thomas in Summa theologica utitur, quantum in nobis est, imitabimur.

XI. Dialecticæ partitio. Ordinem vero sequendum in prima parte Logicæ, quam *Dialecticam* diximus, ipsius Logicæ tradita definitio apertissime indicat. Scopus enim Logicæ est mentem ducere in veritatis cognitionem; ad quam mens nostra veluti triplici gradu pervenit, *simplici apprehensione, judicio* et *ratiocinio.* Ergo tribus libris comprehendimus universam doctrinam Dialecticam : quorum primus erit de simplici mentis apprehensione, ac de primis elementis nostrarum cognitionum; alter de natura et legibus judicii; tertius denique de ratiocinio, seu de mentis nostræ progressu ex una ad aliam veritatem (1).

(1) Inter divisiones dialecticæ aliqui auctores aldunt étiam *methodologiam* quæ est « scientia rationum et viarum quibus intellectus humanus in diversis disciplinis ad scientiam consequendam vel comunicandam progreditur ». Hanc tractationem Auctor reducit ad ratiocinium. (Cf. infra, lib. III; cap. V).

Insuper notandum quod « *Abstractio, attentio, assensus, methodus* non sunt operationes distinctæ a tribus enumeratis (simplici apprehensione, judicio et ratiocinio), sed modi quidam et quasi temperamenta ipsarum ». Leppidi. *Logica*, p. 69.

LOGICÆ

PARS PRIMA

SEU

DIALECTICA [1]

LIBER PRIMUS

DE SIMPLICI ELEMENTIS APPREHENSIONE ET PRIMIS HUMANARUM COGNITIONUM

Prologus. Quotidie loquimur, sive voce articulata, sive scripto, sive signis quibusvis sensibilibus, per quæ aliis objecta seu res quascumque designamus; ut cum dico, *Sol*, ob-objectum illud designo quod terram nostram illuminat. In comperto autem est, nullum a me determinatum objectum voce vel scripto designari posse, nisi illud antea in mente habeam præconceptum. Objectum ut est mente præconceptum vocatur *terminus mentalis*, *verbum mentis*, *idea expressa*;

---

(1) AUCTORES CONSULENDI

1. S. Thomas. Summa Logicæ. Comment in Aristot.
2. Dominicus Soto. Logica.
4. Lepidi. Elem. phil. christ. vol. I.
5. Pesch. Institutiones logicales. vol. I.
2. Bossuet. Logique.
6. A. Conti. Il vero nell' ordine.
7. Mercier. Logique.
8. Hugon. Logica Minor.
9. Reinstadler. Elem. phil. scholast. vol. I.

sicut *verbum externum sensibile*, *terminus* simpliciter, dicitur signum illud quodcumque quo verbum mentis exterius proferimus. Igitur *primo loco* dicemus de mentis actibus in ordine *ad ideas*, seu ad *objectum ut mente perceptum; secundo* in ordine ad objectum ipsum ut vocibus extrinsecus manifestatum. Quia vero hujusmodi elementa, primitus percepta, ad judicium ferendum de re ipsa a mente ordinantur, neque judicium ferri potest nisi *quid sit* ipsa res probe sciatur; *tertio loco* sermo erit de modo quo recte pervenitur ad sciendum quid res sit.

CAPUT PRIMUM

DE MENTIS ACTIBUS RESPECTU IDEARUM

Prologus. Circa mentis actus in ordine ad objectum mente præconceptum duo distincte sunt discutienda : 1° De principiis, quibus mens ipsa informatur ad præfatos actus exercendos, seu de *ideis;* 2° De *divisione* idearum.

ARTICULUS PRIMUS

(1)

De ideis.

I. Sensibilis cognitionis vocabulis actiones mentales non incongrue designamus. Rem ita se habere quotidiana experientia docet : sicut enim oculis corporis, ita et oculis mentis *videre* dicimus, et cæcos mente designamus, sicut et cœcos corpore. Cujus facti ratio est in ipsa conditione animæ nostræ, prout est corpori quodammodo alligata et a sensibus proprias cognitiones aliqua ratione mutuatur. « Quia vero, ad rem Angelicus, in cognitionem intelligibilium ex sensibilibus pervenimus, etiam sensibilis cognitionis nomina ad intelligibilem cognitionem transumimus, et præcipue quæ pertinent ad visum, qui inter ceteros sensus nobilior est et spiritualior, ac per hoc intellectui affinior. Et inde est quod ipsa intellectualis cognitio nominatur *visio*. Et quia corporalis visio non completur nisi per lucem, ea a quibus intellectualis visio perficitur, lucis nomen assumunt. » *Contra Gent.*, Lib. III, Cap. LIII. Eadem Augustinus, Epist. 112 (al. 147), *De videndo Deo*, ad Paulinam, Cap. IX. n° 21.

II. Oculus animæ, cogitare, cognoscere. Ex analogia igitur existente inter sensum et intellectum, hæc in animo nostro distinguimus. Etenim in visione sensibili tria animadvertimus : namque primo oculus est necessarius; deinde oculos intendimus, quasi rem quærendo quam videre volumus, hoc est *aspicimus;* tertio denique rem ipsam attingimus : quod est *videre.* « Ergo animæ, inquit Augustinus, tribus quibusdam rebus opus est; ut *oculos* habeat, quibus jam bene uti possit, ut *adspiciat*, ut *videat.* Oculus animæ mens est ab omni labe corporis pura. Adspectus animæ ratio est *(cogitatio)*... Ipsa autem visio *(cognitio)* intellectus est ille qui in anima est, qui conficitur ex intelligente et eo quod intelligitur; ut in oculis *videre* quod dicitur, ex ipso sensu constat, atque sensibili, quorum detracto quolibet, videri nihil potest. » — *Soliloq.* Cap. VI. — Revera *visio* perfectiorem cognitione in genere sumitur; quæ cognitio varias denominationes sortitur ex variis modis quibus per ipsam objectum cognitum menti patefit : de qua re alibi redibit sermo.

III. Simplex mentis apprehensio. Inter cognitionum nostrarum species recensetur *simplex mentis apprehensio*, quæ est, *cognitio, qua quid sit res aliqua cognoscimus.* At ipsa res ita sistit in mente, ut de ea nihil affirmemus vel negemus. Quemadmodum cum *hominem* concipio, nempe *animal rationale*, quin affirmem vel negem ipsum existere vel non existere, esse doctum vel indoctum, etc.

IV. Idearum notio logica. Idea, græce, idem est *ac forma* seu *species* latine, et non incongrue describitur : *simplex rei repræsentatio in mente facta ;* seu, ut loquitur Angelicus, est *forma alicujus rei, præter ipsam rem existens* in mente, et est menti principium cognoscendi rem ipsam (Cf. P. I. Qu. XV. artic. I). Pro quorum intelligentia nota quod intellectus noster est ex se indifferens ad cogitandum determinatum aliquod objectum : non enim adstringimur ad cogitandum de objecto *A*, potius quam de objecto *B*. Ab indifferenti autem, ut tali, nihil sequitur. Ergo quoties mens nostra actualiter determinatur ad intelligendum *A*, ab ipso objecto *A* procul dubio objective determinatur. Non autem *A* determinat mentem, nisi quatenus mentem ipsam quodammodo afficit et in ipsa mente recipitur : cum enim mens non exeat extra se ut sese objecto conjungat ab eoque determinetur, dicendum omnino est objectum ipsum menti conjungi, eamque hoc pacto determinare. Non autem conjungitur physica sua realitate; hoc enim est ridiculum asserere, et

contra experientiam. Igitur illi conjungitur modo quodam spirituali, seu *specie* vel *forma*, vel *similitudine* sui. Hanc speciem, vel formam, vel similitudinem, vel repræsentationem rei in mente existentem, *ideam* dicimus. Hæc in limine logicæ prælibasse sufficiat : nam de psychologica natura idearum, deque earum in anima nostra origine, non hujus loci est definire, sed ad metaphysicam pertinet, ut recte notat S. Thomas, in I. *Perihermeneias*, Lect. II.

V. Idearum distinctio a sensuum phantasmatibus. Ex data idearum notitia satis liquet eas a phantasmatibus imaginationis toto cœlo differre, neque cum ipsis posse sine maximo in scientiis detrimento confundi. Ideæ enim menti sunt propriæ et objecta referunt quæ totum ordinem meræ sensibilitatis excedunt; contra phantasmata sensuum sunt propria, et nonnisi individua sensibilia repræsentant.

VI. Idearum notæ. Sed nulla res est destituta proprietatibus, quæ veluti entitates ex quibus res ipsa resultat, vel quæ ipsam afficiunt, a nobis apprehenduntur : sive hujusmodi proprietates vere in ipsa re distinguantur, sive non, dummodo ut distinctæ apprehendantur. Hæ proprietates, prouti de ideis dicuntur, *notæ* appellantur, propterea quod nobis notificant rem ipsam; et definiri vel describi possunt : *objecti proprietates per ideam repræsentatæ.*

VII. Conceptus formalis et conceptus objectivus. Libet in ipso Dialecticæ limine hanc Scholasticorum distinctionem breviter explicare, in quæstionibus dirimendis valde necessariam. Conceptus *formalis* est objectum ut expressum a mente et in mente, seu est ipsum *verbum mentis*, de quo paulo supra dictum est; conceptus *objectivus* est ipsum objectum cui nostra cognitio seu conceptus mentalis respondet. Triangulus, ut in mente expressus, est conceptus formalis; triangulus, cui refero illum meum conceptum, est conceptus objectivus.

VIII. Corollaria. Ex dictis inferuntur nonnullæ veritates maximi momenti, quas hic ad modum corollarii subjicimus.

Corollarium primum. Idea in nobis essentialiter differt a *perceptione*, seu *apprehensione :* nam hæc designat actionem vitalem animæ nostræ; idea vero objectum significat, sive ut afficiens et determinans intellectum ad illam actionem vitalem, sive ut terminans ipsam actionem. Non me latet apud recentiores usum invaluisse *ideas* et *perceptiones* promiscue usurpandi, quasi una eademque res sint; sed usus iste non parvis æquivocationibus viam sternit, ut ex data explicatione liquet. Unde standum est Antiquioribus.

Corollarium alterum. Idea dupliciter sumi potest, et reapse sumitur præsertim ab antiquioribus Scholasticis : 1°, ut afficiens potentiam intellectivam eamque ad intelligendum objective determinans; 2°, ut objectum mentaliter expressum, seu ut est conceptus *formalis.* Primo modo est simplex *medium* non *terminus* cognitionis directæ, eo ferme modo quo speculum est *medium* cognoscendi personam per speculum reflexam; secundo modo est terminus cognitionis et insuper medium cognoscendi objectum *extramentale*, sicuti, e. g., imago et cognoscitur in se, et in cognitionem ducit personæ existentis extra ipsam imaginem. Idea primo modo sumpta dicitur *species impressa*, *medium quo;* idea secundo modo accepta dicitur *species expressa*, *verbum mentis*, *medium in quo*, etc., ut supra diximus. In aperto est ideam *impressam* ita distingui a specie *expressa*, ut si una pro altera promiscue sumatur, vitari confusio non possit. Quod Malebranchio (1638-1715) accidit, cum ipsi sermo est de Scholasticorum ideologia.

Quia tamen in Logica vix ac ne vix quidem necessaria est præfata distinctio, promiscue unam pro altera sumemus et quæ sumus dicturi, utrique pari fere ratione conveniunt.

ARTICULUS SECUNDUS

(2)

De idearum divisionibus ex parte objectorum.

I. Causæ ex quibus generales idearum divisiones oriuntur. Nihil prohibet, quidquid in contrarium asserat Cousin, quominus ideam ad modum imaginis consideremus, dummodo in sola *repræsentationis* notione, quam importat imago, sistamus, ceteris, quæ imagini materialiter consideratæ conveniunt, sepositis. Porro imago ab imagine differt : 1°, ex *diversitate objectorum* quæ una præ altera refert; 2°, ex *modo* referendi, seu exprimendi unam eamdemque rem. Deinde ideæ sunt in mente nostra, atque ideo eas ad invicem conferre mens ipsa potest. Hinc duplex alia causa distinctionis idearum, nempe; 3°, ex *collatione idearum* inter se; 4°, ex *ordine* ad mentem in qua ideæ sunt. In hoc articulo et quatuor immediate sequentibus dicam de idearum divisione ex primo capite.

II. Idea positiva et negativa. Hæc est prima divisio idearum in ordine ad objecta. Idea *positiva* illa est, *quæ expri-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

mit entitatem aliquam, ut cum mente vel voce dico, *lux;* idea *negativa* est *quæ exprimit entitatis cujusque carentiam*, ut cum dico, *tenebræ*. — Non requiritur ergo ad rationem ideæ negativæ quod vocabulum ipsum negativum sit semper, ut cum dico *non-homo:* dummodo negetur entitas, sive hæc negatio indicetur termino negativo sive positivo, semper erit idea negativa, ut *mors;* sicut contra, etiamsi expressio sit negativa, si tamen entitas per ipsam designetur, erit idea positiva, ut *immortalis*. Hinc termini nonnulli dicuntur positivi *voce*, et negativi *sensu*, ut *cæcitas*, *mors*, etc., et nonnulli termini sunt positivi *sensu*, quamvis *voce* sint negativi, ut *immortalitas*, etc.

III. Quo sensu idea negativa intelligenda sit. Idea tamen negativa non perinde est intelligenda, ac si per ipsam menti exhibeatur ipsa *negatio:* hæc enim explicatio, quam Hegel et hegeliani amplectuntur et in qua fundant pantheismum, tam impossibilis est, quam impossibile est *nihilum* posse imagine quadam repræsentari. Sed in conceptibus, seu ideis negativis, menti exhibetur opposita entitas positiva, cujus negatio constituit ideam negativam : *visio* positiva *idea* est; *cæcitas* est ipsa *visio* negata. Quocirca communiter dicitur negationem intelligi per modum affirmationis, ad cujus speciem reducitur et quam sequitur, ut sese exprimit S. Thomas, I-II Qu. LXXII, Artic. VI. ad 3; qui etiam, II-II, Qu. LXXIX, Artic. III. ad 1, recte addit, quod *negatio actus reducitur ad genus actus: et secundum hoc* non-agere *accipitur ut agere quoddam*. Reducitur (et ideo dicitur esse non *per se*, sed *reductive* in aliquo genere) et accipitur, sed non est quid tale *objective*. Et sanctus Augustinus inter cetera multa quæ circa ideas negativas disserit Lib. V. *de Trinitate*, Cap. VII. n. 8, hæc notat : *Qui ergo dicit*, non-homo est, *non aliud genus prædicamenti enuntiat, sed tantum illud negat.*

IV. Idea simplex et composita. Simplex seu *incomplexa* idea illa est, *quæ unicam rei entitatem seu essentiam significat*, ut *homo;* composita idea seu *complexa* illa erit *quæ multiplicem rei entitatem seu essentiam in se includit*, ut *medicus*, in quo duo revera sunt, nempe *homo* et *forma* accidentalis nempe *medicina*, a qua homo denominatur et est *formaliter* medicus.

V. Opinio Lockiana Sensit Joannes Lockius (1632-1704) ideam simplicem esse illam quæ *omni compositione* caret, producitque

in anima conceptionem uniformem, ita ut in diversas ideas distingui non possit; quam Lockii sententiam, a recentioribus passim amplexam, multis impugnat argumentis eruditissimus Roselli, in sua Logica, Qu. VIII, articul. I. At, meo quidem judicio, dissensio evanescet, si æquivocatio auferatur. Nos dicimus ideam simplicem ex unitate ac proinde ex indivisibilitate entitatis seu essentiæ rei cujusque desumi : quæ essentia pluribus notis coalescere potest, ita tamen ut una ex hisce notis distrahi utcunque ab alia non possit, quin simul pereat rei illius idea. Ita *homo* simplici idea refertur : sed hominis essentia duabus notis essentialibus constituitur; est enim compositum ex *anima rationali* et *corpore organico*, vel *animal rationale*. Attamen duæ istæ notæ inter se ita uniuntur in homine, ut si sustuleris corpus ab anima, vel rationalitatem ab animalitate, jam perimis hominis notionem. Hoc ergo in sensu potest cum Lockio asseri, ideam simplicem talem esse ut non possit in varias ideas distingui : quia distincta in varias ideas, in easque distracta, jam desinit esse illamet idea, et transit in aliam.

VI. Idea geometrica et pura. Hæc divisio recentioribus debetur, sed minime necessaria est, neque Antiquioribus ignota. Idea geometrica (quam nonnulli satis improprie *sensilem* vocant) illa dicitur, *quæ extensionem sive explicite sive implicite significat;* cujusmodi sunt ideæ *circuli, maris*, etc. : quæ vero nullam extensionis significationem habet, idea *pura* nuncupatur; hujusmodi sunt ideæ *spiritus, veritatis*, et aliæ similes. — Scholastici verius partiebantur species seu ideas secundum gradus abstractionis a materia, scilicet : 1°, species abstractas a materia tum sensibili *(corpore)* tum intelligibili *(quantitate) :* et hæ pertinent ad metaphysicam, seu philosophiam primam; — 2°, abstractas a materia sensibili sed non ab intelligibili : et his utitur mathesis; — 3°, abstractas a materia individua, sed non ab intelligibili neque a sensibili in universali, ut in *Physica*.

VII. Idea concreta et abstracta. Idea abstracta designat *proprietatem seu formalitatem aliquam* præcisam *a quocumque subjecto*, in quo sit et quod denominet, ut *sanitas, humanitas*, aliaque hujusmodi; idea vero concreta eamdem *proprietatem seu formalitatem designat, sed ut afficientem aliquod subjectum*, quod propterea ab illa ipsa *formalitate* denominatur; ut *sanus, homo, medicus*, etc. Unde, scholastice loquendo, abstractum est *formale* concreti.

VIII. De triplici concreto. Solet a philosophis triplex concreti

genus distingui, *metaphysicum*, *physicum* et *logicum*. Nam aut forma inhæret subjecto intrinsece simul et essentialiter, ut *humanitas* homini, et habetur concretum *metàphysicum*; aut inhæret intrinsece quidem sed non essentialiter, ut doctrina homini *docto*, et habetur concretum *physicum*; aut denique solummodo extrinsece subjectum afficit, ut laus hominem *laudatum*, et habetur concretum *logicum*, id est concretum non reale, sed mentis tantummodo considerațione confectum.

IX. Idea realis et logica. Prima designat *objectum prout realiter in se est, independenter a mentis consideratione*, ut *angelus*, *homo*, *Deus*. Altera designat *objectum secundum essendi modum quem habet a mente et in mente*, ut *genus*, *species*, *differentia*. — Ex his plane intelligitur quid nomine objecti *primæ intentionis* et *secundæ intentionis* in scholis significetur. *Prima intentio* res exhibet ut in se sunt, sicut dictum est de idea reali; *secunda* vero *intentione* usurpamus objecta secundum ordinem vel dispositionem quam accipiunt a mente nostra (ut dictum est de idea logica), et quæ propterea dicitur etiam *ens rationis*.

ARTICULUS TERTIUS

(3)

De idearum divisione ex amplitudine objecti.

I. Ratio articuli. In præcedenti articulo ideas consideravi in ordine ad objecta ab ipsis expressa. At objectum ipsum expressum aliquando est quid uni proprium, ut *Petrus*; aliquando vero est aliquid pluribus subjectis commune, ut *animal*. Hæc communitas est ipsamet *extensio* seu *amplitudo* idearum, ob quam ideæ peculiares divisiones sortiuntur, quæ in scientiis omnino necessariæ sunt, et passim occurrunt. Ideo agam imprimis de hujusmodi divisionibus in genere, in sequentibus autem articulis dicam de nonnullis earumdem divisionum speciebus.

II. Idea singularis et idea universalis. Inter idearum divisiones ex objecti amplitudine seu extensione, prima occurrit divisio ideæ in *singularem* et *universalem*. Idea singularis objectum designat individuum seu nulla extensione præditum, nempe objectum ita determinatum, ut pluribus neque conveniat neque convenire possit; cujusmodi sunt ideæ *Petri*,

Pauli, *Romæ*, *hujus* vel alterius *arboris*. Objectum præfatum ideo nobis tale exhibetur, quia tales *notas* refert, quæ simul sumptæ nonnisi ipsi conveniunt cum exclusione cujusvis alterius subjecti : quæ *notæ* his vulgatis versiculis continentur :

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen:
Hæc ea sunt septem, quæ non habet unus et alter

Idea *universalis* e regione opponitur ideæ singulari : est enim illa, quæ refert aliquid unum, quod pluribus subjectis aliqua saltem ratione convenit. Ita ideæ *substantiæ animalis, viventis, corporis*, etc., ideæ *universales* sunt, quia exprimunt aliquid commune hominibus, brutis, plantis, aliisque rebus quamplurimis. — Res, quibus communis est idea universalis, considerantur a logicis ut ipsi ideæ universali *inferiores* et *subjectæ*. — Patet autem hujusmodi *inferiora* in se habere et quidquid *universalis* natura, ut essentia est, habet, et *alia quædam*. Unde universale potius est *extensione* suis inferioribus; sed hæc *comprehensione* potiora sunt ipso universali.

III. Idea particularis collectiva et distributiva. Porro idea universalis aut in se sumitur sine aliqua restrictione, ut *homo*, *circulus*, etc.; aut contra profertur cum particula quadam restrictiva, ut *aliquis* homo, *aliqui* circuli; per quam additam restrictionem, *homo*, *circulus*, quæ, ex se, quid commune vel omnibus hominibus, vel omnibus circulis significant, nonnisi portionem, ut ita dicam, hominum vel circulorum designant. Idea universalis, hoc secundo modo accepta, vocatur in Logica idea *particularis*, quæ etiam *disjunctiva* dicitur; et est ipsa idea universalis, quæ affecta particula *restrictiva*, non omnibus per ipsam significatis, sed quibusdam solummodo applicatur. — Idea vero universalis in se et non restrictive accepta dividitur in *collectivam* et *distributivam*. — Idea collectiva est illa, quæ aliquid exprimit commune pluribus, at non singillatim sed collectim sumptis. Ita ideæ *exercitus*, *civitatis*, *familiæ*, designant milites, cives, etc., at non divisim (non enim quilibet miles est exercitus, neque quilibet civis est civitas, sicut revera quodlibet humanum individuum est homo), sed collectim acceptos. — Idea, quæ aliquid dicit commune pluribus, tum collectim tum divisim sumptis, vocatur *distributiva;* ita idea *hominis* est idea distributiva, quia et Petrus est homo, et omnia et sin-

gula humana individua, sive collectim sumpta sive divisim, sunt homines.

IV. Ideae particulares determinatæ et indeterminatæ. Diximus ideam universalem evadere particularem, si ipsi apponatur particula restrictiva; at hic declaratione opus est. Nam accidit quandoque ut ex adjunctis ita determinetur sensus ideæ universalis, ut individuum designet, ac propterea revera singularis sit, ut : *aliquis homo* Americam detexit. Per adjunctum, *Americam detexit, τὸ aliquis homo* coarctatur ad designandam peculiarem personam, nempè Christophorum Columbum. — Quandoque etiam non unum quidem, sed plura individua particularis idea exprimit, at simul tamen quæ sint illa plura determinat; ut si dicam : *aliqui homines sunt nigri coloris;* per adjunctum *nigri coloris* satis determino per *aliquos* homines designari Æthiopes. Hujusmodi idea particulares dicuntur *determinatæ.* — Denique *τὸ aliquid* nullum determinatum individuum designare ex adjunctis deprehenditur, ut si dicam : *aliqui homines student, aliquis oculus est necessarius ad videndum;* quia enim potest æque studere Paulus vel Antonius, et videri vel oculo sinistro vel dextro, non magis designatur Petrus quam Antonius, aut oculus dexter quam sinister. Hæc idea particularis dicitur *confusa* vel *indeterminata.*

V. De idea collectiva ut est ab universali distributiva distincti. Ideam collectivam ab idea distributiva esse distinctam satis constat ex utriusque data definitione. Sed hic peropportunum est nonnulla circa earum naturam adnotare, ut in quo conveniant et in quo differant tirones Logicæ sciant, et sophismata caveant. Igitur tum idea collectiva tum idea distributiva *unum* aliquid præ se ferunt pluribus suppositis tributum, ut *homo* individuis humanis, *exercitus* militibus. At vero in universali *distributivo* illud unum quod exprimitur est unitas naturæ inter inferiora subjecta, de quibus affirmatur; contra, universale *collectivum* non unitatem refert naturæ, sed unitatem ordinis inter sua subjecta. Et hæc est ratio cur universale distributivum est tale *unum,* quod tum de omnibus simul sumptis, tum de singulis inferioribus prædicatur; sed universale collectivum non de singulis dici potest, sed de omnibus simul sumptis, quia solummodo simul sumpta ordinem habent ad invicem. Merito igitur S. Thomas, P. I. Qu. XXXI. Artic. I. ad 2, asserit quod idea collectiva *duo importat, scilicet pluralitatem suppositorum, et unitatem quamdam, scilicet ordinis alicujus.*

VI. Ideæ univocæ et analogæ Hæc est subdivisio ideæ uni-

versalis distributivæ. Etenim idea distributive universalis, ut diximus, aliquid exhibet commune distributive pluribus. Sed aliquid potest esse commune pluribus dupliciter, vel nempe *eadem* ratione, sicut *natura hominis* individuis humanis; vel aliqua tantum similitudine, relatione, ordine ad aliquid, in quo ratio expressa per ideam principaliter invenitur (quod propterea a Scholasticis dicebatur *summum analogatum*); sicut sanum dicitur de *medicina*, de *aere*, de *cibo*, per ordinem ad animal, in quo vere, ut in proprio subjecto, est *sanitas*, et ad cujus *sanitatem* ordinantur medicina, aer, et alia, quæ hac de ratione *sana* dicuntur. Primæ ideæ dicuntur *univocæ:* secundæ vero ex analogia vel proportione *analogæ* sunt appellatæ.

VII. Ideae analogæ analogia attributionis et proportionis. Idæ analogæ, quas explicavimus, sunt analogæ analogia *attributionis* seu *habitudinis*, per ordinem scilicet ad aliquid principale; præter has dantur ideæ analogæ analogia *proportionis* seu *proportionalitatis*, cum nempe ad rationem communem explicatam per ideam universalem, se habent cum proportione quadam, ut cum *risus* de homine et de prato virenti dicitur, præsertim in poësi.

VIII. Ideae æquivocæ non dantur. Consulto ideas universales in analogas et univocas distribui, nulla facta mentione de *æquivocis*. Æquivocatio enim proprie non est in ideis sed in vocabulis, ceterisque sensibilibus signis, quibus mentales ideas forinsecus manifestamus, reperitur. Ratio est quia idea rem unicam refert, cujus ipsa est mentalis aut repræsentatio aut expressio; unde ita est idea unius rei, ut non possit esse alterius. Quocirca de æquivocis signis erit sermo in tractatu de vocabulis.

ARTICULUS QUARTUS

(4)

De ideis transcendentalibus ac de divisione universalis univoci.

I. Ratio articuli. Ideas universales distribuimus in analogas et univocas. Inter analogas autem *transcendentales* ideæ recensentur; et idea univoca in varias distribuitur species. Harum igitur idearum breviter, et dilucide, quantum potero, explicabo naturam, quam si quis ignoraverit, jejunus omnino in quæstionibus philosophicis erit.

II. Notio transcendentalium. Transcendentalis ideæ nomine, ut vocabulum ipsum indicat, significatur id quod transcendit, seu est supra species et genera rerum. — Ratione autem communitatis, per *transcendentale* cum philosophis intelligimus, *id quod omnibus ac singulis rebus, quæ sunt aut possunt esse, aliqua saltem ratione convenit;* ac proinde maximam extensionem habet (3, II). — Quinque transcendentalia numerantur, *ens* vel *res*, *verum*, *bonum*, *aliquid* et *unum :* hæc omnia nullum entis genus peculiariter designant, sed tamen in quolibet rerum genere inveniuntur, quia nihil est aut concipi positive potest quod *ens* non sit, et, consequenter, quod non sit *verum*, *bonum*, *unum*, *aliquid*. Proinde dicuntur *transcendentia* et *indeterminata*, quia nullo rerum genere determinato continentur, et quam maxime ab *universalibus* proprie dictis differunt : nam universalia determinatum genus, vel determinatam speciem quibusdam subjectis propriam, ceterisque non communem designant, ut *substantia*, *vivens*, *animal*, *homo*, et alia; quæ ideo a scholasticis *categorica* dicebantur (1).

III. Divisiones universalium Universalia vero, quæ *univoce* (et hoc nota) inferioribus tribuuntur, quinque a philosophis passim enumerantur, nempe *genus*, *species*, *differentia*, *pro-*

(1) De iis transcendentalibus fiet specialis sermo in Ontologia, licet sub alio aspectu. Pro nunc sufficiat adnotare quod neque de eorum munero determinando philosophi unanimes sunt.

Alii quatuor : ens, unum, verum, bonum; alii quinque : ens, unum, aliquid, verum, bonum; alii sex : ens, res, unum, aliquid, verum, bonum ea esse contendunt.

Communius numerantur quinque.

Quæstio solvitur determinando, an ens et res eamdem formalitatem præ se ferant, item unum et aliquid.

Sanctus Thomas Disput. qu. I, a. 1 *ens* a *re* distinguit, scribens :

« Ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quid- » ditatem sive essentiam entis ».

Inde quum transcendentia dicantur ea, quæ omnibus quæ sunt aut esse possunt conveniunt, et quum illud quod est idem sit ac illud quod esse potest, nam solo status discrimine differunt, concludendum est transcendentia esse quinque.

Si agatur de esse actuali, tunc habentur ens, unum, aliquid, verum, bonum. Si de potentiali res, unum, aliquid, verum, bonum, Unum autem et aliquid non eumdem conceptum exprimunt : *unum* connotat ens ut ens non dividi; *aliquid* ens ut ens non componere. Per prius ab ente excluditur ratio totius, per posterius ratio partis : quæ duo diversa sunt.

prium et *accidens*. Horum omnium definitiones traditas a Scholasticis dabimus et explicabimus.

GENUS *est unum aptum inesse pluribus, spiecie differentibus, et prædicari de illis in* quid *incomplete*. Dicitur *unum aptum inesse pluribus*, quia *genus* (sicut et quatuor alia) est universale, cujus proprium est ad plura ordinem importare, ut ex dictis manifestum est. Additur *pluribus specie differentibus*, quia *genus* præcise designat illud unum, in quo res, specifica natura distinctæ, conveniunt; ut *animal* est genus ad homines et ad bruta. Denique dicitur *prædicari* seu tribui illis speciebus differentibus in *quid*, nempe ut aliquid ad essentiam constituendam pertinens (sicut *animal* dictum de homine et de bruto); sed additur *incomplete*, quia revera genus totam naturam illorum de quibus prædicatur non explicat; sicut *animal* non dicit neque totam naturam bruti, neque totam naturam hominis, cui præter *animalitatem* convenit etiam *rationalitas*, qua a brutis essentialiter distinguitur.

SPECIES *est unum aptum inesse pluribus, numero differentibus, et prædicari de illis in* quid *complete*. Ponitur quod species tribuitur pluribus non quidem *specie*, ut *genus*, sed numero solum differentibus; ut *homo* dicitur de individuis humanis, quæ non specie, sicut brutum et homo, sed numero ad invicem solummodo differunt. Additur quod species prædicatur de inferioribus in *quid*, hoc est, essentialiter; et insuper *complete*, quia species revera explicat essentiam et completam essentiam rei; sicut *animal rationale* dicit *essentiam* et completam essentiam hominis.

DIFFERENTIA *est unum aptum inesse pluribus et prædicari de illis in* quale quid; in *quale*, hoc est adjectivo modo, ut *rationale;* in *quid*, quia differentia designat illud *essentiale* per quod species, quæ in genere conveniunt, inter se essentialiter discriminantur. Ita, homo et bruta conveniunt in genere *animali*, cui si addas *rationale*, habes hominem, specie distinctum a bruto.

PROPRIUM, quod etiam *proprietas* et *attributum* passim audit, *est unum aptum inesse pluribus et prædicari de illis in* quale *neccessario*. In *quale*, quia adjectivo modo exprimitur, ut cum dicitur quod homo est *capax* sciendi; *necessario*, quia licet non constituat rei essentiam, sicut *genus*, *species* et *differentia*, tamen cum essentia ipsa ita connectitur, ut *omni* habenti talem essentiam, et *soli* habenti talem essentiam, et *semper* habenti talem essentiam necessario tribuatur; sicut *capacitas sciendi* in homine.

ACCIDENS *est unum aptum inesse pluribus et prædicari de illis in* quale *contingenter;* in *quale*, quia modo adjectivo exprimitur, ut *doctus; contingenter*, quia non comitatur necessario rei naturam, sed intelligitur ipsi naturæ jam constitutæ *contingere, accidere*, quasi ab extrinseco : unde sicut inest naturæ, ita et abesse potest, salva ipsa rei natura. Hinc homo potest amittere doctrinam, quin propriam naturam amittat.

IV. Corollaria. Satis liquet ex notionibus traditis : 1°, *genus esse* quid *determinabile;* — 2°, *differentiam* esse quid *determinans* genus ad *esse* speciei; — 3°, ac proinde *differentiam* intelligi ut extra essentiam generis : secus differentia non determinaret genus, et posito genere poneretur differentia; quod est absurdum;; 4°, *speciem* intelligi ut quoddam perfectum.

V. Prædicabilia. Quinque universalia enumerata *prædicabilia* ab antiquis dicebantur (κατηγορούμενα) quia prædicantur, seu enuntiantur, seu dicuntur de pluribus, vel pluribus tribuuntùr, ut explicatum est. Quod vero quinarius iste numerus divisionem completam universalium univocorum complectatur probat Goudin, in *Logica majori*, P. I. Qu. I. Artic. IV. brevi hoc ratiocinio : « Universale est unum aptum inesse multis; sed quinque modis unum potest esse in multis; ergo quinque sunt species universalium. Probatur *minor*. Quod est in multis, vel in illis est ut quid essentiale, vel ut quid essentiæ adjunctum. Si sit ut quid essentiale, tribus modis in eis esse potest : 1°, ut tota eorum essentia, et sic est *species:* ut *homo* respectu Petri et Joannis; 2°, ut pars essentiæ, qua res convenit cum aliis, et sic est *genus;* ut *aminal* respectu hominis et equi; 3°, ut pars essentiæ, qua ab aliis speciebus discernitur, et sic est *differentia:* ut *rationale* respectu hominis. Si vero sit adjunctum essentiæ; vel ei adjungitur *necessario*, et sic est *proprium*, ut calor respectu ignis; vel ei contingenter inest, ut morbus aut sanitas homini, et sic est *accidens*. Ergo quinque modis unum multis inesse potest, ut *genus*, ut *species*, etc. » Hæc Goudin, qui quæstione secunda Operis citati fuse ac solide de quinque hisce universalibus disserit.

VI. Quo sensu génus dicatur pars speciei. Diximus genus concipi a nobis ut partem essentiæ specificæ; sed cavendum est ab æquivocationibus. Pars enim, si revera pars *proprie* sit, non potest affirmari secundum identitatem de toto; unde et absurdum et ridiculum simul esset dicere : corpus humanum est *brachium*. At

genus tamen affirmatur vere de specie, ut cum dicitur : homo est *animal*. Non ergo genus mera pars speciei est dicendum. Propterea igitur genus affirmatur secundum identitatem de specie, quia genus dicit *indeterminate* quod *determinate* dicitur a specie ipsa. Audiatur Angelicus, qui, in Opusculo, *De ente et essentia*, Cap. III. (in princip.), rem hanc scientiis pernecesseriam egregie illustrat : « Patet ergo, sic ille, quod essentia hominis *(species)* et *Socratis (individua persona)* non differunt nisi secundum signatum *(determinatum)* et non signatum *(indeterminatum)*. Unde Commentator dicit super VIII. *Metaphysicorum*, quod Socrates non aliud est quam animalitas et rationalitas, quæ sunt quidditas *(essentia)* ejus. Sicut etiam essentia generis et essentia speciei secundum signatum et non signatum differunt, quamvis alius modus designationis sit utrobique : quia designatio individui respectu speciei est per materiam determinatam dimensionibus; designatio autem speciei respectu generis est per differentiam constitutivam, quæ ex forma rei sequitur. Hæc autem determinatio, vel designatio, quæ est in specie respectu generis, non est per aliquid in essentia speciei existens, quod nullo modo in essentia generis sit; immo quidquid est in specie est etiam in genere ut non determinatum. Si enim animal non esset totum quod est homo, sed pars ejus, non prædicaretur de eo, cum nulla pars integralis prædicetur de suo toto. » Prosequitur ibidem sanctus Doctor in declaratione hujus doctrinæ; sed a longioribus citationibus abstineo, ne tironum mentes plus æquo onerare videar.

ARTICULUS QUINTUS

(5)

De coordinatione universalium.

I. Ratio articuli. In consuetudine hominum est de diversis generibus et speciebus rerum loqui, sicut de generibus animantium, de speciebus piscium, et similium. Quocirca interest plurimum ut multitudo generum ac specierum ad unitatem quamdam reducatur, ne mens debita claritate in suis cognitionibus careat. En ratio tum præsentis cum sequentis articuli.

II. Generum coordinatio. Igitur genus dividitur in *supremum*, *infimum* et *subalternum*, seu intermedium. *Genus supremum* illud est quod supra se non habet alia genera, sed

immediate ponitur sub transcendentalibus ideis (4, II). Unde ipsum nulla ratione potest esse species. Ita *substantia* est genus supremum, quia nihil ipsa, nisi ens aliaque transcendentia, universalius invenire licet. *Genus infimum* illud dicitur quod sub se non alia genera continet sed solummodo species. Hinc *animal* est genus infimum, quia ad inferiora descendendo invenies *homines* et *belluas*, scilicet species ipsius generis *animalis* : quod relate ad easdem species dicitur *genus proximum*. — Denique, *genus subalternum* illud vocatur quod tam supra se, quam sub se aliud vel alia genera habet; cujusmodi est *vivens*, cujus genus superius est *substantia*, et genus inferius est *animal*.

III. Coordinatio specierum. Sicut genera, ita et species dividuntur in *supremas*, *infimas* et *subalternas*. — Nempe, *species suprema* illa est, quæ non alias species, sed genus *supremum* immediate supra se habet, ut *corpus*, quod supra se habet *substantiam*, quæ est genus supremum. — *Species infima* illa est, quæ sub se neque genera neque species habet, sed tantummodo *individua* : ita sub homine nonnisi individua humana sunt, Petrus, Paulus, etc.; *homo* igitur est *species infima*. Unde species infima nullo modo potest esse genus; et propterea a Scholasticis dicebatur species *specialissima*. — Denique, *species subalterna* tam supra se quam sub se alias species admittit; ut *animal*, quod respectu *viventis* est species, habet sub se species infimas, nempe *homines* et *bruta*; et *vivens*, quod est genus respectu animalis, est species respectu *corporis* et *substantiæ*. Unde *animal* stat inter duas species, quales sunt *homo* et *vivens*. Ex quibus manifestum est species subalternas ita esse species, ut sub alio respectu sint etiam genera, ut patet ex adductis exemplis.

IV. Differentiarum coordinatio. Eodem modo quo coordinantur genera et species, coordinantur differentiæ : differentiarum videlicet alia est *suprema*, alia *infima*, alia *subalterna*. — Differentia *suprema* est illa, quæ dividit supremum genus in suas primas species; tales sunt *incorporeum* et *corporeum*, unde substantia (genus *supremum*) dividitur in corpoream et in incorpoream : quæ habentur sicut primæ specificationes substantiæ. — Differentia *infima* illa dicitur, qua genus infimum, ut *animal*, trahitur ad speciem infimam; ut per *rationalitatem*, animal (genus infimum) fit *homo*, qui est species infima. — Denique differentia *subalterna* est illa, qua genera subalterna determinantur ad subalternas species. Ita *vivens* est differentia subalterna determinans, e. g., *corpus*, quod genus est subalternum.

V. Formulæ loquendi in Scholis. Haud raro accidit ut dicamus res differre vel *toto genere*, vel *specie*, vel *numero*. — *Toto genere* differunt quæ sub eodem genere proximo non continentur, ut *Petrus* vel *homo* et *arbor*. Genus vero *proximum* respectu alicujus rei dicitur illud quod immediate habetur, si præcisio fiat differentiæ specificæ; ita si homini detrahas *rationalitatem*, immediate habes *animal*. Animal igitur est genus proximum respectu hominis et bruti : consequenter *rationalitas* est differentia *ultima*, per quam homo a bruto specie differt. — *Specie* vero differunt quæ sub eodem quidem genere proximo, at non sub eadem specie inveniuntur, ut homo et brutum. — Denique *numero* tantum differunt, quæ in eadem specie ordinantur, ut humana individua.

VI. Undenam in nobis notiones specificæ et genericæ. Coordinationem generum atque specierum dedi, nullam mentionem faciens de modo quo mens nostra præfata genera speciesve efformat, ne salebrosam de origine idearum quæstionem rudimentis logicis satis incaute ingessisse merito reprehenderer. Attamen nonnulla hic delibare, claritatis gratia, quæ logicus adolescens portare facillime valeat, necesse omnino est, quin tamen in campum ideologicum excurramus. — Mens igitur nostra, vel levissima adhibita attentione in ea quæ sibi quotidie occurrunt, puta humana individua, videt profecto (et cur non videret?) ea utique ad invicem distincta, sed tamen convenire in unitate quadam essentiali, quæ hominis natura dicitur. Quæ unitas speciem exhibet, ut ex dictis liquido constat. Sicut autem comparat mens individua humana inter se, ita et eadem cum brutis confert : qua ex comparatione deprehendit id in quo utraque conveniunt, nempe *animalitatem*, et id in quo differunt, videlicet *rationalitatem*. Hinc exurgunt notiones *generis* et *differentiæ* et *specici*, quas notiones ad supremas species, ac genera suprema extendere non difficile est, si non solum homines cum brutis, sed cum viventibus, corporibus, aliisque rebus comparemus. Et quod dicimus de principalioribus generibus ac speciebus, de quibus unice in articulo sermo fuit, idem dicito de peculiaribus speciebus, puta, canibus, equis, avibus, piscibus, aliisque hujusmodi sexcentis, in quas subdividuntur species principaliores quæ, in casu, ut quædam genera considerantur. In omnibus enim animantium speciebus invenitur aliquid *unum* commune, scilicet esse *animal* seu *sensibile;* et illud accipitur ut *genus* earum. Invenitur etiam aliquid *proprium*, quod non excedit tamen limites *sensibilis* (sicut excedit *rationalitas* in homine), sed est *gradus* magis vel minus

perfectus *sensibilitatis :* qui cum non sit de intellectu *animalis* formaliter sumpti, sumitur ut differentia constituens atque distinguens invicem illas animantium species.

VII. Arbor porphyriana. Quo vero ordine exhibeantur genera et species videri utcunque potest in sequenti schemate, quod *Arbor porphyriana* in Scholis audit, quia Porphyrius (233-304) in sua *Isagoge* tradidit illud :



Substantia exhibet ideam maxime genericam, ad quam assurgimus movendo ab *individuis,* et ultra quam cessant *genera* et habentur *transcendentia.* Substantiæ si addantur oppositæ differentiæ, *corporea* vel *incorporea,* habentur vel *corpus,* nempe *substantia corporea,* vel *Deus, angelus, anima humana,* nempe substantiæ *incorporeæ.* Et ita de reliquis. Numeri vero 2*, 4*, 6*, 8*, designant successivas differentias, per quas substantia trahitur ad species *corporis, viventis, animalis, hominis. — Corporea substantia* est inter *supremas* species; *homo* est species *infima; vivens* et *animal* sunt species *subalternæ; corpus* et *vivens* sunt *subalterna genera.* Numerus 10 denique designat individua coordinata sub specie infima, et in quibus videre licet unita, ut ita dicam, quæ in superioribus divisim inveniuntur.

ARTICULUS SEXTUS

(6)

De categoriis.

I. Quid categoriæ significent. Quæ Aristoteles κατηγορίας, latini, duce Boëtio (470-526), *prædicamenta* dixerunt : quo nomine significantur *classes* seu suprema quædam rerum genera, ad quæ reducuntur, et quibus propterea subsunt (3, II) qualescumque ideæ specificæ vel categoricæ haberi a nobis possunt, ita ut nulla earum detur quæ in illis non contineatur. Post igitur divisiones et coordinationes universalium superest, ad complendum tractatum de idearum objectiva divisione, ut aliquid de his supremis generibus, quantum Logicæ est, summatim attingamus.

II. Distinctio prædicamentorum a prædicabilibus. In antecessum animadvertimus *prædicamenta* seu *categorias,* in hoc differre a *prædicabilibus,* quod prædicabilia sunt res vel objecta prout subsunt secundis mentis intentionibus (2, IX), quibus mens objecta ipsa considerat secundum id præcise quod in ipsis mens nostra ponit, nempe secundum rationem *generis, speciei, differentiæ,* etc., quæ, hoc modo considerata, non sunt nisi entia rationis (2, IX). At prædicamenta sunt res ipsæ prout subsunt primæ mentis considerationi *(ibid.),* per quam nempe res considerantur præcise ut in se sunt, et secundum quod in se habent *esse* vel *naturam,* quæ per definitionem designatur, et non secundum illud quod habent in sola mente et a mente. Nihilominus prædicamenta, quatenus considerantur ut universalia quædam, seu ut pluribus communia, sunt objectum Logicæ; quamvis sub alia ratione proprie considerentur a Metaphysica. Hinc non immerito Dominicus Soto (1492-1560), in suis Commentariis in *Isagogen* Porphyrii, hæc scribit in prologo ad *prædicamenta:* « Non considerantur hic secundæ intentiones quemadmodum in prædicabilibus : non enim definitur hic quid sit genus, aut species, aut aliud universale; sed explicantur naturæ *substantiæ, quantitatis,* etc., ut in particulari cognoscatur *quid de quo* prædicatur prædicatione generis aut accidentis, etç. Quocirca considerantur proprietates substantiæ et aliorum prædicamentorum secundum esse reale; ut recipere magis et minus,

recipere contraria, etc. : sed tamen omnia tractantur, ut inde sumatur judicium prædicationis. » (1).

III. Duo suprema genera rerum. Porro suprema rerum genera duo sunt, *substantia* et *accidens*. Nota nos in præsenti loqui de *generibus*, non vero de *transcendentalibus*, quæ supra omnia genera sunt, ut dictum est. Probatur itaque assertum. — Ens omne quod per ideam menti repræsentatur, aut tale est ut se possideat, ut ita dicam, et non indigeat aliquo subjecto cui inhæreat ad existendum; aut secus tali subjecto natura sua indiget. Non datur medium. Sed ens primo modo consideratum, communi hominum usu dicitur *substantia;* secundo modo acceptum dicitur *accidens*. Ergo substantia et accidens sunt suprema genera, in quæ ens transcendentale dividitur, et sub quibus cetera entia omnia continentur.

---

(1) Ideæ universales repræsentant universalia objecta, quorum alia vocantur transcendentalia, alia prædicabilia, alia prædicamenta.

Transcendentale est quod omnibus, quæ sunt aut esse possunt, convenit; *predicabile* est unum aptum inesse pluribus.

In eo igitur transcendentale a prædicabili distinguitur, quod transcendentale omnibus, prædicabile pluribus tantum competat.

Hinc quum transcendentalitas sit forma quæ competit omnibus, nequit dividi secundum rem, et discernitur solum secundum considerationem.

E contra, quum prædicabilitas sit aptitudo, qua natura prædicatur de pluribus, non de omnibus, ipsa prædicabilitas dividitur secundum rem, et fiunt quinque modi prædicabilitatis : *genus, species, differentia, proprium, accidens.*

Et ideo cum ea de quibus prædicatur transcendentale sint omnia, propterea non efformantur variæ series.

Ea vero de quibus prædicatur prædicabile sint plura, propterea efformantur variæ series. Quæ series prædicamenta dicuntur.

Prædicamenta primo dividuntur in substantiam et accidens, videlicet in seriem eorum, quæ sunt in se et non in alio, *substantiæ;* et in seriem eorum, quæ sunt in alio et non in se, *accidentia.*

Quia tamen substantia, ut substantia non dividitur, et accidens ut accidens dividitur in novem modos, ideo prædicamenta sunt decem.

Conceptus eorum quæ sunt in se, nempe substantialitatis, connotat quid perfectum in ratione entis, independens, nihil aliud exspectans, consequenter non suscipit ulteriorem determinationem, et unum habet modum essendi.

Conceptus eorum, quæ sunt in alio, nempe accidentis, connotat quid imperfectum in ratione entis : accidens non est ens simpliciter, sed ens entis, ens dependens, aliud exspectans; aliquid autem potest esse in alio multipliciter; consequenter accidens ut accidens, suscipit ulteriorem determinationem, et plures habet modos essendi.

IV. Accidens prædiamentale et accidens prædicabile. Sedulo hic notandum est, accidens *prædicamentale* toto cœlo differre ab accidente *prædicabili*. Namque accidens *prædicabile* dicit *modum* quo aliquid subjecto cuilibet inhæret, quatenus et inesse et abesse potest salva ipsius subjecti essentia, ut dictum est (4, III); at accidens *prædicamentale* exprimit modum quo ens existit; quatenus nempe non existit in se sed in alio, ut in subjecto ejus, abstractione facta a modo quo inhæreat, sive scilicet necessario sive contingenter. Et exinde sequitur quod inter substantiam et accidens prædicamentale non datur medium, quod alterutrum non sit, ut paulo supra probatum est; sed inter substantiam et accidens prædicabile datur medium, nempe *proprium* (4, III), quod utique est accidens prædicamentale sed non est accidens prædicabile. — S. Thomas, P. I. Qu. LXXVII, Artic. I. ad 5.

V. Novem accidentium genera. Accidens vero prædicamentale in alia novem genera subalterna dividitur, et sunt : *Quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs* et *habitus :* quibus accidentium generibus si addas genus *substantiæ*, habebis decem *categorias* ab Aristotele primo ordinatas, in quas omnes ideæ categoricæ (4, I) ultimo resolvuntur. In memoriæ commodum antiqui sequentibus versiculis categorias omnes comprehendebant :

Arbor — sex — servos — ardore — refrigerat — ustos;
(Substantia — quantitas — relatio — qualitas — actio — passio)
Ruri — eras — stabo — sed tunicatus ero
(Ubi — quando — situs — habitus).

Revera de aliqua substantia, puta de Petro, quæri potest : cujus staturæ fuerit *(quantitas)*; cujus filius vel pater *(relatio)*; qualis homo, bonus vel malus *(qualitas)*; quid egerit *(actio)*; quid perpessus fuerit *(passio)*; quo tempore vixerit *(quando)*; quo loco *(ubi)*; quomodo in loco se habuerit, sedens, ambulans, etc. *(situs)*; quibus vestibus utebatur *(habitus)*. Quibus quæstionibus expletis, nihil habes amplius quod requiras de supremis generibus, quæ hominem illum respiciunt; et quidquid peculiare subjungas, ad unum illorum genus plane reducitur.

VI. Auctor Libri de arte cogitandi. Auctor libri cui titulus est, *De arte cogitandi*, in prima parte Logicæ, Cap. III, improbat categorias Aristotelis ut arbitrarias, et hominem inducentes ad inanes verborum cortices pro sincero fructu accep-

tandos. Sed hæc animadversio auctoris cartesiani ex inconsideratione procedit. Categorias aristotelicas arbitrarias non esse, sed in ipsa rerum natura fundatas satis constat ex dictis; neque summi viri, quos inter sunt beatus Albertus Magnus, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, aliique magni nominis Scholastici, qui illas categorias et amplexi sunt et illustrarunt, arbitria imaginationis sunt prosecuti. — Sed, inquit auctor citatus, penes neminem jus est ad aliis leges præscribendas, qui non minus quam Aristoteles, uti poterunt suo jure ad objecta suarum cogitationum eo ordine disponenda, qui suæ philosophandi rationi sit maxime consentaneus. — Fateor, sed quid ex his sequatur non video. Nam unusquisque uti potest jure suo in disponendis propriis cogitationibus; sed hoc non impedivit quominus Auctor scripserit librum *de arte cogitandi*, in quo plura præscribuntur ad rectam philosophandi rationem. Numquid ipse in suo libro sibi jus arrogavit contra jus alterius? Minime gentium. Etenim cuilibet jus est eas investigare et tradere leges, quibus aptius mens dirigatur ad rerum veritatem inquirendam atque consequendam, a quibus legibus liberum est cuique recedere, si meliores inveniat; sed eas sequendas ratio dictat, si meliores non inveniantur. Et id præcise intendit Aristoteles in categoriis ordinandis. Aptior methodus philosophandi sibi rationabiliter visa est, quæ unitatem quamdam conferat ideis nostris; ad quam unitatem maxime categorias conferre probavit. — Nego denique per categorias homines induci ad inanes verborum cortices pro sincero fructu acceptandos : verus enim et in scientiis maximus fructus est ordinatio propriarum idearum; neque insuper putandum est viros summos, supra memoratos, inanes verborum cortices pro sincero fructu acceptasse. Sed hæc satis, et forsitan plus quam satis contra animadversiones Auctoris *Artis cogitandi*. Potius de unoquoque prædicamento nonnihil est delibandum, ne tirones logicæ nimium jejunos relinquamus.

VII. Explicantur prædicamenta. Quid sit *substantia*, quid *accidens*, jam dictum est, Hic solummodo noto substantias distribui ab Aristotele in *primas* et *secundas :* substantiæ *primæ* sunt individua, consequenter entia primæ intentionis (2, IX); substantiæ *secundæ* sunt genera et species, seu entia secundæ intentionis *(ibid.)*. Unde primæ a mente nostra intelliguntur ut subjectæ secundis, sicut inferiora superioribus.

Quantitas est, accidens *extensivum substantiæ in partes*. Est *continua*, si partes sunt unitæ; est *discreta*, si partes unione careant. Et continua est *permanens*, si partes simul

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

coexistant. ut in spatio; est *fluens*, si partes non simul, sed successive sunt, ut in tempore.

Relatio est, *ordo unius ad aliud*, seu accidens cujus natura est importare respectum ad aliud, ut *paternitas*, *filiatio*, *æqualitas*.

Qualitas est, accidens *modificativum* seu dispositivum subjecti *in se ipso:* ut quærenti, qualis sit Petrus, respondetur *bonus* vel *malus*. In quatuor species proximas subdividitur, et sunt : 1ª, *habitus* et *dispositio;* — 2ª, *potentia* et *impotentia;* — 3ª, *passio* et *patibilis qualitas;* — 4ª, *forma* et *figura*. — *Habitus* est qualitas difficile mobilis disponens subjectum ad prompte, faciliter et delectabiliter agendum; seu, ut ait S. Augustinus, Lib. LXXXIII. Qq., Qu. LXXIII, habitus animi *est cujusque disciplinæ perceptio usu roborata atque firmata*. Quod si hæc firmitas desit, erit simplex *dispositio*. — *Potentia* est aptitudo aliquid fortiter agendi; quæ si sit remissior, vocatur *impotentia*. — *Passio* est qualitas qua sensus nostri afficiuntur, ut *frigus*. Quod si affectio languida sit et vix aut ne vix quidem permanens, ut pallor vultus in periculo inopinato, dicitur simpliciter *passio;* si vero affectio illa permanenter vel quasi permanenter insit, ut pallor ex melancholica complexione, dicitur *patibilis qualitas*. — *Forma* est qualitas resultans in corpore ex terminatione quantitatis : quæ simpliciter dicitur *forma*, si agatur de rebus artificialibus, et dicitur *figura*, si agatur de rebus naturalibus. Hæc proprie; vulgo autem promiscue accipiuntur.

Actio est, accidens, quo causa constituitur actualiter causans. Est *transiens*, si aliquid producit ad extra, ut *scribere;* est *immanens*, si nihil ponat ad extra, et tota compleatur in ipso agente : quod proinde solum tali actione perficitur ut *imaginari*, *intelligere*. — Passio contra est accidens per quod subjectum constituitur actualiter recipiens effectum ab agente; ut *uri*, *secari*, etc. Distinguitur hæc *passio* a tertia specie qualitatis, quamvis in nomine conveniat.

Ubi est, determinatio in loco; ut esse *supra*, *infra*, *Romæ*, etc.

Quando est, determinatio in tempore; ut esse *præsens*, *præteritum* vel *futurum*.

Situs est, dispositio partium corporis resultans ex earum positione in loco; ut *stare*, *sedere*, *cubare*, etc.

Habitus, ut distinguitur a prima specie qualitatis, est dis-

positio resultans in corpore ex vestium superpositione, ut esse *togatum*, *armatum*, et similia. (1).

Hæc in Logica sufficiat prælibasse : horum enim naturam intimius perscrutari officium est Metaphysices.

ARTICULUS SEPTIMUS

(7)

De idearum divisionibus ex modo repræsentandi.

I. Ratio articuli. Traditis idearum divisionibus ex parte objectorum, sequitur ut, juxta ordinem præscriptum (2, I), dicamus de earumdem idearum divisionibus ex majori vel

(1) CATEGORIAE KANTIANAE. — Addi potest classificatio quam Kant eodem fine, sed diversitate executionis proposuit in sua *Logica Transcendentali*, lib. I, sect. III. Sub quatuor titulis sic illas categorias disponit :

1. Sub titulo *Quantitatis*, ponit Unitatem, Multitudinem, Totalitatem.

2. Sub titulo *Qualitatis* ponit Realitatem, Negationem, Limitationem.

3. Sub titulo *Relationis* ponit Substantiam et Accidens, Causam et Effectum, Reciprocationem utriusque.

4. Sub titulo *Modalitatis*, ponit Possibilitatem et Impossibilitatem, Existentiam et non existentiam, Necessitatem et Contingentiam.

At hoc novum inventarium conceptuum quos Kant vocat *puros;* quia sunt puræ cogitationes sine realitate objectiva, sic a P. LEPIDI judicatur et improbatur :

a) Hæ Kantianæ categoriæ scopo pro quo excogitatæ fuerunt non respondent; non enim sub ipsis veluti sub quibusdam supremis separationis signis, diversi ordines idearum, *per certas* series *distincti ac* ordinate *distributi*, collocari possunt. Etenim plures ex recensitis conceptibus sunt transcendentales, indeterminati, admodum vagi, ut manifesto apparet in iis quæ sub II et IV titulo reperiuntur. Nequeunt ergo ipsi pro diversis ordinibus idearum separandis, uti signa ac notae supremæ assumi.

b) Hae Kantianæ categoriæ non distribuuntur recte; siquidem haud omnes enumerati conceptus sunt *supremi* ac *primo per se diversi*. Sic conceptus qui sub tribus prioribus titulis leguntur, iis subduntur qui sunt sub quarto titulo. Nam nulla est *realitas*, nulla totalitas, nulla *multitudo*, nulla *causa*, nullus effectus qui a mente vere concipi possit quin ut *possibilis* aut *actu existens* concipiatur.

c) Item, conceptus significatus a voce *realitas*, complectitur quidquid a mente concipitur, habens rationem aliquam objectivam et proinde unitatem, *totalitatem*, etc.

d) Demum peto, quid significat illa vox *non existentia;* ipsa enim aut negat actualem realitatem rei et tunc idem omnino significat quod vox *possibilitas;* aut negat absolute omnem rea-

minori perfectione qua objecta ipsa manifestant. Constat enim experientia quotidiana circa unam et eamdem rem notiones non æque claras ac distinctas a diversis haberi : quod procul dubio ex idearum provenit perfectione.

II. Divisio generica. Ideæ igitur ex perfectione repræsentandi quadrifariam dividuntur, nempe : 1°, in ideas *claras et obscuras;* — 2°, *distinctas et confusas;* — 3°, *completas et incompletas;* — 4°, *adæquatas et inadæquatas.* Dicamus singillatim de omnibus.

III. Idea clara et idea obscura. Idea *clara* est illa, *cujus ope objectum ab ipsa expressum a quocumque alio discernimus;* hujusmodi sunt ideæ parentum atque amicorum nostrorum, ut a re sensibili exempla sumamus. — Idea *obscura* ex

---

litatem possibilem vel actualem, et tunc idem significat quod *impossibilitas.* Quæ duæ voces, *possibilitas* et *impossibilitas,* cum ponantur in primo membro IV tituli frustra proinde vox illa *non existentia* ponitur in secundo membro ejusdem tituli.

Categoriæ igitur Kantianæ non sunt aptæ ad distinguendos et ordinandos conceptus, sunt ipsæ notiones generales, quæ proinde potius confusionem animo ingerunt quam distinctionem. Ergo sunt rejiciendæ. Cf. *Elem. Ph. Chr.* vol. I, p. 186.

Categoriae Rosmini. Iste Auctor, post Kant, etiam proprias categorias invexit quas sic proponit in sua Logica, lib. I, Ser. I, cap. VIII, paragr. 9.

« Raccogliendo tutte queste diverse maniere (di attribuire il predicato al soggetto) i *predicati* possibili si distribuiscono in dieci classi così.

1. *L'Equivalente* (al soggetto), e. g. Homo-animal rationale.
2. *L'Ideale antecedente.* Quando expressum a prædicato *antecedit* id quod significatur per subiectum.
3. *Condizionale,* quando prædicatur de subiecto aliqua conditio sine qua ipsum esse non potest.
4. *Il primo dell' essenza.*
5. *La relazione essenziale.*
6. *L'essenziale, ossia* parte dell' essenza.
7. *La parte conseguente all' essenza,* i. e. pertinens ad integritatem rei.
8. *Il proprio,* i. e. quod consequitur essentiam ut est specifica.
9. *L'accidentale.*
10. *La relazione reale accidentale.*

I quali danno dieci predicamenti, cioè modi di predicare, *tratti dalla diversa relazione dei predicati ai subietti.* »

Cl. mus P. Lepidi (loc. cit. vol. I, p. 188) de rosminianis categoriis sequens profert judicium. « In hac enumeratione id potissime reprehendendum nobis esse videtur quod non desumatur ipsa directe juxta supremos ac diversos modos essendi rerum, sed juxta diversam relationem prædicati ad subiectum; et proinde hæc divisio non distribuit intellectualem cognitionem secundum

opposito illa est, *per quam objectum perceptum ab aliis non satis discernimus;* cujusmodi est idea objecti a longe perspecti, quod utrum sit homo, vel brutum, vel planta, dicere nequaquam possumus. — Manifestum est ideam *claram* simul et *obscuram* respectu unius objecti repugnare prorsus in uno eodemque homine; non repugnare autem in distinctis hominibus, ut aliunde ex experientia notum est. Sicut pariter experientia notum est ideam obscuram in uno homine posse fieri claram, sicut nobis frequenter accidit.

IV. Idea distincta et idea confusa. Idea *distincta* illa dicitur, *quæ clare exhibet notas* (1, VI), *quibus res aliqua constituitur, et ab aliis secernitur.* Quas notas si clare idea non referat, erit *confusa.* Ita claram justitiæ ideam habeo, si hanc virtutem a ceteris virtutibus distinguo; at idea *distincta* erit, si sciam notas quibus justitia formaliter seu in sua

---

rationem obiectivam realem, in ipsa cognitione repræsentatam, sed secundum *rationem dialecticam.* Porro prædicamenta debent esse suprema *genera rerum,* debent ipsa dividere *esse,* non prout esse significat *coniunctionem prædicati et subiecti* sed prout significat *entitatem rei.* Prædicamenta enim hoc scopo fuerunt excogitata ut *ratio es obiectivæ rerum idealiter* repræsentatæ in mente, per ordinatam seriem juxta *diversa genera distribuerentur.*

Quod cum per divisionem entis realis fieri debeat non autem per divisionem illam logicam identitatis prædicati et subiecti, sequitur Rosminianam distributionem prædicamentorum bonam quidem posse esse pro ordinandis *formaliter* et *dialectices* judicia rationis, non autem pro ordinandis ideis obiective acceptis, de quarum ordinatione modo quærimus. Et vere quidem circa ordinationem elementorum ex quibus omnis nostra cognitio constituitur, diversæ illæ formæ judiciorum nihil efficiunt; non sunt ipsæ loculamenta e quibus veluti ex promptuariis, materia desumi possit ad *definiendum,* ad *dividendum,* ad *judicandum,* ad *demonstrandum:* unitas, varietas, affinitas idearum ex parte rationis obiectivæ unde concinna ac pulcherrima affulget conceptuum ordinatio, per divisionem illam judiciorum nullibi appareret. Hæc omnia vero per Aristotelis prædicamenta habentur. Rosminiana igitur prædicamenta, ad scopum nostrum quod attinet sunt rejicienda ».

— Alii alium categoriarum numerum statuerunt. Ex antiquis, Pytagorici viginti, Epicurei decem, Stoici quatuor, Plato et Plotinus quinque, nec Aristotelis semper eundem retinuit numerum. Recentiores vero philosophi prædicamenta et prædicabilia plerumque confundentes, alias iterum statuerunt Categorias: Herbert duas, Kirchman 12, Harthman non minus quam 25 et alii earum diversum numerum. Sed series categoriarum magis conveniens quam aristotelica usque nunc fere in omnibus Scholis recepta a nullo inventa est, ac proinde hæc a nobis est retinenda. Cf. HUGON, vol. V, pp. 220-222.

specifica natura constituitur, videlicet quod sit, *firma atque constans voluntas reddendi unicuique quod suum est.* — Patet ergo ideam *distinctam* a fortiori esse *claram :* ideam *obscuram* a fortiori esse *confusam.* Sed ideam *claram* posse esse *confusam,* sicut ideam confusam posse esse claram.

V. **Idea completa et idea incompleta.** Idea *completa* est illa, *quæ notas omnes in quas resolvi possunt notæ principaliores,* ex quibus res constituitur et a ceteris distinguitur, *clare exhibet;* ut si quis haberet talem ideam hominis, ut sciret nedum illum constare ex animalitate et rationalitate, sed animalitatem sciret resolvere in sua logica elementa, nempe vitam et sensibilitatem, etc., usque dum perveniret ad simpliciora elementa; iste profecto ideam hominis haberet completam; *incompleta* igitur erit idea, quæ id non præstat. — Hinc idea *completa* semper est *distincta;* idea vero *incompleta* potest esse distincta qua notas refert, sed est *confusa* quatenus *notarum notas* non distinguit.

VI. **Idea adæquata et inadæquata.** Ut vox ipsa indicat, idea *adæquata* illa est *quæ rem ipsam adæquat* ita, ut totum et totaliter id exhibeat quod in re est vel esse potest, et nihil quod rem ipsam respicit lateat mentem (cf. inf., n. IX). *Inadæquata* erit illa quæ ab hac perfectione deficit. — Quocirca idea *adæquata* a fortiori est *completa;* sed *completa* esse potest idea *inadæquata,* qua parte scilicet deficit ab æquatione cum re intellecta.

VII. **Corollarium.** Ex his omnibus hucusque in articulo definitis colligitur, ideas omnes ex perfectione repræsentandi differre ratione *majoris vel minoris claritatis* qua collustrantur; quæ major vel minor claritas *gradus* claritatis in recentioribus scholis audit.

VIII. **Philosophiæ Lugdunensis opinio de ideis obscuris.** Philosophia Lugdunensis (1782), in *Logica,* Dissert. I. Cap. I. Art. II. § V. contendit ideas obscuras et confusas non philosophice sed populariter dici, quia philosophice loquendo omnis idea clara est atque distincta. « Admitti non possunt, ita ratiocinatur, ideæ proprie loquendo, id est ratione sui, obscuræ et confusæ, quin obscuritas et confusio ipsas afficiant ideas : atqui ipsas non afficiunt. Si enim obscuritas et confusio ipsis inessent ideis, quo plures de quodam objecto ideæ haberentur, eo magis crescerent in mente obscuritas et confusio, eoque minus clare, minusque distincte perciperetur objectum : atqui illud prorsus absurdum est. Constat enim apud omnes, eo clariorem et perfectio-

rem esse rei cujuslibet cognitionem, quo circa eam uberior est in mente idearum copia. »

Respondeo ideas obscuras ac confusas non perinde dici, ac si obscuritas vel confusio sit quid positivum afficiens ideas, ut lux parietem : nam obscuritas et confusio negationem important, qua significatur carentia lucis et distinctionis; sed dicuntur obscuræ vel confusæ per relationem ad objecta quæ menti manifestant. Quo sensu quis prohibet eas philosophice dici obscuras vel confusas? Ideas ad modum imaginum intelligimus (2, I); at imagines magis vel minus clare aut distincte nobis exhibere personam cujus sunt imagines, et vulgus dicit et philosophus tenet. — Ratio vero a philosophia lugdunensi inducta, quod videlicet cresceret obscuritas ex multiplicatione idearum, nihil valet. Si enim per hypothesim fingamus omnes successivas ideas unius rei, ejusdem esse gradus claritatis, neque crescit, neque minuitur cognitionis perfectio; sicut si multiplicentur imagines æque imperfectæ unius personæ, non magis ista per talem multiplicationem cognoscitur. At non hoc sensu intelligimus ideas nostras clariores fieri; sed tunc clarior fit idea cum explicatur, ut ita dicam, seu cum notas quibus objectum constituitur distinctius exhibet, quas antea non exhibebat. Quo in casu non habemus idearum multiplicationem, sed majorem repræsentationem seu expressionem unius ejusdemque ideæ.

IX. Adæquatio idearum juxta recentiores et juxta antiquos. Ideam *adæquatam* definivi, significatione desumpta ab ipso vocabulo *adæquari;* sed hanc definitionem non omnes suscipiunt. Sigismundus Storchenau, Log. P. I. Cap. II. § LVII. hæc scribit : « Facile patet in ideis adæquatis diversos perfectionis gradus dari : possumus enim ulterius progrediendo novas de notis notarum notas investigare, et sic porro. » Quæ verba ab idea adæquata manifeste excludunt perfectam adæquationem inter objectum mentale et objectum reale. Sententiæ citati auctoris subscribere inter alios videtur Liberatore, qui, *Logicæ.* P. I. Cap. I. Artic. III. vocat ideas *completas vel adæquatas.* Verum ego a rigorosa adæquationis significatione recedendum non esse existimo, eo vel maxime quod in hoc sensu, in quo antiquiores Scholastici usurparunt vocabulum *adæquatio,* nullus æquivocationi circa naturam veræ comprehensionis locus relinquatur. Unde Tongiorgi, *Institut. Logic.,* Lib. I. Cap. I, Artic. X. § 48, recte scribit : « Cum vera idea adæquata prorsus adæquari debeat objecto, ea solum idea videtur hoc nomine digna, quam veteres *comprehensivam* vocant. » Idea vero quam Storchenau vocat adæqua-

tam, revera est idea plus minusve distincta aut completa. — Cf. Roselli, *Logic.* Qu. X. n. 570, in *nota.*

ARTICULUS OCTAVUS

(8)

De divisione idearum inter se collatarum.

I. Ratio articuli. Hucusque consideravimus ideas tum in ordine ad objecta, tum in seipsis : at mens nostra respectu ipsarum idearum non est otiosa, sed eas ad invicem comparat, ac ordinat. Exinde oriuntur peculiares idearum denominationes, quas recensere in hoc articulo debemus, ut tractatus logicus circa ideas expleatur.

II. Fontes divisionis genericæ idearum inter se collatarum. Age vero, mens nostra ideas inter se comparando tria necessario reperit. Etenim : 1°, ideæ aut iisdem notis constant aut diversis; — 2°, et si diversis, aut ad invicem connectuntur, aliqua saltem ratione, aut secus; — 3°, et si neque connectuntur, aut saltem possunt conjungi in unam ideam compositam efformandam, aut non. Unde ex hoc triplici capite ideæ dicuntur *identicæ* vel *diversæ*, *associatæ* seu *connexæ* vel *insociatæ*, *associabiles* seu *consentientes* vel *insociabiles* seu *repugnantes.*

III. Ideæ identicæ et diversæ. Ut jam ex dictis patet, ideæ *identicæ* sunt illæ, *quæ ex eisdem notis resultant*, ita ut promiscue sumi possint; ut idea *hominis* et idea *animalis rationalis :* idem enim per utrumque terminum omnino exprimitur. Ideæ *diversæ* illæ sunt, *quæ diversis notis coalescunt*, ac proinde una pro altera sumi nequit; ut idea *hominis* et idea *lapidis.* — Fieri autem potest ut una idea sit vel *totaliter* alteri identica, ut in exemplo allato de homine et animali rationali videre est, vel solummodo *partialiter*, ut *animal-rationale* et *animal-irrationale* sunt quidem identicæ ideæ ex parte animalitatis, minime vero quoad se et ex toto : imo specifice inter se differunt.

IV. Expenditur opinio de intrinseca et extrinseca identitate vel diversitate idearum. Solent plerique hanc identitatem vel diversitatem idearum considerare vel in ipsis ideis, et eam dicunt *intrinsecam*, quasi illas afficientem; vel in ordine ad objecta quæ referunt, et eam vocant *extrinsecam* seu *objectivam.* Sed, ni

mea me fallat opinio, hæc subdivisio æquivocatione non caret. Etenim ideæ, ut ideæ sunt, quamvis mentale quid sonent, tamen ita objecta præ se ferunt et ad ea essentialiter ordinantur, ut, si abstrahas ab hoc ordine ad objecta, jam ideæ propriam naturam amittant (1, IV). Non igitur ideæ diversæ aut identicæ in se dicendæ sunt nisi quatenus præcise *objecta* expressa sunt identica aut diversa. — Sed dices : ideæ possunt esse in se diversæ et tamen objective identicæ; ut idea *candidi* et idea *frigidi* sunt in mente et intrinsece ideæ diversæ, quæ tamen in nive identicæ reperiuntur, quippe quod nix et frigida sit et candida. — Respondeo objectivum ideæ *candidi* esse *candidum*, et objectivum ideæ *frigidi* esse *frigidum*, et hujusmodi ideæ sunt objective distinctæ, quia distincta exprimunt objecta. Quod vero in nive unita inveniantur, probat tantummodo objecta distincta in se posse esse identica ratione *materiæ* seu subjecti in quo reperiuntur, ut, ex. gr., designata nive, potest dici et revera dicitur : *frigidum est candidum*. Ut puto, philosophi præcitati per τὸ id *quod est objectivum* materiam intelligunt; quo in casu, ut omnis æquivocatio vitetur, melius et verius, non *objective* sed *materialiter* est dicendum. Nempe in exemplo allato de nive hoc modo est distinguendum : *frigidum* et *candidum objective* seu *intrinsece* vel *formaliter* sunt ideæ distinctæ; *materialiter* seu *extrinsece* vel *ratione subjecti* sunt identicæ : scilicet, sunt unum *subjecto*, quatenus, in casu, unum est subjectum candidi et frigidi; sunt formaliter vel ratione distinctæ, quia objective acceptæ, diversas definitiones seu rationes vel formas suscipiunt. Et hac distinctione nullus æquivocationi locus relinquitur.

V. Ideæ associatæ. Accidit persæpe ut una idea habita excitet sponte sua alias ideas in mente; ut si cogito de loco meo natali, hæc idea alias in mente statim excitat, ac de una in aliam naturaliter excurro. Quod fieri profecto nequiret, nisi inter illas ideas aliquis existeret nexus. *Illæ* igitur *ideæ, quæ inter se tali mutuo nexu junguntur, ut una excitata aliam in mente revocet*, dicuntur ideæ *associatæ*. — *Insociatæ* contra illæ sunt, quæ neque in se, neque respectu cogitationum nostrarum nullo nexu tenentur.

VI. De multiplici nexu in ideis associatis. Consulto dixi, neque *respectu cogitationum nostrarum*. Etenim nexus idearum prædictus esse potest vel *objectivus*, seu ex natura ipsa objectorum, vel *subjectivus*, seu ex conditione ipsius subjecti cogitantis. — Nexus seu associatio objectiva habetur quando res ipsæ aut simili-

tudine aut relatione quadam mutuo ligantur, ut idea *fumi* et idea *ignis*, idea *ignis* et idea *combustionis;* et ita porro. — Nexus, seu associatio subjectiva a conditione, ut diximus, pendet subjecti cognoscentis; sicut transeuntibus per viam sponte menti subeunt quæ alias aut vidimus aut audivimus, aut experti sumus quocumque modo. Hæc porro subjectiva associatio triplici potissimum ex capite pendet : 1°, vel ex eo quod illæ ideæ, quæ associatæ occurrunt, simultanee aliquando a nobis sunt habitæ; — 2°, vel quia similes aut oppositas impressiones aliquando experti sumus; — 3°, vel denique quia in similibus aut oppositis circumstantiis versamur. Quæ omnia satis quisque melius quam valeant explicari ex se intelligit, si paulisper ad ea attendat quæ in vita quotidie sibi occurrunt.

VII. Ideæ sociabiles et insociabiles. *Sociabiles* ideas illas dicimus, *quæ in uno eodemque subjecto convenire possunt*, atque proinde in unam ideam complexam (2, IV) conjungi; ita *justitia* et *misericordia* sociabiles ideæ sunt. *Insociabiles* sunt illæ, *quæ simul in uno eodemque subjecto stare non queunt, sed ad invicem se excludunt;* ita *materia* et *cogitatio*, *rotunditas* et *quadratura*, ideæ sunt insociabiles.

VIII. De oppositionis speciebus. Hæc insociabilitas idearum vocatur *oppositio*, quæ ideo abstracte sumpta est *repugnantia* unius ideæ vel unius rei cum alia, *essendi simul et sub eodem respectu in uno eodemque subjecto.* Oppositionis vero quatuor species recensentur, *contradictoria*, *privativa*, *contraria* et *relativa*. *Contradictoria* est *inter rem et ejus negationem;* ita *homo* et *non-homo* sunt ideæ contradictoriæ. *Privativa* est *inter formam seu proprietatem et ejusdem carentiam in subjecto*, cujus natura importat illius formæ exigentiam habere; ita *visio* et *cæcitas* in homine sunt ideæ privative oppositæ. — Et nota discrimen inter *simplicem negationem et privationem:* prima enim a connotatione seu exigentia in subjecto ad habendam formam abstrahit; secunda illam exigentiam includit. Unde *cæcitas* non dicitur *privative* de lapide, sed de *animali*, cujus natura est visum habere. — Oppositio *contraria* est *inter ideas vel res positas sub eodem genere*, sed quæ *in uno et eodem subjecto simul conjungi non possunt:* ita virtus et vitium sunt species *habitus* (6, VII); et tamen repugnat hominem esse simul *virtute præditum* et *vitiosum*. Dico *simul*, quia successive fieri potest, ut homo virtutem amittat et vitiosus evadat, et vice versa, ut per se notum est. — Denique oppositio *relativa* est *repugnantia inter*

duo vel plura ex mutuo ordine, quem ad invicem dicunt, proveniens; ita *pater* et *filius* opponuntur relative, et repugnat quod pater sub eodem respectu sit filius et quod filius sit pater.

IX. De postprædicamentis antiquorum. Quæ ideis atque rebus inter se comparatis conveniunt, antiqui *postprædicamenta* dixerunt. Quinque numerantur, scilicet, *oppositio*, *prioritas*, *simultas*, *motus* et *modus habendi*. De oppositione jam dictum est, atque alia plura dicemus in tractatu de propositionibus; de aliis nonnihil est delibandum, præsertim de *prioritate* et *posterioritate*, quarum notitia philosopho non levem affert utilitatem.

Prioritas generatim sumpta est, *præcessio unius ad alterum*, sicut arbor prior est fructibus ab ipsa productis. Et quia quinque modis aliud ab alio præcedi potest, quintuplex est prioritas, *durationis, naturæ, consequentiæ, ordinis* et *dignitatis:* quibus ex opposito correspondet quintuplex gradus posterioritatis. — *Prioritas durationis* est *præcessio existentiæ unius ad existentiam alterius;* ita senex præcedit puerum. — *Prioritas naturæ* est *coexistentia duarum rerum, ita tamen ut una esse accipiat ab altera;* ita sol est simul cum sua luce, sed lux est a sole. — *Prioritas consequentiæ* est *præcessio unius ad alterum*, quatenus *hoc secundum subaudit et includit primum;* ita animal præcedit hominem, et genus speciem, quia non esset homo, si non esset animal : at potest dari animal quin sit homo; unde non valet consequentia : *est animal; ergo est homo;* valet tamen : *est homo; ergo est animal.* — *Prioritas ordinis* est *præcessio unius ad alterum in rerum dispositione:* ita in materiis philosophicis Logica præcedit alias philosophiæ partes. — *Prioritas dignitatis* est *præcessio unius ad alterum in ratione officii;* ita rex, ut rex, subditos præcedit.

Simultas opponitur prioritati, et est *negatio præcedentiæ unius ad alterum*. Est vel *durationis* vel *naturæ*, etc., secundum quod negatur vel præcedentia *durationis* inter unum et alterum, vel præcedentia *naturæ*, vel *consequentiæ*, vel *ordinis*, vel *dignitatis*.

Motus late sumptus est *transitus ab uno in alium statum* Sex species numerantur : 1° *generatio* quæ est *transitus a non esse ad esse substantiale;* ut cum generatur animal; — 2°, *corruptio*, quæ, ex opposito ad generationem, est *transitus ad esse ad non esse;* ut cum animal moritur; — 3°, *augmentatio*, quæ est *transitus a minori ad majorem quantitatem;* ut cum corpus nostrum adolescit; 4°, *diminutio*, quæ, ex opposito ad augmentationem, dicitur *transitus a majori ad minorem quantitatem*, ut cum corpus nostrum infirmitate consumitur; — 5° *alteratio*, quæ est *transitus subjecti ab una in aliam qualitatem;*

ut cum homo repentino periculo perditus vultu pallescit; — 3°, *latio*, quæ est *transitus corporis ab uno in alium locum* : et hoc est quod vulgariter intelligimus vocabulo *motus*.

Modus habendi dici potest, *determinata ratio, qua unum alteri inest, vel inhæret;* quod quintuplici modo esse potest; 1°, per *inhæsionem*, ut lux parieti; — 2°, per *continentiam*, sicut dolium habet vinum; 3°, per *possessionem*, sicut homo habet agrum; — 4°, per *relationem*, sicut pater habet filium; — 5°, per *juxtapositionem*, sicut corpus habet vestem qua tegitur (1).

ARTICULUS NONUS

(9)

De ideis in ordine ad mentem.

I. Ratio articuli. Ultimo loco denominationes idearum per ordinem ad ipsam mentem sunt assignandæ : quæ ultimæ denominationes ex modo inferuntur quo objectum cognitum menti cognoscenti manifestatur. Præmitto doctrinam sancti Thomæ, quæ magnam lucem affert in hac materia : quippe quæ attingit fundamenta ipsa nostrarum cognitionum.

II. De triplici modo cognoscendi res « Aliquid, inquit Angelicus, tripliciter cognoscitur. Uno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente sicut si lux videatur in oculo et sic Angelus intelligit seipsum. Alio modo per præsentiam suæ similitudinis in potentia cognoscitiva; sicut lapis videtur ab oculo per hoc, quod similitudo ejus resultat in oculo. Tertio modo per hoc quod similitudo rei cognitæ non accipitur immediate ab ipsa re cognita, sed a re alia, in qua resultat; sicut cum videmus hominem in speculo. » Hæc sanctus Thomas, P. I. Qu. LVI. Artic. III. et fusius in Librum Boetii *de Trinitate*, Qu. I. Artic. II : quibus si paulisper attendas, videbis non aliunde quam ex triplici capite assignato posse nobis provenire cognitiones rerum. *Idea, quæ immediate accipitur a præsentia reali rei cognitæ* dicitur *intuitiva;* — quæ vero *accipitur non immediate ab ipsa re cognita, sed a re aliqua in qua resultat*, dicitur *abstractiva*. Consequenter mentis actus, quo res intelligitur duobus prioribus modis, scilicet aut per præsentiam suæ essentiæ in ipsa mente, aut per similitudinem seu ideam acceptam immediate a re

1. De Logica postprædicamentali fusiorem sermonem habet. A. Pesch. *Loc. cit.* Disputatio tertia, sectio prior, vol. II, 2.

ipsa, dicitur *intuitio* seu *cognitio intuitiva*, et etiam *visio* stricte accepta; actus vero mentis qui exercetur per ideam abstractivam, dicitur *cognitio abstractiva*. Hinc cognitione intuitiva video *florem*, sentio *me sentire*, intelligo *me intelligere;* cognitione *abstractiva* cognosco ignem ex fumo, causam ex effectu, et similia.

III. **Idea directa et idea reflexa.** Porro, ut per experientiam notum est, aut objectum primo menti subest, aut mens sponte sua redit in objectum cognitum, ut ipsum melius penetret et consideret. Primo modo considerata cognitio dicitur *directa;* secundum autem cognitionis genus dicitur cognitio *reflexa*. Et ideo *directæ* vel *reflexæ* appellantur ideæ relativæ. Ita ideam directam ex hominis præsentia efformo; sed reflexe revoco in mentem ideam ipsam et accuratius expendo. Patet autem *reflexionem* exerceri posse tum in objectum ideæ intuitivæ, tum in objectum ideæ abstractivæ. Quod si objectum istud *recogitatum* sit aliquid a subjecto cogitante distinctum, reflexio dicitur *ontologica*, et etiam simpliciter *recogitatio;* sin autem reflexio attingat ipsos actus subjecti cogitantis, ut *sentire*, *intelligere*, *velle*, dicitur reflexio psychologica, seu subjectiva, et apud recentiores communiter vocatur *conscientia*. Attamen conscientia non est nisi pars, ut ita dicam, reflexionis psychologicæ, quia reflexione psychologica mens scrutatur naturam suorum actuum et ipsam conscientiam : hæc autem tota exclusive est in attestanda *existentia* actuali affectionum animi nostri (inf., artic. 52, VII).

IV. **Recensentur aliæ denominationes actuum mentis.** Quia sermo incidit de quibusdam denominationibus, quibus actiones mentis designamus, opportunum ducimus hic alias adjungere, quæ et in scientiis et in usu communi frequenter occurrunt. — *Abstractio* est *mentis actus quo ex variis notis quæ in objecto sunt, unam consideramus separatim*, non quidem, ut acute notat sanctus Thomas, in III. *de Anima*, Lect. XII. intelligentes illas notas esse in objecto separatas, sed *separatim vel seorsum intelligentes*. Quod Angelici principium cautissime est notandum et præ mente in philosophicis disciplinis semper habendum, ne *separata* in rebus dicamus, quæ per mentem *separatim* in ipsis apprehendimus. Ita in homine singulari intelligimus, abstractionis ope, humanam naturam, scilicet elementum universale, quod commune habet cum ceteris hominibus, quin consideremus notas ejus individuantes, quibus a ceteris hominibus discriminatur; at

in præfato individuo *natura humana* et *notæ individuantes* separatim quidem, sed non separata ponuntur aut existunt.

Attentio est *animi aversio a quocumque alio objecto ut in unum solummodo aciem figat.* Ut patet, *attentio* est quædam species *abstractionis,* a qua tamen differt in hoc, quod attentione animus avertit se a ceteris objectis, ut unum consideret; contra per abstractionem consideramus separatim quæ revera in objecto separata non sunt.

Præter hos actus dantur etiam alii, ut *meditatio, cogitatio, contemplatio,* quos egregie explicat Angelicus, II-II. Qu. CLXXX. Artic. III. ad 1, cujus verba hic transcribo : « *Cogitatio,* secundum Richardum de Sancto Victore, pertinere videtur ad multorum inspectionem, ex quibus aliquis colligere intendit unam simplicem veritatem. Unde sub *cogitatione* comprehendi possunt et *perceptiones* sensuum ad cognoscendum aliquos effectus, et *imaginationes,* et *discursus* rationis circa diversa signa, vel quæcumque perducentia in cognitionem veritatis intentæ : quamvis secundum Augustinum, XIV. *de Trinitate,* Cap. VII. *cogitatio* dici possit omnis actualis operatio intellectus. *Meditatio* vero pertinere videtur ad *processum* rationis ex principiis aliquibus pertingentis ad veritatis alicujus contemplationem. Et ad idem pertinet *consideratio,* secundum Bernardum, *de Consideratione.* Lib. II. Cap. II : quamvis secundum Philosophum, in II *de Anima,* omnis operatio intellectus *consideratio* dicatur. Sed *contemplatio* pertinet ad ipsum *simplicem intuitum* veritatis. Unde idem Richardus dicit, Lib. I, *De contemplatione,* Cap. IV, quod *Contemplatio* est *perspicax et liber animi intuitus in res percipiendas; Meditatio* autem *est intuitus animi in veritatis inquisitione occupatus; Cogitatio* autem *est animi respectus ad evagationem pronus.* » Et in responsione ad 2, articuli citati, animi *speculationem* ad ipsam *meditationem* reducit sanctus Thomas : « *Speculatio,* ut Gloss. ordin. (Augustin, lib. XV. *de Trinitate,* Cap. VIII) dicit, *dicitur a speculo, non a specula.* Videre autem aliquid per speculum, est videre causam per effectum, in quo ejus similitudo relucet. Unde *speculatio* ad *meditationem* reduci videtur. » Hæc quidem sapienter dicta sunt, et usu retinenda : at non ita rigorose insistendum, dummodo in sermonibus nostris ab æquivocationibus omnino abstineamus.

CAPUT SECUNDUM

DE IDEARUM SIGNIS

Prologus. Latentes animi nostri conceptus aliis communicamus, in qua communicatione præcipue consistit humana societas. Media quibus fit hæc ipsa manifestatio, *termini* seu *signa* nostrarum idearum sunt. Unde, peracto logico tractatu de ideis, e vestigio subnectimus tractatum de idearum signis: et dicendum est : 1°, de eorum natura; 2°, de eorum divisionibus et proprietatibus.

ARTICULUS PRIMUS

(10)

De natura terminorum.

I. Signi notio. Vulgata est illa *signi* notio tradita a sancto Augustino : « *Signum est... res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire :* sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est, cogitamus; et fumo viso, ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita, affectionem animi ejus advertimus; et tuba sonante, milites vel progredi se vel regredi, et si quid aliud pugna postulat, oportere noverunt » (*de Doctrina christ.*, lib. II. Cap. I. n. 1). Consideranti hujusmodi verba sancti Augustini apparet, signa, quoad nos, primo et principaliter dici quæ sensibus offeruntur, ut, allegans ipsius sancti Doctoris verba, notat Angelicus, P. III. Qu. LX, Artic. IV. ad 1 : quia nempe effectus sensibiles per se habent quod nos ducant in alterius cognitionem; quod quidem facere non possunt effectus intelligibiles nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia.

II. De signis logicis Signa vero alia sunt *formalia*, alia *instrumentalia;* et instrumentalium alia *naturalia*, alia *data* seu *arbitraria*. Ratio est, quia signum ducit in cognitionem alterius vi *connexionis* vel alicujus perspectæ *associationis* (8, V et VI) cum hoc altero : quæ connexio aut est similitudo existens inter signum et signatum, aut quævis alia connexio quæ similitudo non sit. *Signum ducens in cognitionem alterius vi similitudinis*, dicitur signum *formale; — signum ducens in alterius cognitionem vi cujuslibet alterius con-*

nexionis, dicitur *instrumentale*. Ita *imago* est signum formale personæ quam repræsentat; *fumus* est signum instrumentale ignis.

Hæc *connexio* in signo instrumentali cum signato, aut *est independenter ab hominum institutione*, ut fumus significat ignem; aut *pendet ab hominum libera voluntate*. Primum signum vocatur instrumentale *naturale;* alterum instrumentale *arbitrarium*. Quæ omnia egregie explicat et exemplis illustrat Augustinus, Op. et lib. cit., Cap. I. n. 2, et II. n. 3 :

« Signorum igitur alia sunt *naturalia;* alia *data*. *Naturalia* sunt, quæ sine voluntate atque ullo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est fumus significans ignem. Non enim volens significare id facit, sed rerum expertarum animadversione et notatione cognoscitur ignem subesse, etiam si fumus solus appareat. Sed et vestigium transeuntis animantis ad hoc genus pertinet : et vultus irati seu tristis affectionem animi significat, etiam nulla ejus voluntate qui aut iratus aut tristis est : aut si quis alius motus animi vultu indice proditur, etiam nobis non id agentibus ut prodatur. — *Data* vero signa sunt, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui, vel sensa, aut intellecta quælibet. Nec ulla causa est nobis significandi, id est signi dandi, nisi ad depromendum et traiiciendum in alterius animum id quod animo gerit is qui signum dat. »

III. De signo artificioso, certo et incerto. Ubaghs et cum ipso alii, inter signum naturale et arbitrarium tertium ponunt, quod vocant signum *artificiosum*, nempe signum illud quod partim natura, partim hominum arbitrio significat; cujusmodi sunt *barometrum, bracteola* venti index, *tabula picta* imaginationis interpres, et alia ejusdem generis plurima. Sed, fatente laudato Auctore, signum artificiosum vel ad naturale, vel ad arbitrarium commode revocari potest; unde breviorem antiquorum divisionem amplectimur. Additur insuper divisio signi in *certum* et in *incertum*, ut idem Ubaghs ponit, Logic. P. I. Cap. I. §. VII : signum *certum* est, *quod aliquid determinate significat; incertum* est illud, *quod plura potest significare*, ut rubor vultus.

IV. De signis logicis. Sepositis aliis signorum generibus, ea solummodo hic expendere lubet, quæ ad logicæ officium pertinent, scilicet, quibus latentes animi nostri conceptus aliis communicamus. — « Signorum vero quibus inter se homi-

nes sua sensa invicem communicant, quædam inquit sanctus Augustinus, Op. et lib. cit., cap. III. n. 4, pertinent ad oculorum sensum, ut gestus, vexilla militaria, et alia hujusmodi, potissimum vero scriptura; pleraque ad aurium sensus, ut voces articulatæ; paucissima ad ceteros sensus. » Sed, ut ipsemet sanctus Doctor ibidem addit : « Innumerabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes homines exserunt, in *verbis* constituta est. Nam illa signa omnia, quorum genera breviter attigi, potui verbis enuntiare; verba vero illis signis nullo modo possem. » Unde, « Verba... prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit. » Imo ab ipso verbo sensibili, ipse mentis conceptus, qui per illud manifestatur, dictus est *verbum cordis*, seu *verbum mentis* vel *verbum mentale* (1, VII et VIII).

V. Signi logici definitio. Hinc facile intelligitur quid sit signum, de quo in Logica sermo est, et quod vulgo etiam *terminum* dicimus. Nempe est *signum rei simplici apprehensione perceptæ*. Quia vero simplex apprehensio ad judicium ordinatur, in quo perfectio cognitionis habetur, Aristoteles definit *terminum* per ordinem ad propositionem, dicens terminum esse, *id in quod resolvitur propositio tanquam in prædicatum aut subjectum.*.

VI. Corollaria. Hinc inferuntur : — *Corollarium primum.* — *Verba quæ nullum mentis conceptum significant inter terminos logicos non sunt computanda :* hac enim in hypothesi *signa* non sunt.

Corollarium alterum. — *Verba per prius significant* mentis conceptum *seu* verbum (ad hoc enim ex se ordinantur), *secundario vero ipsas res, quæ verbi mentalis* objecta seu *termini sunt.*

Corollarium tertium. — *Scriptura per prius significat verbum orale* (ad hoc enim supplendum introducitur), *secundario vero verbum mentale et res ipsas.* — Cf. S. Th. in I. *Perihermencias.* Lect. II. n. 5; *Summ. Theol.* P. I. Qu. XIII. Artic. I et IV; et S. August. *de Doctrina Christiana*, Lib. II. Cap. IV et V.

VII. Necessitas vocabulorum et scripturæ. Hanc vocabulorum scripturæque necessitatem egregie illustrat Angelicus : « Si homo, inquit, esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animæ passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, et earum notitiam in se haberet; sed quia homo est animal naturaliter politicum et sociale, necesse fuit quod conceptiones unius hominis

innotescerent aliis, quod fit per vocem : et ideo necesse fuit esse voces significativas, ad hoc quod homines invicem conviverent. Unde illi, qui sunt diversarum linguarum, non possunt bene convenire ad invicem. Rursum, si homo uteretur sola cognitione sensitiva, quæ respicit solum ad *hic* et *nunc (præsens)*, sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa, sicut et ceteris animalibus, quæ per quasdam voces, suas conceptiones invicem sibi manifestant; sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quæ abstrahit ab *hic (loco)* et *nunc* (*tempore*), consequitur ipsum sollicitudo non solum de præsentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his, quæ distant loco et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his, qui distant secundum locum, et his qui venturi sunt in futuro tempore manifestet, necessarius fuit usus scripturæ. » In I. *Perihermenias*, Lect. II. n. 2. — Cf. Tullii Lib. II. *De officiis*, Cap. XVI.

VIII. Vocis notio ejusdemque discrimen a locutione. Vocis nomine generatim significatur quivis sonus sive articulatus sive non, emissus ab animantibus, et, per extensionem, etiam a rebus inanimatis. Definitur autem ab Aristotele, in II. *de Anima*, Cap. XVIII : *Sonus ab ore animalis prolatus, cum imaginatione quadam.* At locutio est *sonus articulata voce prolatus ad internos animi nostri sensus manifestandos*, ut dictum est. Unde *voces* nobis et brutis communes sunt, *locutio* autem nobis est propria. Audiatur iterum sanctus Thomas : « Videmus quod cum quædam alia animalia habeant vocem, solus homo supra alia animalia habet locutionem. Nam etsi quædam animalia locutionem humanam proferant, non tamen proprie loquuntur, quia *non intelligunt quid dicunt*, sed ex usu quodam tales voces proferunt. — Est autem differentia inter sermonem et simplicem vocem. Nam vox est signum *tristitiæ* et *delectationis*, et per consequens aliarum passionum, ut *iræ* et *timoris;* quæ omnes ordinantur ad delectationem et tristitiam, ut in secundo *Ethicorum*, Cap. III. dicitur. Et ideo vox datur aliis animalibus, quorum natura usque ad hoc pervenit, quod sentiant suas delectationes et tristitias, et hoc sibi invicem significent per aliquas naturales voces, sicut leo per rugitum, et canis per latratum : loco quorum nos habemus *interjectiones*. Sed locutio humana significat quid est *utile* et quid *nocivum*. Ex quo sequitur quod significet *justum* et *injustum*. Consistit enim justitia et injustitia ex hoc quod aliqui adæquentur vel non adæquentur in rebus utilibus et nocivis. Et ideo locutio est propria hominibus, quia hoc est proprium eis in comparatione ad alia animalia

quod habeant cognitionem boni et mali, ita et justi et injusti, et aliorum hujusmodi, quæ sermone significari possunt. » In I. *Politicorum*, lect. I.

IX. Vocum species. Ex hac sancti Thomæ argumentatione ratio educitur, quare voces a philosophis quadrifariam dividantur : 1° Aliæ enim voces sunt puri soni, nullam scilicet significationem habentes, neque ex se neque ex instituto hominum, sicut vox *blitri*, ut Aristotelis utar exemplo; — 2°, Aliæ sunt voces, quæ naturalem habent significationem, ut *gemitus* infirmorum et alia hujusmodi, quæ, ut jam dixi, sunt communia nobis ceterisque animantibus; — 3°, Aliæ sunt voces, quarum significatio statuta est a libera sive Dei sive hominum voluntate; et hujusmodi sunt *vocabula*, quibus communiter utimur : non enim vox *miles*, e. g., ex sua natura significat hominem armis addictum, sed ex hominum instituto; — 4°, Ex his vero vocabulis quædam, singillatim sumpta, completam significationem habent, ut *homo*, *pius*, et generatim *verba* et *nomina* et quæ ab his derivantur, nempe *adjectiva* et *participia*. Et hæc a Scholasticis dicebantur termini *categorematici*, a κατηγορέω, *prædico*, *enuntio*, vel *significo*. — Quædam contra singillatim accepta nihil significant, ut, *omnis*, *nullus*, *aliquis*, et similia, sed terminis per se significantibus conjunguntur ad eorum significationem magis determinandam. Hujusmodi vocabula a Scholasticis dicuntur *syncategorematica* a σύν, vel ζύν, *una simul*, *cum*, et κατηγορέω. Ad vocabula autem syncategorematica reducuntur ceteræ orationis partes, quæ non sunt neque nomina, neque verba, neque participia, et quæ, ut Angelicus ait, habentur magis ut « colligationes partium orationis, significantes habitudinem unius ad aliam, quam orationis partes; sicut clavi et alia hujusmodi non sunt partes navis, sed partium navis conjunctiones ». In I. *Periherm.* Lect. I.

X. De nomine et verbo. Quia nomen et verbum præcipuæ sunt *orationis* partes, nonnula de ipsis explicitius sunt addenda.

Nomen definitur ab Aristotele, in l. *Perihermeneias*, Cap. VI : *Vox significativa ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separata.* Dicitur *vox significativa*, quia *nomen* est in genere *vocis*. Dicitur *ex instituto* hominum, et per hoc distinguitur nomen a vocibus significantibus naturaliter, sicut *gemitus infirmorum* et *voces brutorum animantium*. Dicitur *sine tempore*, quia *proprium nominis* (substantivi) *est, ut significet rem aliquam quasi per se existentem* non autem *per modum actionis* aut *passionis*, quæ tempus importare videntur aut reale aut secundum nostrum concipiendi modum. — Denique additur,

cujus nulla pars significat separata; ut in *homo*, *ho* et *mo* separatim sumpta nihil significant; et in *equiferus*, si sumas *equi* et *ferus*, non habent significationem quam in composito habent. — S. Thomas, *ib.*, Lect. I. et IV.

Verbum ab ipso Aristotele, *ibid.*, Cap. V. eodem modo definitur ac nomen, cum quo convenit in genere, sed additur differentia, *quod insuper tempus consignificat*, et *est semper signum eorum quæ de alio dicuntur*, seu prædicantur. — Dicitur significare *cum tempore*, quia verbum *actionem* seu *actualitatem* quamdam importat, quæ esto in se esse sine tempore possit, ut in Deo, tamen quoad nos, *actiones nobis notæ sunt in tempore*, ut notat S. Thomas *ibid.*, Lect. V. Et tempus *a verbo* significatum vel consignificatum, est semper tempus *præsens* quia verba *infinitivi modi*, et temporis *præteriti*, et *futuri*, *non sunt verba*, *sed casus verbi*, sicut casus verbi sunt verba *imperativi* et *optativi* modi. Additur quod est *signum eorum quæ de alio dicuntur*, quia verbo utimur ad ideas consociandas vel dividendas ope judicii, in quo significatur prædicatum actualiter inesse vel non inesse subjecto : quæ actualitas per verbum *sum*, *es*, *est* exprimitur, ut dicimus in tractatu de *judicio*. — S. Th. *ib.*, Lect. V.

XI. De scriptura. Quanta commoda tum progressui scientiarum tum societati ex scriptura proveniant, superfluum omnino est demonstrare : nemo enim qui rationis sit compos ea in dubium vertit. Qua in re, præter ea quæ ex D. Thoma transcripsi n. VII. hujus articuli, legatur Theodoretus, *De Providentia*, Orat. IV. ubi copiose de scripturæ commodis disserit. Hic tantum innuenda est distinctio scripturæ in *ideographicam* et *phonographicam*. Prima constat *imaginibus vel signis quibusque sensibilibus*, quæ plus minusve res ipsas quas significant exprimunt *similitudine vel symbolismo;* cujusmodi erat scriptura hieroglyphica Ægyptiorum. Altera vero, quæ etiam *phonetica* et *alphabetica* audit, est illa qua communiter utimur, seu, *quæ signis conventionalibus et permanentibus designat immediate ipsa vocabula*. « Quia verberato aëre statim transeunt *(voces)*, nec diutius manent quam sonant, instituta sunt per litteras signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua. » Ita sanctus Augustinus, Lib. II. *de Doctrina Christiana*, Cap. IV, n. 5.

XII. De Gestibus. Gestuum nomine hic intelligimus *quoslibet corporis motus ordinatos ad manifestandos internos animi nostri sensus*. Hujusmodi sunt vultus, et oculorum præsertim motio, manuum brachiorumque motus ordinati, concitata locutio, aliaque id genus bene multa. Gestuum usus ita nobis spontaneus

est, ut ipsi sine ulla voluntatis deliberatione sæpissime erumpant, et eis vis magna inest in communicandis nostris ideis, nostrique præcipue animi affectionibus : per ipsos enim veluti ob oculos veritates ponuntur, quas explicamus et suadere auditorum animis studemus. Unde deridendus est Voltaire, qui deridet prophetas Israel, eo quod per signa quædam sensibilia in semetipsis expressa, populo israelitico prædicebant quæ ipsi Dominus præparabat. Ignorabat insuper, vel ignorare fingebat gallus sophista, apud orientales populos præsertim morem viguisse designandi animi affectus signis sensibilibus et symbolicis. (1).

(1) His quæ tradit auctor pauca schematice addere opportunum videtur.

a) Idiomata si eorum structura spectetur, ad tres classes reduci possunt. *Monosyllabica* quæ tantum ex radicibus componuntur ideam exprimentibus absque mutatione. *Agglutinativa* in quibus monosyllaba evadunt verba polysyllaba, quamvis syllaba omnis flexionem et significationem propriam retineat. *Flexiva* in quibus radices alterationem in seipsis recipiunt et augentur ad efformandum verbum polysyllabum per subfixa, præfixa, et infixa.

b) Locutio *patognomica*, i. e. per gestus, est homini certissime *naturalis*, sed articulatio vocum, idest *idioma* proprie dictum, est ex parte naturalis et ex parte artificialis. *Naturalis*, hoc sensu quod homo a natura perfectissimum organum vocale habuit cum inclinatione illo utendi ad animi sensus et conceptus manifestandos : cujus signum est nullam tribum quantumvis barbaram idiomate aliquo caruisse et absque signorum auxilio mentem evolvi et perfici non posse. *Artificialis* vero est hoc sensu quod natura non dedit determinatas voces ad exprimendos determinatos conceptus, sed hoc ab arbitrio humano in multis pendet, sicut Poeta-philosophus dicit :

> Opera *naturale* è ch' uom favella,
> Ma, così o così, natura lascia
> Poi fare a voi secondo che v'abbella.
> Pria ch'io scendessi all' universale ambascia
> El s'appellava in terra il Sommo Bene.
> . . . . . .
> Eli si chiamò poi, ciò conviene
> Che l'uso dei mortali è come fronda
> In ramo, che sen va, ed altra viene.
> (Dante, c. XXVII, del Paradiso.)

Voces autem alicuius idiomatis mutari nequeunt nisi a populo qui ipso utitur; at mutationes induci non debent nisi cogat ratio sufficiens, sicut e. g. necessitas ideam exprimendi novam; quia non sunt multiplicanda verba sine necessitate, et quia *proprietas verborum est veritas rerum.*

d) Sepositis theoriis rationalistarum, hodie evolutio scientiæ linguarum probat illud Rousseau : « Idioma est donum Divinitatis », et unitas originis de die in diem confirmatur. Tamen in praesenti conditione Philologiæ quodnam fuerit idioma primum generis humani scimus nonnisi coniecturaliter.

ARTICULUS SECUNDUS

(11)

De divisionibus et proprietatibus terminorum.

I. Termini sequuntur idearum divisiones. Termini nonnisi signa idearum sunt. Igitur tot erunt divisiones terminorum quot assignavimus divisiones idearum. Est enim terminus universalis, si ideam universalem, singularis aut particularis, si singularem aut particularem ideam exprimit. Et ita de ceteris. Notandum nihilominus quasdam divisiones magis ideis quam terminis convenire, sicut sunt illæ, quas assignavimus ex modo significandi et ex ordine ad mentem (Artic. 7 et 9), quamvis non diffitemur obscuritatem vel claritatem inesse quoque terminis; vice versa, *æquivocatio* est defectus qui non idearum sed terminorum est proprius. Etenim terminus æquivocus ille est, *qui de rebus inter se omnino diversis dicitur;* ut *gallus*, qui et de homine et de avi domestica dicitur : quæ quidem æquivocatio, ut patet, ideis *hominis-galli* et *avis-galli* inesse nulla ratione potest, ut alibi dictum est (3, VIII).

II. De obscuro et ambiguo, seu æquivoco. Auctor Opusculi cui titulus *Principia Dialecticæ*, inter Opera Sancti Augustini, hoc, cap. VIII, notat discrimen inter terminum obscurum et terminum ambiguum : « Inter obscurum et ambiguum hoc interest, quod in *ambiguo* plura se ostendunt, quorum quid potius accipiendum sit ignoratur; in *obscuro* autem nihil aut parum quod attendatur apparet. Sed ubi parum est quod apparet, obscurum est ambiguo simile. » Late prosequitur Auctor in suis istis dictis confirmandis, et, Capp. IX et X copiose disserit de analogia et æquivocatione verborum. Ceterum nullus pene terminus est qui in diversos sensus trahi non possit, ita ut quidam dixerit *ambiguum esse omne verbum*. Et tamen interest quam maxime ut locutio nostra æquivocatione careat : secus inutile erit, ne

---

e) Studere idiomati æsthetice munus est artis liberalis quæ *philologia* appellatur; investigare autem ipsius originem et relationes ad conceptus mentis incidit in ambitum *philosophiæ*, quæ tamen in hoc indiget auxilio *glottologiæ* ultimis istis temporibus multum progressæ ope præsertim Bopp, Pott, Grimus, Diez, Muller, Curtius, Graziadei, Trombetti, etc. — Cf. Rossignoli, *Principii di Filosofia*, vol. I, p. 38. — Mercier, *Logique*, p. 117.

dicam nocivum, hoc medium naturale communicandi aliis proprios mentis conceptus. Hoc officium sibi assumit Dialectica, cum disserit de proprietatibus terminorum.

III. Terminorum proprietates. Quinque præcipue enumerantur, *suppositio*, *appellatio*, *ampliatio*, *restrictio* et *alienatio*. De suppositione, quæ præcipua est et frequentissime occurrit in scientiis, dicam in hoc articulo; de ceteris vero in sequenti.

IV. Suppositionis natura. *Suppositio*, generatim sumpta, est *acceptio seu positio termini pro re aliqua*, quam termino ipso et exprimimus, et designare intelligimus; sicut loco pecuniæ vel rerum ponimus numeros, quos computando, intendimus numerare ipsam pecuniam vel res. Quo in casu dicimus quod numeri *supponuntur* pro rebus, vel pro pecunia. Pari ratione termini assumuntur seu *supponuntur* pro rebus ipsis, quas loquendo designare intendimus. — Hinc ad rationem suppositionis requiritur quod aliqua res termino correspondeat, secus nihil termino *supponitur*, id est nihil significatur, seu, ut antiqui aiebant, terminus est *de subjecto non supponente;* sicut si dicerem : *Adam mihi loquitur*. In hac propositione terminus, *Adam*, ex adjuncto, *mihi loquitur*, nil habet quod sibi a parte rei respondeat.

V. Suppositionis species. In omni autem termino duo sunt : 1°, ipse terminus; 2°, termini *significatio*, seu res ipsa designata per terminum. Hinc prima divisio suppositionis in *materialem* et *formalem*. *Materialis* est *acceptio termini pro seipso;* ut si dicerem, *homo est vox; Cicero est vox trium syllabarum*. — Suppositio *formalis est acceptio termini pro re significata;* ut, *homo est animal rationale*. — Quia res designata per terminum potest esse objectum secundæ intentionis seu logicum, et primæ intentionis seu reale (2, IX); suppositio formalis alia est *logica*, ut si homo sumatur pro *specie* seu pro uno ex prædicabilibus (4, III), vel Petrus pro *subjecto* propositionis : alia *realis*, ut si homo sumatur pro *animali rationali*, vel Petrus pro *persona humana*. — Denique, quia termini immediate ideas significant (10, VI), et ideæ, ex qua parte objecta repræsentant realia, dividuntur in universales, particulares, singulares, distributivas, collectivas (Artic. 3); hinc suppositio realis terminorum has varias divisiones subit, eritque universalis, particularis, etc., secundum quod terminus pro ideis respectivis ponitur. Unde a longiori sermone supersedemus, ne actum agamus. Tantum nonnulla addenda

sunt, consulto prætermissa in tractatu de ideis, ne ordo perverteretur.

VI. De suppositione universali. Suppositio universalis est, *acceptio termini pro conceptu exprimente rem pluribus communem*, ut *homo*. — Sed animadverte quod *homo* (et idem dicito de aliis universalibus) potest accipi et simpliciter pro natura abstracte sumpta, prout nempe significat *animal rationale*, et pro suppositis seu individuis humanis, *Petro*, *Paulo*, *Antonio*, etc. : quod ex adjunctis dignoscitur. Ita, si dicam, *homo est animal rationale*, sumitur *homo* in utroque sensu; at si dicam, *omnis homo moritur*, homo sumitur pro individuis : non enim moritur natura humana universaliter accepta, sed accepta ut in individuo existens. Suppositio priori sensu dicitur *universalis absoluta;* posteriori sensu dicitur *universalis personalis*.

VII. De suppositione distributiva. Suppositio erit distributiva, si *terminus significet ideam distributive acceptam* (3, III). Sed distributiva suppositio potest esse *completa* vel *incompleta*, *simplex* et *cum exceptione*. — *Completa* est si designet individua omnia, quæ ideæ significatæ subjacent, ut, *omnis circulus est rotundus; circulus* supponit *complete* pro omnibus et singulis circulis, seu ut in schola dicitur, *pro singulis generum*. — *Incompleta* est si designet solummodo *species*, quæ ideæ genericæ significatæ per terminum subjacent, ut, *omnia animantia ingressa sunt arcam Noe; animantia* supponit pro solis speciebus, non autem pro individuis omnium animantium, seu, ut scholæ verbo utamur, supponit *pro generibus singulorum*. — *Simplex* est, si nullum subjectum ex significatis excipiatur, ut, *omnis homo est animal rationale*. — *Cum exceptione*, si aliqua excipiantur, ut, *omnes homines in Adam peccaverunt;* ab hominibus excipitur non solum Christus Jesus, qui ut homo simul et Deus peccatum incurrere haud poterat, sed etiam Maria Virgo beatissima, ejus mater, Dei privilegio, immunis a labe originalis peccati servata. — Generatim, *exceptive* loquimur quoties de humanis moribus sermo est; ut, *omnes matres diligunt proprios natos;* aliaque hujusmodi quæ sunt in usu quotidiano.

VIII. De descensu a termino communi ad individua subjecta. In suppositione personali, de qua hic supra, n. VI. mentionem fecimus, terminus ideam universalem exprimit ut omnibus individuis applicabilem. Quocirca individua possunt successive ipsi ideæ universali substitui, servata orationis veritate. Verbi gratia : *omnis homo moritur; — Petrus moritur, Paulus moritur*, etc. Ex qua substitutione, ut patet, de facili dignoscitur utrum vera

an falsa sit oratio. Hæc *successiva substitutio individuorum ideæ universali sub qua continentur*, dicitur *descensus:* metaphora desumpta a motu, quo a puncto superiori ad inferiora descenditur.

Descensus præfatus quadruplicis generis esse potest, *copulativus* et *copulatus, disjunctivus* et *disjunctus.* — Descensus *copulativus* habetur quando individua substituuntur ideæ universali singillatim sumpta sed unita particula copulativa *et, ac* et similibus. Exempli gratia, in hac propositione, *omnis homo est mortalis,* fit substitutio, descensu copulativo, hoc in modo : individuum A est mortale, et B est mortale, etc. Nempe in descensu copulativo oratio seu propositio multiplicatur juxta multiplicationem individuorum, quæ substituuntur. — Descensus *copulatus* idem est ac copulativus, at orationem non multiplicat. Exemplum sit illud inhumanum Neronis votum : *Utinam omnes cives haberent unum caput!* Non est sensus, utinam civis A haberet unum caput, et civis B haberet unum caput, et sic de reliquis civibus; sed, utinam cives A et B, etc., simul sumpti, unum tantummodo caput commune haberent, ut sic uno ictu possent simul omnes occidi. — Descensus *disjunctivus* est quando individua substituuntur cum multiplicatione orationis, ut dictum est de *copulativo,* sed unita particulis disjunctivis *aut, vel,* etc. Ex. : *Aliquis apostolus tradidit Christum,* descenditur descensu disjunctivo ad individuos apostolos hoc modo : *Aut Petrus, aut Jacobus,* etc., *aut Judas Christum tradidit.* — Descensus *disjunctus,* qui et *confusus* dicitur, est idem ac *disjunctivus,* sed immultiplicata oratione, ut de *copulato* dictum est. Ex. : *Aliquis oculus est necessarius ad videndum;* non debet exponi hoc modo, *vel oculus dexter est necessarius ad videndum, vel oculus sinister est necessarius ad videndum;* sed oratione conjuncta : *vel oculus dexter vel sinister est necessarius ad videndum.*

Ex his colligitur : — 1°, Sicut descensus a specie ad individua recte fieri potest, ut ex adductis exemplis est manifestum, ita legitimus est descensus a genere ad species : eadem enim viget ratio; — 2°, Individua ad quæ fit descensus, esse possunt tum existentia tum possibilia, prout nempe exigit natura orationis; — 3°, Descensus non habet locum in suppositionibus materialibus, logicis, (*supra,* n. V), singularibus et universalibus sumptis in sensu absoluto (*ibid.,* n. VI), nempe prout individua excludit; — 4°, Descensus semper fieri debet juxta exigentiam suppositionis *distributivæ, disjunctivæ,* etc.

IX. Regulæ ad discernendam naturam suppositionis. Omni-

bus quidem, sed philosopho maxime necessarium est ut *suppositionem*, seu sensum in quo sumit terminum, clare et sine ulla ambiguitate determinet, ut abunde ex dictis manifestum est. Unde Logica normas quasdam tradit, quibus si attendatur, æquivocatione carebit sermo noster. Hæ sunt leges : — 1ª, Terminus affectus signis syncategorematicis, *omnis*, vel *aliquis*, etc. (10, IX), supponit universaliter vel disjunctive, juxta exigentiam ipsius signi; — 2ª, Terminus nullo signo syncategorematico affectus supponit universaliter vel disjunctive, juxta exigentiam alterius termini cui adjungitur; — 3ª, Utrum suppositio sit *collectiva* vel *distributiva*, *absoluta* vel *personalis*, *completa* vel *incompleta*, *simplex* vel *cum exceptione*, ex altero termino adjuncto probe est dignoscendum; quod et de disjunctiva *confusa* vel *determinata*, *reali* vel *logica* est dicendum. Vide exempla supra allata. Quæ omnia revocabimus in mentem in tractatu de propositionibus.

ARTICULUS TERTIUS

(12)

De reliquis terminorum proprietatibus.

I. De appellatione, ejusque speciebus. Nomine *appellationis* in Dialectica intelligitur, *applicatio unius termini supra alium*, quatenus terminus qui applicatur (et propterea dicitur *appellans*) sub *speciali significatione* et *modificatione* alteri (qui propterea dicitur *appellatus*) tribuitur. Ut cum dico, *Deus bonus*, *bonus* veluti applicatur *Deo*, quasi modum, ut ita dicam, Dei exprimens.

Appellatio quoad terminum concretum dividitur in *materialem* et *formalem*. Nam in termino, sicut et in conceptu concreto, duo intelliguntur, ut dictum est (2, VII), nempe forma et subjectum tali forma affectum. Ergo quando aliquid affirmatur vel negatur de aliquo *concreto*, potest affirmari vel negari de ipso aut ratione *formæ* a qua denominatur, aut solummodo ratione *subjecti*. *Applicatio termini* subjecto *ratione formæ* dicitur appellatio *formalis;* ut cum dico, *medicus sanat :* sanat enim ratione formæ, nempe artis medicæ a qua præcise medicus constituitur et denominatur. *Applicatio termini* subjecto, non *ratione formæ sed ratione subjecti*, dicitur appellatio *materialis;* ut cum dico, *medicus*

cantat : cantat enim non ratione formæ seu artis medicæ a qua denominatur medicus, sed qua homo, in quo sicut potest esse ars sanandi, ita et ars canendi. Unde in scholis *το medicus cantat*, distinguitur hoc modo : medicus *ut medicus*, seu *formaliter* cantat, *nego ; materialiter* acceptus, *concedo*. — Hinc maxima necessitas distinguendi et determinandi rationem appellationis in nostris et alienis conceptibus : ad quem finem præ mente sunt habendæ sequentes regulæ.

II. **Regulæ ad discernendas appellationes.** 1ª, *Terminus appellans sumitur semper secundum suum formale :* secus haberetur ridicula tautologia. Ut si dicam : *homo est doctus ;* si *doctus* non sumatur secundum suum formale *(doctrina)*, sed secundum suum materiale *(homo)*, illa mea locutio sonaret, *homo est homo*. — 2ª, *Cum terminus appellans applicatur termino concreto, terminus concretus* seu *appellatus, sumitur materialiter*, saltem in rigore logico. Ita cum dico, *Deus factus est homo*, sensus est : Suppositum seu persona divina (quod est *materiale* in hac locutione) assumpsit hominem, nempe formale hominis (ut dictum est in prima regula), seu humanam naturam. Quæ regula valet, sive terminus appellatus sit solus, sive sit qualificatus ; ut, *Alexander magnus fuit discipulus Aristotelis :* fuisse discipulum Aristotelis tribuitur *Alexandro* non ut *magno* sed ut homini (1). — 3ª, Ceterum, quia appellationes pene in infinitum variari possunt, et logomachiæ omnino sunt vitandæ, *appellatio* antequam admittatur probe explicetur. Explicatur autem per particulas, quas antiqui *reduplicantes* vocabant, et sunt, *quatenus, formaliter, formaliter ut, reduplicative*, et similes (inf., 25, VI. seq.). Unde si aliquis diceret, *homo natura sua sentit ;* distinguendum esset hoc modo : homo *materialiter* seu *ut* suppositum, sentit, *concedo ;* homo *formaliter* seu *reduplicative* ut homo sentit, *nego :* quia homo formaliter ut homo non sentit, sed intelligit. — De his multa habent Scholastici ; sed usus, magis quam regulæ, te plura docebit.

III. **Ampliatio.** *Ampliatio* est extensio termini a minore ad majorem significationem ; ut, *mansueti hæreditabunt ter-*

(1) Hæ duæ regulæ reassumuntur ab Angelico, his verbis. « Terminus in subiecto positus tenetur materialiter, idest pro supposito ; positus vero in prædicato tenetur formaliter, idest pro natura significata ». S. Thomas, *Sum. Th.*, P. III, qu. 16, a. 7, ad 4.

rum : hæreditabunt, quod ex se futurum designat, extenditur ad præteritum et ad præsens tempus.

IV. Restrictio. *Restrictio* ampliationi opponitur : est enim acceptio termini non in tota amplitudine suæ significationis; ut, *Eva est mater cunctorum viventium ; credo resurrectionem mortuorum :* termini *viventium* et *mortuorum* ex se bruta etiam complectuntur; at in illa locutione coarctantur ad solos homines designandos. — Attendendum est ad naturam rerum, de quibus sermo est, ut dignoscamus an per ampliationem vel restrictionem termini sint explicandi.

V. Alienatio. *Alienatio* est acceptio termini non secundum sensum proprium sed metaphoricum : quod quidem ex adjunctis satis dignoscitur. Ita cum dicitur in Scripturis de Christo, quod sit *sol justitiæ*, *agnus*, dominator terræ; *sol*, *agnus* et similia non sensu proprio sed metaphorico sunt accipienda, ut ex adjunctis *justitiæ* et *dominator terræ* liquido ostenditur.

VI. De recto terminorum usu. — Nemo est qui non videat quanta cura sit adhibenda circa terminorum usum : ab ipso enim tota pendet claritas vel obscuritas in rerum explicatione, et consequenter in scientiis. Unde regulas ad recte loquendum hic tradimus.

Regula prima. Vocabula obscuræ, vel æquivocæ, nec non vagæ significationis sedulo vitanda sunt. Quod si necessitas cogat ea adhibere (quod non raro contingit, explicatio adhibeatur, ut vocabuli sensus determinetur. Philosophus præcipue catholicus præ mente semper habeat hanc regulam : ut enim ait S. Augustinus, in X. *De Civitate Dei*, Cap. XXIII : — « Liberis enim verbis loquuntur philosophi *(ethnici)*, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem ».

Regula secunda. Cavendum pariter est a verbis inanibus, quæ esto significationem præ se ferant, ad alia tamen significanda quam quæ sunt in quæstione trahi possunt. His vocabulis passim utuntur illi qui in scientiis jejuni, sapientes tamen videri volunt.

Regula tertia. In rebus determinatis ac specificis designandis, termini correspondentes sunt adhibendi, et abstinendum a transcendentalibus, quæ majorem, quam significare intendimus, ex-

tensionem (3, I) habent. Eadem ratione a terminis metaphoricis est abstinendum in scientiis, si propriis uti possumus.

Regula quarta. — Verba usurpentur semper secundum significationem communem : secus æquivocationibus non carebimus, sicut revera non carent moderni rationalistæ germanici, apud quos tot sunt sensus communibus vocabulis modo prorsus arbitrario affixi, quot sunt capita. Quod si contingat rem novam novo vocabulo designari (quod a Tullio non prohibetur), explicatio præmittatur juxta illud poëtæ... *Licuit, semperque licebit.* — *Signatum* præsente nota *producere nomen.*

Regula quinta. Conditio attendatur auditorum nostrorum; etenim cum doctioribus scientifice est agendum; sed rudioribus et imperitis vulgari sermone, quem unice intelligunt, veritates explicentur : ne similes videamur quibusdam medicis, qui infirmos, eosque rudes, vocabulis a græca lingua derivatis interrogant, et Hippocratis aphorismos, qui forte loco totius artis medicæ in ipsis sunt, latino sermone recantant.

VII. De scholasticis vocabulis. Solent leviores scientiarum cultores summopere abhorrere a quibusdam vocibus, quæ in usu erant et sunt apud scholasticos scriptores, quasi verba technica, etsi, inelegantia, veritati, cui unice studet philosophus, officiant. Qua in re sapienter scribit Tongiorgi in sua *Logica*, p. 1. lib. I. cap. III, artic. VI : « Non esse in præsenti censendas in philosophico sermone obsoletas eas voces, quas veterum scholasticorum subtilitas, sapienter excogitavit nisi vel clariores fuerint suffectæ, vel earum inutilitas demonstrata. Quamvis enim elapso præsertim sæculo, a leviori illa philosophia voces istæ neglectæ ac derisui habitæ fuerint, si tamen eæ necessariæ putentur, contemptorum judicium contemnendum est. Nam contra veritatis et scientiæ jura numquam præscribitur. Experientia certe non raro probat, ex earum neglectu ingentes oriri obscuritates, confusiones, ambiguitates. » Unde Melchior Canus, scriptor, ut omnes norunt, et doctissimus et elegantissimus, in lib. II. *De Locis Theologicis*, cap. VIII. ad 4 : « Ipsæ scholasticæ res, inquit, formas dicendi scholasticas rapiunt, et quæ vocabulo scholarum consuetudo diuturna trivit, ea latini nobis condonare debent. Nec enim tam sermonis ornatum, quam disputationis lucem sequimur. » Et lib. XII. cap. III. 3 *Argum.*, addit : « Puto nobis concedi oportere, ut scholæ verbis utamur, si quando minus occurrent latina. Quin latina etiam interdum relinquenda sunt, ne in scholastica disputatione nom tam explicasse res quam verba affectasse videamur. »

CAPUT TERTIUM.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE

Prologus. Ideis mediantibus res ipsas intelligimus. Interest ergo maxime ut clariores et distinctiores, quantum fieri potest, ideas habeamus. Ad quod obtinendum ordinantur ea quæ de definienda dividendaque re in Logica traduntur. Post igitur tractatum de ideis et de terminis, hic tractatum de definitione et de divisione subnectimus, quas *modos sciendi* Scholastici appellabant : per modum enim sciendi intelligebant *orationem rei ignotæ manifestativam*, quæ manifestatio plene habetur per *definitionem*, *divisionem* et *argumentationem*. Sed de hac ultima sermo erit in tertio Dialecticæ libro. Circa vero definitionem et divisionem sciendum est, *quid* sint, *quænam* earum *species*, *quæ leges*. Quibus omnibus præmittimus articulum de *fontibus* tum naturalibus tum voluntariis obscuritatis nostrarum idearum et de *mediis* in genere ad ideas perficiendas idoneis.

ARTICULUS PRIMUS

(13)

De fontibus obscuritatis nostrarum idearum, deque mediis ad ideas perficiendas idoneis (1).

I. Fontes naturales obscuritatis vel confusionis idearum. ima radix obscuritatis seu confusionis idearum nostrarum est nativa imbecillitas mentis nostræ. Hæc enim natura sua limitata est, nec valet omnia comprehendere. Cui quidem causæ superaddita est culpa, quæ legem carnis contra legem spiritus excitans, nativas mentis vires, ex se finitas, non parum debilitavit. Qua in re audiatur S. Augustinus, lib. IV. *de Genesi ad litteram*, cap. XXXII. n. 49 : « Mens itaque humana prius hæc quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit : et deinde quærit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in

(1) De causis obscuritatis et confusionis in simplici apprehensione, necnon de *mediis* quibus prima operatio mentis dirigitur ut verum quod ipsa cognoscit, clare, distincte ac perfecte manifestetur, conferri potest P. Lepidi. *Elem. Ph. Chr.*, vol. I, p. 117.

Verbo Dei, ac sic *invisibilia* ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspicere. Quod quanta tarditate ac difficultate agat, et quanta temporis mora propter corpus corruptibile quod aggravat animam, etiam quæ ferventissimo studio rapitur ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat? » Hos defectus connaturales ut, quantum fieri potest, temperemus, præcipue orandum est cum Psalmista : *Deus meus, illumina tenebras meas.*

Altera causa naturalis est phantasmatum concursus in actionibus intellectivis. Ut enim notat Angelicus, p. I. qu. LXXXIV. artic. VII : « Hoc quilibet in seipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format aliqua phantasmata sibi per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum. » Haud raro tamen accidit, ut hujusmodi phantasmata, quæ comitantur nostras intellectiones, non satis mens distinguat ab ideis intelligibilibus, quæ menti ipsi sunt propriæ; ac per hoc obscuritas et confusio in cognitionibus. — Quamquam autem in potestate nostra haud sit impedire talem imaginationis concursum, attamen et possumus et debemus discretione mentis distinguere quid sensibus conveniat, et quid menti sit proprium.

II. Fontes voluntarii confusionis idearum. Duos potissimum fontes hujusmodi confusionis assignamus : nempe *coacervationem* cogitationum, et animi *præcipitantiam* in consideratione rerum. — Equidem per simultaneum studium rerum inter se disparatarum mens indigestis obruitur ideis, nihilque intime penetrat, sibique persuadet perfectionem scientificam ex multitudine magis quam ex claritate scitorum potissimum provenire. — Per animi vero *præcipitantiam* nonnisi corticem rei attingit, et vix ac ne vix quidem scientiam summis labiis degustat. Hinc inconsiderata verbositas, intolerabilis petulantia in affirmando et negando, vanitas stultissima, umbra denique doctrinæ, qua procul dubio longe melior et desiderabilior est rudium simplicitas et innocua ignorantia.

Hos autem defectus qui vitare volunt (et omnes velle debent), *attentione*, *abstractione*, *comparatione*, *reflexione*, *definitione* et *divisione* diligenter utantur. — *Attentione*, in rem quam cognoscere cupit, mens unice intendit et in plura non divagatur; nam, *Pluribus intentus minor est ad singu-*

la sensus. — *Abstractione*, notas, quæ occurrunt in uno eodemque objecto, separatim et studiose consi lerat, ut, singulis expensis, facilius et clarius rem totam intelligat, cujus partes notas per *divisionem* jam habet. — *Comparatione*, rem unam cum altera confert, ut mutuo sese illustrent, et obscurior a clariori lucem accipiat. — *Reflexione*, in rem ipsam redit, ut quod primo obtutu in ipsa non vidit, videat replicatis atque intensioribus meditationibus. — *Definitione*, sibimetipsi mens rationem reddit cujus naturæ res sit : sæpe enim contingit quod mens sibi persuadeat plene atque perfecte cognitam rem habere, quam tamen explicare definitione non valet; ac per hoc prodit nonnisi ideas aut abscuras aut saltem confusas (7, III, et IV) habere illius rei, quam a se comprehensam nimia confidentia contendebat.

ARTICULUS SECUNDUS

(14)

De definitionis natura et speciebus.

I. Definitionis notio. *Definitio* a definiendo seu terminando, dicta est : ejus nomine in Dialectica intelligitur *oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit*, ut Tullius dicit, *Topic.* Cap. XII seu, *oratio qua respondetur interroganti quid sit res;* sicut interroganti, *quid sit anima*, respondemus definitione; *Anima est primum principium vitæ in his quæ apud nos vivunt.* — Nemo autem interrogat ut sciat ea quæ cuique in promptu sunt. Igitur res manifestæ definitione *per se* non indigent; et dico *per se*, quia accidit ut quod uni est manifestum, alteri sit ignotum : quo in casu definitio est necessaria non absolute sed relative (1).

II. Definitio nominalis et definitio realis. Porro, sicut aliquis potest sciscitari et quid sit id quod significatur per nomen, et quid sit in se *rei* essentia vel natura vocabulo seu nomine ipso designata, ita definitione utrumque potest explicari. Definitio quæ explicat quid sit id quod significatur per nomen, et consequenter, modo tamen indeterminato et confuso, quid sit res quam per vocabulum volumus significare, dicitur *nominalis.* Ita S. Thomas, p. I. qu. II. artic. III. ad

(1) Optime Bossuet appellat definitionem : « une proposition ou un discours qui explique le genre et la différence de chaque chose ». — *Logique*, lib. II, cap. XIII.

demonstrandam existentiam Dei, sumit definitionem Dei nominalem, qua nempe Deus intelligitur esse *primum movens immobile, prima causa efficiens, ens necessarium, ens perfectissimum, supremus ordinator et provisor* universi creati. — Definitio quæ determinate explicat rem ipsam per vocabulum designatam, dicitur *realis*. Ita definio nominaliter *philosophiam*, si eam dico esse aliquam scientiam; realiter definio si addo eam esse, *rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus hæ res continentur, scientiam*. Differt definitio *nominalis* ab *etymologia* in hoc, quod hæc, undenam nomen seu vocabulum originem duxerit, illa vero aliquid de ipsa re per vocabulum significata explicat (cf. S. Th. P. II-II. qu. XCII. artic. I. ad 2; Qq. Dispp. *De Potentia;* qu. IX. artic. III. ad 1) (1).

III. Definitio intrinseca et extrinseca. Definitio alia est *intrinseca*, alia *extrinseca*. *Intrinseca* explicat rem per principia inhærentia ipsi rei; ut cum dico; homo est *compositum ex corpore organico et anima rationali*. Definitio *extrinseca* illa est, quæ rem explicat per principia ipsi non inhærentia, sed ad quæ tamen ordinem dicit; ut si definirem animam humanam esse substantiam *a Deo creatam, ad imaginem suam, propter æternam beatitudinem*, explicarem animam per suam causam *efficientem, exemplarem* et *finalem*, quæ, ut patet, sunt quid extrinsecum ipsi substantiæ animæ. Quod si assignem *modum* quo res prodiit a causa efficiente, definitio dicitur, ut Leibnitzio (1646-1716) placuit, *genetica*, at semper *extrinseca;* talis est illa hominis descriptio *Geneseos* II. vers. 7 : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.*

IV. Definitio essentialis et descriptiva. Definitio intrinseca subdividitur in essentialem et descriptivam. Essentialis

(1. Juxta cl. P. Lepidi esset addenda definitio *conceptualis*, a definitione nominis et a definitione rei omnino distinguenda. Hæc definitio adhibetur ad declarandum ac determinandum quænam sit *perceptio seu conceptio quam de re aliqua sibi efformat;* ipsa videlicet respondetur interroganti : *Quid tua conceptio de natura Dei, vel animæ humanæ, vel corporis repræsentat?* Definitio ista potest esse vera et tamen conceptio definita, quia rei conceptæ non respondet, falsa. Hæc definitio potissime adhibenda est : *a)* in via reflexionis, *b)* initio omnis controversiæ, *c)* quandoque ad definitionem nominalem explicandam.

Leges ipsius eædem sunt ac pro nominali et reali.

est, si ad rem explicandam assignat principia ipsam rem constituentia et distinguentia a cæteris aliis; ut sunt, e. g., natura *generis* et natura *differentiæ*. Et est duplex, *physica* et *metaphysica*, prout nempe principia rem constituentia vel sunt physica, ut cum dico, *homo est compositum ex corpore organico et anima rationali;* vel sunt metaphysica, nempe *genus* et *differentia*, ut cum dico, *homo est animal rationale*. — Differentia inter utramque definitionem est, quod in definitione physica assignamus principia, quæ in re definita sunt vere distincta, ut *corpus* et *anima* in homine; contra in definitione metaphysica non distinguuntur principia assignata in re definita ut *duæ res*, sed ut *duo conceptus*. Et hoc debet semper notari. — Definitio *descriptiva* est illa, quæ aliunde quam per principia constituentia rem explicat. Et est duplex, *propria* et *accidentalis*. — *Propria* est illa quæ rem explicat per *attributa* seu proprietates (4, III), ut si dicam : *homo est* animal *scientiæ capax*. — *Accidentalis* est, quæ rem explicat per enumerationem accidentium (4. III), quæ licet separatim sumpta pluribus conveniant, sumpta tamen collective non conveniunt nisi rei definitæ. Talis est illa virgiliana descriptio Polyphemi, *Æneid.*, *III*, vv. 658-9 :

> Monstrum horrendum, informe ingens cui lumen ademptum.
> Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat.

Hæc definitio usitatissima est rhetoribus, minus philosophis.

V. **De his quæ proprie a nobis definiri possunt.** Notat rectissime S. Thomas in II. *Dist.* XXXV. qu. I, artic. II. ad 1, quod « secundum quod aliqua habent *esse*, possunt definiri, ut in VII. *Metaphysic.* dicitur. Unde quia ens per prius de substantia dicitur, quæ perfecte rationem entis habet; ideo nil perfecte definitur nisi substantia. Accidentia autem, sicut incomplete rationem entis participant, ita et definitionem absolutam non habent, quia in definitionibus eorum ponitur aliquid quod est extra genus eorum, scilicet subjectum ipsorum. Similiter etiam cum ens quodammodo dicatur de privationibus et negationibus, ut in IV. *Metaphysic.* dicitur, eorum etiam potest esse aliquis modus definitionis incompletissimus, qui est quasi exponens nominis significationem, non essentiam indicans, quam nullam habent ».

ARTICULUS TERTIUS

(15)

De legibus definitionis.

I. Ratio articuli. Dici cum omni veritate potest, quod recte novit scire qui recte novit definire. Etenim scientia non ad aliud tendit quam ad sciendum de rebus *quid* sint : quod nonnisi definitionibus haberi posse ex dictis in præcedenti articulo abunde constat. Ut autem recta rerum definitio habeatur, leges traduntur, quas ad duas principales reducimus : quarum prima immediatius respicit definitionem, altera rem definitam.

II. Prima regula definitionis. Primà definitionis regula est : *Definitio sit clarior re definita.* Definitione enim explicamus rem obscuriorem; obscurum autem per obscurum non explicatur. Ex hac prima regula quædam inferuntur corollaria.

Corollarium primum. — Definitum excludi debet a definitione. Etenim definitum explicatione seu definitione indiget. Ergo si ipsum definitionem ingrediatur, explicabitur idem per idem, seu nihil prorsus explicabitur. Quod genus definitionis vocatur in scholis *circulus vitiosus.*

Corollarium alterum. — Definitio constet genere proximo (5, II) *speciei definitæ et ultima differentia* genus illud contrahente ad speciem definitam (5, V). Secus non omnino designatur res. Hinc probanda non est hæc definitio : *homo est substantia rationalis,* quia hominem ab angelis non satis distinguit, neque in quo cum brutis conveniat assignat (1).

Corollarium tertium. — Definitio non sit negativa, hoc est non dicat solummodo quid res non sit, sed quid sit. — Fateor de rebus quibusdam non posse dici positive quid in se sint, ut de Deo respectu nostri intellectus; sed hoc in casu debemus, ut possumus, rem ipsam explicare, et cognitiones nostras minus imperfectas reddere.

---

(1)« On voit en quoi consiste la règle qui veut qu'on définisse par le *genre* et la *différence:* ce n'est pas là seulement une règle, un précepte, c'est l'essence de la définition. Ce n'est pas, comme l'a dit la Romiguière, une *espèce* de définition; c'est la loi universelle de toute définition. » Paul JANET, *Logique,* sect. I, cap. V.

III. Secunda regula definitionis. Secunda regula est : *Definitio nihil minus, nihil plus contineat, quam id quod susceptum est explicandum.* Et revera, ut ex ipsa natura ejus est manifestum, definitio non est aliud quam ipsum identicum *definitum* clarius expressum : sed hæc identitas non haberetur, si definitio aliquid plus vel minus quam definitum contineret. — Huic regulæ respondet illa quæ vulgo circumfertur, nempe : *Definitio et definitum sint, salva veritate, convertibilia*, seu una pro altero sumi valeat; ut : *homo est animal rationale; omne animal rationale est homo.*

IV. In rerum definitionibus abstinendum est a metaphoricis locutionibus. Metaphoras, amphibologias, æquivocationes, voces obscuræ vel indeterminatæ significationis esse eliminandas a definitionibus, eruitur manifeste ex prima regula tradita et ex altero corollario quod intulimus. Qua in re audiatur sanctus Thomas, qui in II. *Posteriorum*, Lect. XVI. *in fine*, hæc notat : « Sicut non oportet disputare per metaphoras, ita etiam non oportet definire per metaphoras; utpote si dicamus quod, homo est *arbor inversa:* nec oportet in definitionibus assumere quæcumque metaphorice dicuntur. Cum enim definitiones sint *præcipua et efficacissima media in disputationibus*, si definitiones darentur per metaphoras, sequeretur quod oporteret ex *metaphoris disputare.* Hoc autem fieri non debet, quia metaphora accipitur secundum aliquid simile. Non autem oportet ut id quod est simile secundum unum sit simile quantum ad omnia. »

V. De conversione in definitionibus. In definitionibus essentialibus (pro quibus potissimum stant regulæ traditæ), ut sciatur utrum definitio nihil minus nihil plus quam res definita contineat, « *conversione*, inquit sanctus Augustinus, *exploratur:* quod his exemplis tibi fiet apertius. Si enim me rogares quid esset homo, et eum hoc modo definirem : *homo est animal mortale:* non continuo, quia verum dictum est, etiam definitionem probare deberes; sed superposita ei particula, id est *omnis*, convertere illam et intueri, utrum etiam *conversa* vera esset : hoc est, utrum quemadmodum verum est, *omnis homo animal mortale est*, ita esset verum, *omne animal mortale homo est:* quo aliter invento, improbare definitionem propter illud vitium quo aliena comprehendit : non enim solus homo est animal mortale, sed etiam quævis bestia. » (*De quantitate animæ*, cap. XXV. n. 47.) Et sanctus Thomas addit : « Definitio ideo dicitur terminus, quia includit totaliter rem, ita scilicet quod nihil rei est extra definitionem, cui scilicet definitio non conveniat, nec aliquid aliud

est infra definitionem, cui scilicet definitio conveniat. « — I. *Perihermen.*, lect. IV. n. 2 (1).

VI. De modo conficiendi definitiones. Leges expendimus definitionis; nunc opportunum erit modum proponere quo practice sint rerum definitiones inveniendæ et conficiendæ. Auctor opusculi in *decem categorias* Aristotelis, inter Opera S. Augustini, hæc quoad definitionem essentialem egregie scribit : « Debemus advertere qua arte definitio disponatur. Primum enim hanc per immensum tendi oportet, incipientem a genere : dehinc paulatim per partes currendo pervenire debet ad id in quo solum est id quod definitur. Ut ii qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem; dehinc paulatim minuendo et abscindendo superflua ad formandos vultus et membra perveniunt. Sic definitio a genere incipiens, depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere. » (Cap. VI.) Modus iste quærendi definitiones est *descensivus*, nempe ab universalioribus incipiens, et gradatim per genera subalterna (5, II) ad genus proximum et differentiam ultimam (5, V) descendens. — Alius modus est *ascensivus*, a rerum nempe comparatione procedens, et inter ipsas quærens *unum*, in quo conveniunt cum aliis, et *alterum*, in quo proprie a ceteris aliis differunt, et hæc assumens ut elementa definitionis. De hoc secundo modo loquitur Angelicus in II. *Posteriorum*, lect. XVI. n. 2 : « Si aliquis, ait, inquirit definitionem alicujus rei, oportet quod attendat ad ea, quæ sunt *similia* illi, et etiam ad ea, quæ sunt *differentia* ab illa re. Quod quidem qualiter fieri debeat ostendit *(Aristoteles)* subdens, quod primo oportet circa similia considerare quid *idem* in omnibus inveniatur, puta quid *idem* inveniatur in omnibus hominibus, qui omnes conveniunt in hoc quod est *esse rationale*. Postea considerandum est iterum in aliis, quæ conveniunt cum primis in eodem genere, et sunt sibi invicem *idem* specie, sunt autem *altera* specie ab illis, quæ primo accipiebantur, sicut *equi* ab *hominibus*. Oportet etiam accipere quid sit *idem* in his, scilicet *equis*, puta, *hinnibile*. Cum ergo accipiatur quid sit *idem* in omnibus his, scilicet hominibus, quia *rationale*, et quid sit *idem* similiter in omnibus aliis, scilicet equis, quia *hinnibile;* iterum considerandum est, si aliquid est *idem* in istis duobus acceptis, scilicet in *ratio-*

(1) Pro juvenibus præstat notare non omnia posse definiri. Quædam enim in sua obiectiva realitate pollent tanta simplicitate, sunt tam prima vel tanta claritate lucentia quod nec resolvi, nec terminari possint aliquo genere proprie dicto et specifica differentia, nec proinde definiri. Ex. g. *ens*.

nali et *hinnibili*. Et ita est considerandum quousque perveniatur ad aliquam *unam* rationem communem. Hæc enim erit definitio rei. Si vero talis consideratio non inducat in unam rationem communem, sed inducat in duas rationes diversas, aut etiam in plures, manifestum erit quod illud, cujus definitio quæritur, non erit unum secundum essentiam, sed plura : et ita non poterit habere unam definitionem. » Quæ omnia declarat per exemplum, *ibid.* (n. 3) ab Aristotele adductum : « Si quæramus quid est *magnanimitas*, debemus attendere ad quosdam magnanimos, ut sciamus quid *unum* habent in seipsis, inquantum magnanimi sunt. Sicut Alcibiades dictus est magnanimus, et etiam Achilles, et etiam Ajax, qui omnes habent *unum* quid commune, quod est, *non sustinere injurias*. Cujus signum est quod Alcibiades non sustinens injurias dimicavit, Achilles vero in insaniam versus est propter iram *(quæ est appetitus vindictæ propter injurias sibi illatas)*, Ajax autem interfecit seipsum. — Iterum debemus considerare in aliis, qui dicuntur *magnanimi*, sicut in Lysandro aut Socrate. Habent enim hoc commune, quod *non mutabantur propter prosperitatem fortunæ et per infortunia*, sed indifferenter se habebant in utrisque. Accipiamus ergo *hæc duo*, scilicet impassibilitatem a fortuitis casibus, et non tolerare injurias, et consideremus si est aliquid *commune* eis. In hoc enim consistit ratio *magnanimitatis*. Sicut, si dicamus quod *utrumque* contingit propter hoc quod aliquis *existimat se dignum magnis*. Ex hoc enim contingit quod homo non patitur injurias, et ex hoc etiam contingit quod contemnit mutationem exteriorum bonorum, tanquam minimorum » (1).

ARTICULUS QUARTUS

(16)

De divisione.

I. Prænotamen. Simplex omnino dividi non potest : nam quidquid dividitur partibus necessario coalescit, in quas dividitur, et ex quibus quasi *totum* aliquod resultare intelligitur.

(1) Ex dictis apparet definitionem et divisionem inter se maxime connexas et in scientia acquirenda omnino necessarias esse. In experimentalibus divisio (analysis) ut in pluribus ad definitionem ducit: in speculativis definitio divisionem præcedit. Divisione minuitur labor in rerum cognitione, adiuvatur memoria et ad bonam definitionem facilius pervenitur.

Quocirca, antequam de divisione sit sermo, præmittendæ sunt generales notiones *totius* et *partium*.

II. **Notio et divisio generica totius.** *Totius* notio communissima est et omnibus clarissima : per illud enim vulgo intelligitur, *unum aliquid quod in plura* (quæ *partes* dicimus) *resolvi aliquo modo potest*. Quam vulgarem *totius* explicationem impræsentiarum retinemus. — Totum autem generice dividitur in *actuale* et *potentiale*. *Actuale* totum dicitur illud, cujus partes ex quibus resultat, realiter sunt distinctæ : sive sint distinctæ distinctione *reali*, sive distinctione *logica* seu *rationis* : sicut homo est totum reale resultans ex *anima* et *corpore* (partibus realiter distinctis), vel ex *animalitate* et *rationalitate*, quæ *in homine* non ut duæ res, sed ut duæ rationes formales distinguuntur (14, IV). — *Totum potentiale*, quod etiam *logicum* dicitur, est illud, quod ratione suæ extensionis plura, tanquam partes, sub se continet; sicut *universale* est totum potentiale sub se continens particularia subjecta (3, II), veluti partes, quas sua extensione complectitur. Et est vel *univocum* vel *analogum*, secundum quod *particularia* illud *univoce* vel *analogice* participant : de quo jam dictum est in tractatu de ideis (3, VI).

III. **Divisio totius actualis.** Totum actuale subdivitur in *metaphysicum* et *physicum*, secundum quod partes aut *ratione* tantum, aut *realiter* in toto distinguuntur, ut hic supra in exemplo *de homine* explicatum est. — Quæ partes *totius physici* aut sunt essentiales, ipsum *totum* in propria natura constituentes, et habetur totum *essentiale*. — Aut sic sunt in toto ut non constituant sed integrent naturam (ita ut quamvis non omnes, tamen aliqua possit separari quin totius natura destruatur, ut brachium aut aliud membrum in homine), et habetur totum *integrale*. — Aut partes sunt *potentiæ* unius principii (ut si dividas animam humanam in *intellectum* et *sensum*), vel *officia* unius virtutis vel potentiæ (ut si dividatur prudentia in *judicativam* et *consiliativam*), et habetur totum *potestativum*, in hoc differens a toto *potentiali*, quod istud affirmatur de suis inferioribus, ut cum dicitur, homo est *animal* : quod in toto potestativo dici nequit, quia est falsum quod anima humana sit *sensus*, vel quod *judicium* sit prudentia. — Aut denique in compositionem totius veniunt etiam *accidentia*, et habetur totum *accidentale*.

IV. **Divisio totius metaphysici.** Divisio totius in *essentiale* et

accidentale convenit etiam in suo ordine toti *metaphysico*. Hinc designo totum metaphysicum *essentiale*, cum dico : *homo* est *animal rationale;* et nonnisi de toto metaphysico *accidentali* loquor, cum dico : *homo* est *intellectivus rationalis*. Revera enim in homine *intellectus* et *ratio* sunt una potentia *realiter*, et sola ratione (2, IX) distinguuntur, ut duo conceptus : quod sufficit ad totum *metaphysicum;* ac insuper, absolute loquendo, *intellectus*, qui dicit simplicem intuitionem, stare potest sine *ratione* stricte sumpta, quatenus nempe importat discursum a principiis ad conclusionem : et hoc sufficit ad totum *accidentale*.

V. Divisionis notio et species. *Oratio distribuens totum in suas partes*, seu brevius, *distributio* totius *in partes*, dicitur *divisio*. Totum quod distribuitur, vocatur *divisum*. — Hinc sequuntur variæ divisionis species. Est enim *actualis*, *potentialis*, *physica*, *metaphysica*, *essentialis*, *potestativa*, *accidentalis*, prout totum distribuit in partes actuales vel potentiales vel potestativas, physicas vel metaphysicas, essentiales vel accidentales : de quibus hucusque dictum est. Hic solummodo adjicimus species divisionis accidentalis et potentialis.

VI. De multiplici divisione accidentali. Partes quæ ponuntur in divisione accidentali (quæ etiam *per accidens* dici solet) esse possunt *subjectum* et *accidentia*, vel *accidens* et *subjecta*, vel *accidentia sola*. Hinc triplex divisio *accidentalis:* 1ª Divisio subjecti in sua accidentia, qua nempe assignantur accidentia quæ subjectis ejusdem naturæ insunt; ut cum divido *homines* in albos, nigros, flavos, et cupreos. — 2ª Divisio accidentis in sua subjecta, qua nempe assignantur subjecta quibus illud accidens convenit; ut cum divido *passiones* in passiones hominum et passiones brutorum. — 3ª Divisio accidentis in accidentia, qua unum accidens consideratur ut subjectum, cui alia accidentia conveniunt, eo ferme modo quo dictum est de divisione subjecti in sua accidentia; ut cum divido *amarum* in salubre et insalubre, vel *candidum* in amarum et dulce, in durum (ut *marmor*) et molle (ut *nix*) et fluens (ut *lac*).

VII. De multiplici divisione potentiali. Quid sit divisio potentialis supra explicatum est. Est *per se* vel *per accidens*. — 1º *Per se*, si genus dividatur in suas species immediatas, ut si dividatur *vivens* in *animal* et *plantam;* vel genus dividatur in suas differentias specificas, ut si dividas *substantiam* in *corpoream* et *incorpoream;* vel differentiæ genericæ in specificas

dividantur, ut cum dicitur : *Organica* dividuntur in *sensitiva* et *insensitiva* (animalia et plantas). — 2° *Per accidens* vero est si totum potentiale in sua accidentia distribuatur, eo modo quo de accidentali divisione dictum est.

ARTICULUS QUINTUS

(17)

De legibus divisionis.

I. Ratio articuli. Præclara sunt verba, quæ Plato in Phædro Socrati tribuit : *Si nactus fuero ducem, qui recte partiri sciat, ejus ego vestigia ut Dei cujusdam sequar.* Et revera in recte distinguendo et dividendo pene universa sapientia humana consistit. Maxima igitur cura adhibenda est ut recte objecta, quæ intelligere cupimus, dividamus : ad quem finem in Dialectica leges traduntur sequentes.

II. Leges divisionis. Quatuor præcipuas assignamus leges divisionis :

Prima regula. *Membra dividentia* (seu partes) *simul sumpta perfecte adæquent totum divisum.* Ratio est in promptu. Nam totum componitur ex partibus, seu ex membris dividentibus, ita ut aliquo modo dici potest quod partes sunt ipsum totum; non autem essent ipsum totum, seu non totum componerent, si simul sumptæ totum ipsum perfectissime non adæquarent, ut manifestum est ex ipsis terminis. Hinc peccant sequentes divisiones : *Vivens dividitur in hominem et brutum :* quia vivens se extendit etiam ad plantas, ad angelos, et ad Deum; *motiva homini ad agendum sunt gloria vel lucrum :* quia adsunt alia motiva nobiliora.

Secunda regula. *Nullum membrum divisionis excedat aut adæquet totum divisum.* Patet. Quodlibet enim membrum est *una* pars totius divisi; *una* autem pars neque potest excedere neque potest adæquare totum, habens præter ipsam alias partes. Hinc illud axioma : *totum est majus qualibet sua parte.* Male igitur divides animal in *sensitivum* et *rationale:* quia *sensitivum* idem prorsus est ac *animal:* omne enim animal est sensitivum, et omne sensitivum est animal.

Tertia regula. *Membra dividentia ad invicem opponantur*, seu unum membrum neque sit neque in se includat alterum : secus partes multiplicarentur, quæ revera partes

non sunt, ac proinde falsa esset divisio. Hinc falso dividitur noster Globus in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam, et Italiam, quia membrum *Italia* includitur in Europa, et ab Europa excluditur vi *hujus divisionis*, sicut vi divisionis ab Europa, excluduntur cæteræ partes.

Quarta regula. *In divisione primo assignentur membra in quæ immediate dividitur totum*, ac postea, si occurrat, *membra dividentia* singillatim *subdividantur*. Scopus enim divisionis est inducere claritatem idearum; at non claritas, sed magna confusio oriretur, si, postpositis principalioribus partibus, secundariæ prius inducerentur. Hinc confusa est divisio substantiæ in *spiritualem*, *viventem*, et *rationalem*, contra illam quam supra dedimus (5, VII).

III. **Discretio in subdivisionibus inducendis.** Attamen in membris subdividendis illud Senecæ præ oculis habeto : *Simile confuso est quidquid usque in pulverem sectum est.* Non igitur sine maxima necessitate ad minutissima quæque est descendendum : ut enim ipse Seneca prosequitur, *comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile est. Describitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur, si discessit in partes: quas, ut dixi, innumerabiles esse et parvas non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio.* — Epist. LXXXIX.

IV. **Duæ difficultates contra assignatas leges divisionis.** *Prima difficultas* est : Recte partes hominis assignantur, cum dicitur quod sit *animal rationale*. Et tamen *animal* latius patet quam *homo*, qui est totum divisum. Non igitur vera est secunda regula tradita divisionis.

Resp. Homo, cum dicitur *animal rationale*, sumitur ut totum *actuale*, non autem ut totum *potentiale*, (16, II); cum autem subditur quod *animal* latius patet quam *homo*, sumitur *animal* ut *genus*, seu ut *totum potentiale*. Unde argumentatio non concludit. *Homo* igitur minor est *extensione* quam *animal;* sed major est *comprehensione*, quia dicit, præter animalitatem, etiam rationalitatem, quam non dicit *animal*.

Secunda difficultas. Probatissima est divisio boni in *honestum, utile* et *delectabile*. Sed bonum honestum est vere utile, et vere utile est honestum, sicut honestum et utile sunt vere delectabilia. Non igitur tertia regula vera est.

Resp. Divisio boni assignata, ut notat Angelicus, P. I. Q. V., Artic. VI, ad 2, « non est per oppositas res, sed per oppositas rationes. Dicuntur tamen illa proprie delectabilia, quæ nullam

habent aliam rationem appetibilitatis, nisi delectationem, cum aliquando sint et noxia et inhonesta. Utilia vero dicuntur quæ non habent in se unde desiderentur, sed desiderantur solum ut sunt ducentia in alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ. Honesta vero dicuntur, quæ in seipsis habent unde desiderentur. » Igitur in opposita difficultate confunditur *materiale* cum *formali* (12, I) bonitatis, quod est *honestas* vel *utilitas* vel *delectabilitas*, secundum quas formalitates (penes quas attenditur illa data divisio), *utilitas*, ut talis, excludit *honestum*, et *honestas*, ut talis, excludit *utilitatem*, etc., ut cum sancto Thoma explicatum est. Stat igitur veritas tertiæ regulæ.

LIBER SECUNDUS

DE JUDICIO.

Prologus. Absoluto tractatu de primitivis elementis nostrarum cognitionum, agere suscipimus, juxta divisionem datam in Proœmio ad Logicam, de secunda mentis operatione, quæ est *judicium*. Quia vero, ut recte admonet Tullius, lib. I. *De officiis*, cap. I : « Omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur; » primo loco de natura judicii ejusque speciebus dicendum est. Sicut autem ideas terminis, ita et judicia interna animi nostri *propositionibus* enuntiamus. Igitur secundus iste Dialecticæ liber in duas Sectiones dividitur; in quarum prima de *judicio*, in altera de *propositione* disputabimus.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA ET SPECIEBUS JUDICII.

Prologus. Ut mox dicebam, primo loco de judicii natura et speciebus disseram. Procul dubio, cum propositiones judicium referant, species et divisiones judiciorum, sunt species et divisiones propositionum. Attamen, quia usu venit apud antiquiores Scholasticos (quos in hac re non pauci recentiores scriptores nec minoris nominis secuti sunt) ut, in gratiam tironum, natura judicii ex ejus signo, hoc est ex propositionis natura, potissimum declaretur, hanc methodum, claritatis causa, sequimur. Hinc in hoc capite de natura judicii, deque principalioribus ejus speciebus solummodo erit sermo; cætera vero in sequentibus capitibus explicabimus.

ARTICULUS PRIMUS

(18)

De natura judicii.

§ I. **Judicii notio et ejus elementorum scholastica denominatio.** Judicii vocabulum sensu metaphorico applicatur ad designandum actum mentis : proprie enim usurpatur ad si-

gnificandam *sententiam* a judice latam pro controversiis dirimendis. Communiter vero, *judicii* nomine intelligitur, *mentis actus quo aliquid esse affirmamus vel negamus.* Hinc : *Deus est sapientissimus; homo non est angelus;* aliaque hujusmodi communi hominum sensu *judicia* nuncupantur.

Animadvertere autem facillimum est, in judiciis præfatis unum de altero constanter affirmari aut negari, seu, quod in idem recidit, aliquid inesse vel non inesse alteri; sicut affirmo *sapientiam* inesse *Deo;* et nego *naturam angeli* inesse *homini.* — Illud, de quo aliquid affirmatur vel negatur, dicitur *subjectum;* illud vero quod affirmatur vel negatur de *subjecto*, dicitur *prædicatum*, et etiam *passio.* Hinc in exemplis citatis, *Deus* est subjectum primi judicii; *homo* est subjectum secundi. Verbum autem substantivum *est* dicitur *copula*, quia revera copulat seu componit prædicatum cum subjecto in judiciis affirmativis, quasi nexus utrumque conjungens, vel dividit prædicatum a subjecto in judiciis negativis vi particulæ negantis.

Si prædicatum in casu *nominativo* (vel etiam, ut quibusdam videtur, in *accusativo*) tribuitur vel negatur subjecto, dicitur *prædicatio in sensu recto;* ut, *Deus est bonus;* — si si vero prædicatum tribuitur vel negatur subjecto in casu *genitivo*, vel *dativo*, vel *ablativo*, et etiam *accusativo* cum *præpositione*, est *prædicatio in sensu obliquo :* ut, *creaturæ sunt Dei, sunt a Deo, sunt ad Deum.* Patet diversitas inter judicia in sensu *recto* et in sensu *obliquo.*

II. De conditionibus prærequisitis ad judicium efformandum. Ex vulgari notione judicii emergit ipsum esse compositum quoddam mentale, resultans ex duabus saltem ideis a mente in unum conjunctis vel separatis per copulam. Dico autem judicium esse quid *compositum* ex parte *materiæ*, seu ex subjecto et prædicato, non autem ex parte *subjecti*, seu mentis, quæ, sicut *simplici* actu apprehendit, ita simplici actu judicat. Et hæc bene nota. — Quo posito evidenter sequitur : — 1° Judicio mentis præire necessario apprehensionem *subjecti* et *prædicati* separatim. Ratio est, quia mens non potest judicio unire vel separare sibi ignota. Non autem refert utrum hæc apprehensio prior sit tempore vel natura solummodo. — 2° Judicio mentis, præter hanc apprehensionem, necessario præire *comparationem* inter predicatum et subjectum : nam per judicium dicitur prædicatum inesse vel non inesse subjecto; quam inhærentiam vel non-inhærentiam mens nullo pacto affirmare potest, nisi antea perspectam

habeat sociabilitatem vel insociabilitatem ipsius prædicati cum subjecto : quod *comparatione* habetur. Ita faber lignarius duo ligna aptat atque commensurat, antequam uniat. — 3° Hinc sequitur quod judicio mentis præire etiam debet *perspicientia convenientiæ* vel *non convenientiæ*, seu *sociabilitatis* vel *insociabilitatis* prædicati cum subjecto, antequam alterutrum affirmet vel neget. Nam comparatio ideo instituitur, ut perspecta habeatur præfata convenientia.

III. Quæstio. Hic quæritur a philosophis, utrum perspicientia convenientiæ prædicati cum subjecto constituat *formaliter* judicium, vel aliquid requiratur, nempe positiva actio mentis qua affirmetur vel negetur prædicatum inesse subjecto. Quamvis nonnulli priori parti adhæreant, secundæ tamen mihi videtur magis esse subscribendum. Etenim perspicientia non dat nisi associabilitatem vel insociabilitatem idearum; consequenter conjunctio vel divisio per illam perspicientiam habetur solummodo in potentia non in actu, ut facienda non ut facta. At judicium affirmat actu vel negat unam ideam de *facto* alteri inesse : quod procul dubio plus est, formaliter loquendo, quam earum associabilitas vel insociabilitas. Unde Angelicus recte docet. P. I. Qu. LXXXV. Art. V. judicium haberi cum mens *unum apprehensum alii componit et dividit*. Et, Qu. XXVII. Art. I. jam dixerat : « Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, et *ex ejus notitia* procedens. » Aliud igitur est *notitia*, aliud, juxta S. Thomam, id, nempe *verbum*, quod ex tali rei notitia, in mente et a mente procedit efficienter, seu ut a mente formatum et expressum, et ideo dicitur conceptus *formalis*, ut alibi (1, VII) declaratum est. Verum hæc quæstio forte est magis de nomine quam de re ipsa; unde hæc sint satis (1).

(1) Iste *assensus* vel *dissensus*, qui est formale in judicio, a Cartesio cum sua schola tribuitur voluntati non autem intellectui. Hoc autem tanquam erroneum ipsi adiudicandum videtur, quia judicium in sua genesi mentali et in sua forma elicitiva est eminenter actus cognitionis, ac proinde essentialiter ad intellectum pertinet. Tamen « se l'affermazione, che costituisce il giudizio, proviene come *atto elicito* dall'intelletto, dipende però come *atto imperato* dalla volontà; perchè il giudizio non è semplicemente un *vedere* o *intuire*, funzione passiva nel senso che si dicono passive alcune facoltà mentali, ma è un *fare* qualche cosa, è esercizio di un'attività consapevole, che involge la cooperazione della volontà...

« *L'affermazione* adunque o l'*assenso*, considerato non parzialmente come semplice atto intellettivo, ma integralmente come

IV. Judicii explicatio philosophica. Ex hucusque explicatis jam liquet quid sit *judicium* philosophice acceptum; nempe est *actus mentis unum apprehensum alteri affirmatione componens, aut negatione dividens.* — Judicium dicitur etiam *assensus* vel *dissensus*, vel etiam, vocabulo universaliori, *adhæsio* mentis, ex eo quod per ipsum mens adhæret, sive certo sive opinative, objecto cognito; dicitur *compositio* vel *divisio*, quia revera mens unum alteri componit vel dividit ab eo, et affirmat vel negat unum de altero, ut ex hucusque traditis circa judicii naturam constat. Secundum vero quod unum de altero affirmatur vel negatur, judicium dicitur *affirmativum* vel *negativum*. Ex. : *Deus est justus*, est judicium affirmativum : *vitium non est amabile*, est judicium negativum.

ARTICULUS SECUNDUS

(19)

De variis judiciorum speciebus.

I. Ratio duplicis divisionis genericæ nostrorum judiciorum. Sicut in omni cognitione, ita et in omni judicio duo sunt : *judicans* (subjectum), et *res* (objectum) in quam, sicut in terminum, fertur judicium. Hinc generales divisiones judicii ex parte *subjecti* et ex parte *objecti*.

II. Divisio judicii ex parte subjecti. Judicium ex parte subjecti aliud est *prudens*, aliud *temerarium*. Prudens est judicium illud, quod ab intellectu formatur post diligentem comparationem prædicati cum subjecto; si secus, judicium expressum est temerarium.

Præterea, judicium aut est *certum*, aut *opinativum*. In omni enim judicio mens *adhæret* objecto cognito; si igitur hæc adhæsio est *absoluta* et sine errandi formidine, dicitur proprie *assensus*, seu *certitudo;* si est cum errandi formidine, dicitur *opinio* (cf. S. Th. Qq., Dispp. *De veritate*, Qu. XIV, *De fide*, Art. 1, ad 3; — inf., Artic. 40, II. VIII).

---

atto umano, è un atto che sta in nostro potere, un atto che possiamo fare o non fare per nostra determinazione; vale a dire che nel giudizio coopera insieme con l'intelletto *anche* la volontà ». — A. Franchi, *Ultima Critica*, vol. 3, nº 553, qui plura et pulcra habet ac de re.

III. Radix diversitatis judiciorum ex parte objecti. In confesso est in omni judicio affirmari vel negari unum *esse* vel *non esse* aliud, seu, quod idem est, affirmari vel negari, *identitatem* prædicati et subjecti. Hujusmodi identitatem exprimit verbum *est*, quod implicite vel explicite ponitur constanter ut *copula* in omni judicio. — Quoties igitur mens comparat prædicatum cum subjecto, ut perspiciat an unum alteri conveniat, aut deprehendit *prædicatum contineri in ipsa notione subjecti*, quatenus vel ipsum constituit (ut *genus* vel *differentia*) vel cum ejus natura constituta necessario connectitur (ut *proprietates*); qua in hypothesi prædicatum non potest non inesse subjecto quin ipsa natura subjecti pereat; — aut deprehendit *prædicatum quidem inesse vel non inesse de facto subjecto, sed rationem talis inhærentiæ vel non-inhærentiæ aliunde quam a notione ipsius subjecti pendere*, sicut de accidentibus prædicabilibus supra dictum est (4, III). Et quod dico de judiciis affirmativis, valet etiam pro negativis : nam quædam prædicata neque conveniunt neque possunt subjecto convenire, quia subjecti notione excluduntur, ut ratio quadrati a circulo; quædam vero non conveniunt, sed possunt convenire salva natura subjecti, ut puero scientia. Ob hanc diversam *rationem* inhærentiæ vel non-inhærentiæ prædicati subjecto, judicia in duas species dividuntur. Etenim priora, quæ *ex sola idearum notione affirmant vel negant earum identitatem*, dicuntur *a priori, necessaria, in materia necessaria, absoluta, pura, rationalia, metaphysica, analytica :* cujusmodi est judicium : *totum est majus qualibet sua parte.* — Judicia, *quæ affirmant vel negant identitatem prædicati cum subjecto, non vi idearum, sed vi facti*, dicuntur *a posteriori, contingentia, in materia contingenti, hypothetica, empirica* (id est *experimentalia*), *physica, synthetica :* hujus generis est judicium : *nix est alba.*

IV. Judicia immediata et judicia mediata. Judicia tum analytica tum synthetica dicuntur *immediata*, seu *per se nota*, si, idearum comparatione instituta, earum identitas illico pateat, ut in judicio : *totum est majus sua parte.* Si autem ex idearum comparatione præfata identitas non pateat, sed ex aliis judiciis inferatur, ope scilicet ratiocinii, judicia *mediata* appellantur; sicut judicium mediatum est : *anima humana est immortalis.* — Patet judicia mediata in immediata resolvi tamquam in propria principia, quasi effectus (in ordine nostrarum cognitionum) in propriam causam efficientem.

V. Kantii judicia synthetica-a-priori. Divisionem judiciorum ex parte objecti, in *analytica* et *synthetica*, quam supra dedimus, inadæquatam existimat Kant (1724-1804), ratus inter ipsa dari tertium quoddam genus judiciorum, quæ ipse *synthetica-a priori* appellat. Judicia quidem *a priori*, quæ etiam *explicativa* nominat, et *synthetica*, quæ etiam *extensiva* dicit, eodem sensu assumit quo nos cum omnibus philosophis supra, n° III. accepimus. Insuper notat rectissime judicia *analytica* seu *a priori* triplicem præ se ferre conditionem : — 1° prædicatum includi in notione subjecti; — 2° habere *necessitatem;* — 3° et habere *universalitatem*. Si una desit harum conditionum, judicium non erit absolute *analyticum* neque *a priori*. Præterea, addit si aliquod judicium careat prima conditione, at secundam et tertiam habeat, non erit absolute judicium *syntheticum*. Atqui hæc duplex hypothesis, juxta Kantium, in quibusdam judiciis verificatur. Sint, inquit, judicia : *Omnis effectus suam causam habet; Quinque plus septem æquantur duodecim; Linea recta est brevissima omnium, quæ inter duo puncta duci possunt.* Quisque per se videt hujusmodi judicia esse et universalia et necessaria. Ergo ex hac parte sunt *a priori*. Sed, addit Kant, *habere causam, æquari duodecim, esse omnium brevissimam inter duo puncta*, non sunt prædicata inclusa in notione subjectorum *Effectus, Quinque plus septem, Linæ rectæ*. Ergo ex hac parte non sunt *analytica*, sed *synthetica*. Sed ex alia parte, ut dictum est, sunt *a priori*. Ergo sunt simul *synthetica* et *a priori*, seu *synthetica-a-priori*.

VI. Kantii doctrina refutatur. Verum hæc judicia *synthetica-a-priori* admitti non possunt : quod duabus potissimum rationibus probamus. Et imprimis, judicium tanquam necessariam conditionem subaudit cognitionem seu visionem convenientiæ prædicati cum subjecto, quam quidem convenientiam judicio ipso affirmamus vel negamus, ut supra dictum est (18, II). Qua sane comparatione non instituta et convenientia non perspecta, tam impossibile est ut mens judicium, quod *visio* quædam animi est (1, I), proferat, quam impossibile est ut mens non videndo simul et sub eodem respectu videat, et non intelligendo intelligat. Age vero. In affirmando hoc judicio (et idem dicatur de ceteris), *Effectus postulat causam*, hæc *exigentia* causæ in subjecto *effectus*, aut eruitur ex ipsa notione effectus, aut ex principio experimentali *coexistentiæ*, quatenus nempe habere causam *de facto* convenit effectui, quin ex intima hujus natura colligatur. Si primum

(ut reapse est), illud judicium, aliaque similia, sunt vere *analytica* et *a priori :* si alterum, judicium est simpliciter *a posteriori* et *syntheticum*. Nihil igitur est tertium, seu judicia *synthetica-a-priori* absolute repugnant. — Deinde Kant in hac sua doctrina defendenda contradictionibus implicatur. Concedit enim, et vere ita se res habet, judicia illa *synthetica-a-priori* universalitatem atque necessitatem præ se ferre. Sed undenam, quæso, mens nostra deprehendit, *prædicatum* convenire vel repugnare *necessario* et *universaliter* subjecto? nisi ex ipsa perspecta natura *subjecti*, quod ita illud exigit prædicatum, ut ab eo neque mentis consideratione divelli possit quin pereat ejus natura, atque proinde, ipso posito, *universaliter* et *necessario* ponitur prædicatum. Ita, *habere causam*, ideo intelligimus convenire necessario et *universaliter effectui*, quia intelligimus *effectus* naturam perimi si ipsi *exigentia causæ* auferatur. Impossibile igitur est concedere universalitatem et necessitatem prædicati in aliquo subjecto, et negare hujusmodi prædicatum includi in ipsa ratione subjecti : consequenter judicia *synthetica-a-priori*, quæ habent, fatente Kantio, priores conditiones, habent *a fortiori* et alteram de inclusione prædicati in notione subjecti; ac proinde illa judicia revera sunt *analytica* absolute et *a priori* (1).

CAPUT SECUNDUM

DE PROPOSITIONIS NATURA EJUSQUE SPECIEBUS.

Prologus. Designata natura judicii, sequitur, juxta ordinem determinatum in *prologo* ad hunc librum, ut agamus de *propositione*. Propositio vero potest considerari : 1° in seipsa, ut est nuda propositio; — 2° ut affecta quodam *adjuncto*, quod ipsam modificat vel multiplicat; — 3° in comparatione ad aliam vel alias propositiones. — Unde Sectio ista de propositione in tria capita dividitur. — Quoad *propo-*

(1) De Kantiana doctrina fusius tractabitur in Critica, cap. II, art. III. — Modo sufficiat animadvertere, ob gravitatem consequentiarum, hæc judicia synthetica a priori quæ Kant plurimum extollit, utpote valida contra vana systemata rationis puræ, continere germinaliter negationem principii causalitatis, quod mors est cognitionis. Posito enim quod « *notio causæ nullo modo contineatur in ratione effectus* » (*Critique de la raison pure. Introduct.* traduite par I. Tissot. Troisième édition, p. 43), principium causalitatis evanescit et cum ipso scientia quælibet.

sitionem in seipsa spectatam, dicemus *primo*, de propositionis natura; *secundo*, de propositionis speciebus ratione *materiæ, qualitatis* et *formæ; tertio*, denique de speciebus propositionis ratione *quantitatis* seu *extensionis*. Admoneo studiosos adolescentes tractatum de propositionibus ita esse pernecessarium, ut qui ipsum ignoret aut mente non plane percipiat, nunquam naturam ratiocinii, a quo scientia in nobis generatur, perspectam habeat, atque proinde sapiens esse nulla ratione possit. Ad nos quod attinet, in hoc tractatu, sicut et in cæteris, ita brevitati studebimus, ut perspicuitati non noceamus.

ARTICULUS PRIMUS

(20)

De propositionis natura.

I. Propositionis notio. Propositio nil aliud est quam ipsum mentis judicium verbo, vel alio signo sensibili manifestatum. Unde et est signum (10, I) judicii, et habet quidquid ad naturam judicii pertinet. Ut est signum, propositio dicitur, *oratio qua judicia nostra aliis manifestamus;* ut continet naturam judicii, dicitur, *oratio enuntiativa unius de alio,* sicut dictum est de judicio; denique ut conceptum *objectivum* (1, VII) exprimit, seu ut rem ipsam, ad quam refertur, affirmat esse vel non esse, dicitur, *oratio in qua verum vel falsum invenitur.*

II. Corollarium. Propositio est ipsum judicium sensibiliter expressum. Ergo, sicut dictum est de judicio, ipsa tribus terminis necessario constat, nempe *subjecto, copula,* et *prædicato.* Unde formula generalis propositionis sicut et judicii est : *S est P;* seu, *subjectum est prædicatum,* si judicium est affirmativum; *S non est P;* seu, *subjectum non est prædicatum,* si judicium est negativum. — Subjectum et prædicatum dicuntur *materia,* copula vero *forma* propositionis. — Et nota *formam* propositionis esse semper, ut jam diximus (19, III), verbum substantivum *sum, es, est,* sive implicite sive explicite positum : quia revera ipsum solummodo exprimit *identitatem,* quæ inter subjectum et prædicatum affirmatur vel negatur in judicio. Imo in omni propositione verbum istud vel ponitur vel latet saltem in tempore præsenti; sicut hæc propositio : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu*

concilii, revera continet hunc sensum in quem resolvitur : *Apostoli sunt aliqui, qui ibant*, etc. — *Copula* autem, ut inquit Angelicus, *I Periherm.* Lect. V. n. 4, *semper est ex parte prædicati*, quia revera ipsa affirmat vel negat de prædicato identitatem ejus cum subjecto (1).

III. De terminis in propositione explicite vel implicite positis. Tribus terminis constare debere propositionem dictum est. Attamen non necesse est ut omnes explicite ponantur. Sint exempla : 1° *Deus est æternus;* — 2° *Deus creat;* — 3° *Venio.* Prima tres terminos habet explicite, et ab antiquis hujus generis propositiones dicebantur, *de tertio adjacente;* — secunda, quæ dicebatur, *de secundo adjacente*, duos terminos explicite habet, sed in secundo includitur tertius, quia resolvitur hoc modo : *Deus est creans;* — tertia denique, dicta *de primo adjacente*, uno termino constat, aliis duobus in eo inclusis, et hoc modo resolvitur : *ego sum veniens.* — Notandum præterea tres terminos intelligi *formaliter* (11, V et 12, I), seu quoad sensum, non autem *materialiter :* quia materialiter possunt esse plures, qui tamen se habentes per modum *unius* subjecti vel *unius* prædicati, nonnisi unum terminum *formalem* constituunt. Ex. : *Initium sapientiæ est timor Domini ;* quinque habes terminos in hac propositione; sed *initium sapientiæ* est unum prædicatum, et *timor Domini* est unicum subjectum.

IV. De propositione naturali, innaturali et præter naturam In propositione *subjectum* ideo tale nomen sortitur, quia subjicitur *prædicato*, a quo ut a *forma* vel *quasi forma* denominatur; sicut minus universale intelligitur ut *subjectum* majori universali (3, II). Unde, naturaliter loquendo, subjectum in ratione *compre-*

(1) Quando prædicatum est in casu nominativo, id quod primo affirmatur vel negatur est identitas inter prædicatum et subjectum. Quando vero prædicatum non est in casu nominativo, id quod primo affirmatur vel negatur non est identitas inter prædicatum et subjectum, sed inter aliud prædicatum a primo modificatum et subjectum.

Ex. g. *Deus est iustus :* quod primo in hoc iudicio affirmatur est identitas iusti ac Dei, seu idem est Deus et justus. *Petrus non est iustus :* seu idem non est Petrus et iustus. *Creaturæ manifestant Deum :* seu eædem sunt creaturæ ac manifestantes Deum. Deus autem non prædicatur de creaturis primo et formaliter, in recto, sed secundo et consequenter, in obliquo, quatenus Deus modificat prædicatum manifestantes, seu determinat determinans.

Pariter dicendum de judiciis : *creaturæ sunt Dei, creaturæ sunt dominium Dei, creaturæ sunt a Deo, creaturæ sunt productæ a Deo, creaturæ sunt ad Deum, sunt ordinatæ ad Deum.*

hensionis (ibid.) majus est prædicato; sed prædicatum majus est subjecto in ratione *extensionis* (3, I). Et revera, in hac propositione : *anima humana est immortalis*, prædicatum *immortalis* latius patet, seu pluribus subjectis, quæ non sunt animæ humanæ, potest convenire : et reapse convenit *angelis* et *Deo*. — Ergo in exprimendis propositionibus : 1° Aut servatur ordo *naturalis*, ut scilicet prædicatum revera habeat majorem universalitatem quam subjectum, ut in hac propositione : *Anima humana est immortalis;* et propositio dicitur *naturalis* vel *ordinata;* — 2° Aut contra se habet, nempe *prædicatum* ponitur loco naturalis subjecti, et propositio dicitur *innaturalis* seu *inordinata*, vel *contra ordinem*, vel etiam *indirecta;* ut : *aliquod immortale est anima humana; aliqua virtus est justitia;* — 3° Aut denique *subjectum* est æque vel etiam magis universale quam prædicatum, sed prædicatum tamen affirmatur vel negatur de ipso subjecto non ratione sui *formalis* expressi, sed ratione *materialis*. Ex. : *aliquod candidum est frigidum*. In hac propositione *frigidum* candido tribuitur, non quia *candidum*, sed quia *subjectum* candidi est etiam frigidum (8, IV). Hujusmodi propositiones, quæ frequenter occurrunt in scientiis et quæ, in disputationibus scholasticis præsertim, æquivocationibus et sophismatibus occasionem præbent, dicuntur *præter ordinem* seu *præter naturam*, et frequentius etiam *per accidens*. Unde illa propositio scholastice distinguenda est hoc modo : *candidum* per se *est frigidum*, nego; *per accidens*, concedo.

ARTICULUS SECUNDUS

(21)

De divisionibus propositionum ratione materiæ, formæ et qualitatis.

I. **Elementa propositionis.** Dictum est supra *subjectum* et *prædicatum* esse elementa *materialia* propositionis, *copulam* vero esse elementum *formale*, seu nexum utriusque. Sed præterea subjectum et prædicatum, quia termini sunt, possunt habere majorem vel minorem *quantitatem* seu *extensionem* seu *universalitatem :* hæc enim vocabula idem prorsus in Dialectica significant, ut pluries jam dictum est. Denique propositio ad objectum refertur, ita scilicet ut propositio sit *vera* vel *falsa* ex eo quod objectum ita est vel non est, sicut in propositione dicitur. Veritas et falsitas constituunt in Dia-

lectica *qualitatem* propositionis. Igitur quatuor sunt propositionis elementa, *materia*, *forma*, *quantitas* et *qualitas*.

II. **Divisio propositionis ratione materiæ.** Nomine materiæ in propositionibus intelligimus *rationes diversas*, quibus prædicatum convenit subjecto : aut enim ipsi convenit *necessario* aut *contingenter;* vel si actu non conveniat, aut *potest* saltem convenire, aut convenire est *impossibile*. Unde ratione materiæ, propositio alia est *necessaria*, alia *contingens*, alia *possibilis*, alia *impossibilis;* et dicitur etiam propositio *in materia necessaria*, *contingenti*, *possibili*, *impossibili*.

III. **Probatur allata divisio ratione sancti Thomæ.** Hujus divisionis rationem dilucide assignat S. Thomas in I. *Perihermen.* Lect. XIII. n. 3, in hæc verba : « Potest autem accipi... divisio enuntiationum secundum materiam, quæ quidem divisio attenditur *secundum habitudinem prædicati ad subjectum*. Nam si prædicatum *per se* insit subjecto, dicitur esse enuntiatio *in materia necessaria* vel *naturali;* ut cum dicitur, *homo est animal*, vel *homo est risibilis*. Si vero prædicatum *per se* repugnet subjecto quasi excludens rationem ipsius, dicitur enuntiatio esse *in materia impossibili* sive *remota;* ut cum dicitur, *homo est asinus*. Si vero medio modo se habet prædicatum ad subjectum, ut scilicet *nec per se repugnet subjecto nec per se insit*, dicitur enuntiatio esse in materia possibili vel contingenti. » Hæc omnia consonant iis quæ dicta sunt (19, III) circa divisionem judiciorum in judicia *a priori*, quæ sunt in materia *necessaria* vel *impossibili*, et in judicia *a posteriori*, quæ sunt in materia *contingenti* vel *possibili*. Hic solum animadvertimus judicia tum in materia contingenti tum in materia possibili esse æque contingentia; attamen frequentius *contingens* dicitur propositio, si prædicatum *de facto* conveniat subjecto, sed potest non convenire; *possibilis* vero, si prædicatum *de facto* non conveniat, sed ipsi convenire potest.

IV. **De quatuor modis dicendi seu prædicandi per se.** — Dictum est supra (n. II, seq.) propositionem esse in materia necessaria quando prædicatum *per se* dicitur de subjecto. Sunt autem varii modi seu variæ rationes dicendi seu prædicandi *per se* unum de alio; unde peropportunum ducimus hoc loco declarare quatuor istos modos ex iis quæ scripsimus in nota 2 in XI. lectionem S. Thomæ in lib. I. *Posteriorum analytic.* Ed. L. — Præmittimus S. Doctoris verba : « Sciendum est, inquit, quod hæc præpositio *per* designat habitudinem causæ; designat etiam interdum et *situm*, sicut cum dicitur aliquis esse per se, quan-

do est solitarius. Causæ autem habitudinem designat aliquando quidem formaliter, sicut cum dicitur quod corpus vivit *per* animam. Quandoque autem habitudinem causæ *materialis;* sicut cum dicitur quod corpus est coloratum *per* superficiem : quia scilicet proprium subjectum coloris est superficies. Designat etiam habitudinem causæ extrinsecæ et præcipue efficientis; sicut cum dicitur quod aqua calescit *per* ignem. Sicut autem hæc præpositio *per* designat habitudinem causæ, quando aliquid extrinsecum est causa ejus, quod attribuitur subjecto; ita quando subjectum vel aliquid ejus est causa ejus, quod attribuitur ei, et hoc significat *per se.* » (S. Thomas. in I. *Post.* L. X. n. 2. Ed. L.). Generatim ergo loquendo, *per se* dicitur per oppositionem ad *per aliud.*

Primus modus dicendi *per se* est quando de subjecto dicitur prædicatum, quod est, vel ejus definitio *(homo est animal rationale);* vel aliquid de ejus definitione *(homo est animal;* vel, *homo est rationalis).*

N. B. Quæ prædicantur in hoc primo modo non sunt accidentia subjecti, sed constitutiva ejus essentialia. Primus iste modus dividitur in duos :

a) Primus modus dicendi per se *primo* est quando non solum prædicatum est de definitione subjecti, sed ita adæquat subjectum ut sit convertibile cum eo. Ex. *Homo est rationalis;* rationale ut distinguitur ab *intellectuali* est convertibile cum homine, quia, *Omne rationale est homo.*

b) Primus modus dicendi per se *secundo,* est quando prædicatum est quidem de definitione subjecti, sed non est convertibile cum eo. Ex. : *Homo est animal;* non convertitur : *Omne animal est homo.*

Secundus modus dicendi *per se* est quando subjectum est de definitione prædicati. E. g. *Par est numerus habens medium;* subjectum est numerus, et ingreditur definitionem *paris.*

N. B. Quæ prædicantur in hoc secundo modo non sunt constitutiva essentiæ subjecti, sed ex essentia dimanant, hoc est sunt ejusdem subjecti *passiones propriæ,* seu *propria accidentia* (6, IV).

Secundus etiam iste modus dividitur in duos.

a) Secundus modus dicendi per se *primo* est quando prædicatum convertitur cum subjecto, quod ponitur in definitione ejus. Ex. : *Homo est risibilis;* convertitur : *Omne risibile est homo.*

b) Secundus modus dicendi per se *secundo* est quando prædicatum non convertitur cum subjecto, quod ponitur in ejus definitione. Ex. : *Isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis;*

non convertitur : *Omne habens tres angulos æquales duobus rectis est isosceles.*

N. B. Quidquid prædicatur de subjecto non per se neque primo neque secundo modo, et consequenter neque quarto modo (de quo infra), dicitur prædicari *per accidens*, quatenus per accidens significat prædicari *contingenter* (4, III, V; 6, IV).

TERTIUS MODUS dicendi *per se* est modus existendi non modus prædicandi (I. *Poster.*, lect. X. n. 6); quatenus nempe significat aliquid esse in se (substantia) et non in alio (accidens) tanquam in subjecto (6, III, seq.).

QUARTUS MODUS dicendi *per se*, qui dicitur secundum rationem *causalitatis*, est quando aliquid tribuitur alicui effective in quantum tale seu formaliter. Ex. : *Medicus sanat :* sanat enim *quatenus* medicus et non quatenus albus, musicus, etc.

N. B. Etiam in secundo modo subjectum quod ponitur in definitione prædicati, est causa prædicati; unde quandoque secundus et quartus modus dicendi per se coincidunt. Distinguuntur tamen formaliter, quia in secundo modo attenditur ratio prædicationis fundata in definitione prædicati includentis subjectum; sed in quarto attenditur ratio causalitatis, quatenus nempe prædicatum dependet in suo esse a proprio subjecto, ut a causa (I. *Poster.*, l. X. n. 7, not. 5).

V. Propositionis divisio ex parte formæ. Forma propositionis, ut pluries jam diximus, est *nexus prædicati et subjecti*, expressus per copulam seu verbum *sum, es, est.* Manifestum est autem *nexum* seu *identitatem* aut affirmari, sicut cum dico : *Deus est justus;* aut negari, sicut cum dico : *homo* non *est angelus.* Nihil tertium fingi potest. Ergo propositio ratione *formæ* dividitur, in *affirmativam*, qua nexus seu *identitas* prædicati cum subjecto affirmatur; et in *negativam*, qua prædictus nexus *negatur.* — Porro unusquisque per se intelligit quod, cum verbum *sum, es, est* exprimat identitatem, ut propositio sit negativa necessario requiritur ut particula negans afficiat ipsum verbum, secus propositio non erit negativa. Unde propositio : *homo est* non *angelus*, est propositio vere affirmativa, quia vere affirmatur identitas hominis cum alio *objecto* seu prædicato indeterminato et innominato, quod non est angelus. — Si negatio non afficiens copulam afficiat subjectum, ut, *non amare virtutem est summa stultitia*, propositio dicitur *infiniti*, seu melius, *indefiniti subjecti;* si vero afficiat prædicatum, dicitur esse *indefiniti prædicati*, ut, cum dicitur : *homo est non angelus.* Propo-

sitio indefiniti prædicati, quamvis, ut diximus, sit per se affirmativa, de facili tamen resolvitur in propositionem negativam; ut, *homo est non asinus*, reducitur ad istam negativam, *homo non est asinus*.

VI. Natura divisionis propositionis in affirmativam et negativam. « Alia vero fuit divisio enuntiationis, inquit Angelicus, I. *Perihermen.* Lect. X. n. 10, in affirmationem et negationem. Quæ quidem est divisio *generis* in *species*, quia sumitur secundum differentiam prædicati, ad quod fertur negatio. Prædicatum autem est pars formalis enuntiationis. Et ideo hujusmodi divisio dicitur pertinere ad *qualitatem* enuntiationis : qualitatem, inquam, essentialem, secundum quod differentia significat *quale quid* » (4, III). Cum Angelicus hic dicit negationem ferri ad prædicatum, intellige *vi verbi :* quia nempe, ut explicavimus, *negatio* verbum afficiens negat identitatem prædicati cum subjecto; non autem *negatio* refertur ad prædicatum eo sensu falsissimo quod in propositione *negativa* prædicatum transformetur in terminum negativum.

VII. Divisio propositionis ex parte qualitatis. Qualitas propositionis ex ejus relatione ad rem enuntiatam desumitur, et est *ejus veritas et falsitas.* Propositio *vera* est, si enuntiet judicium verum, hoc est conforme rei, de qua judicatur; est *falsa*, si enuntiet judicium discordans a re judicata. *Altissimus est patiens redditor*, est propositio vera : *Deus humanarum rerum providentiam non habet*, est propositio falsa.

VIII. De variis modis quibus per propositionem enuntiatur veritas vel falsitas judicii. Quatuor modis fieri variatio potest *in qualitate* propositionis. « Uno modo, quia id quod est in re renuntiatur ita esse sicut in re est : quod pertinet ad *affirmationem veram :* puta, cum Socrates currit, dicimus Socratem currere. — Alio modo, cum enuntiatur aliquid non esse, quod in re non est : quod pertinet ad *negationem veram :* ut cum dicitur, *Æthiops albus non est.* — Tertio modo, cum enuntiatur aliquid esse, quod in re non est : quod pertinet ad *affirmationem falsam;* ut cum dicitur : *corvus est albus.* — Quarto modo, cum enuntiatur aliquid non esse, quod in re est : quod pertinet ad *negationem falsam;* ut cum dicitur : *nix non est alba.* » S. Thomas, in I. *Perihermen.* Lect. IX. n. 3.

ARTICULUS TERTIUS

(22)

De divisionibus propositionis ratione quantitatis seu extensionis.

I. **Propositionis extensio a subjecti extensione exclusive desumitur.** Nomine quantitatis seu extensionis significatur ipsius propositionis universalitas, vel particularitas, vel singularitas. Non aliunde desumitur quam ex extensione subjecti; nempe propositio est universalis, particularis, vel singularis prout singulare, particulare vel universale est ejus subjectum. Hæc lex non patitur exceptiones. Ratio est quia affirmatio et negatio quæ, sicut dictum est, sunt *formale* propositionis, tantum se porrigunt, quantum patitur natura termini qui est subjectum ipsius propositionis.

II **Propositionis ratione extensionis divisio.** Ex præmissis de facili infertur, propositionem ratione extensionis recte dividi in *singularem*, *universalem*, *particularem* et *indifinitam* seu *indeterminatam*. Nam subjectum propositionis est, — vel *terminus singularis*, ut : *Verbum caro factum est;* — vel terminus affectus signo syncategorematico universali (10, IX), *omnis*, *nullus*, etc., ut : *omnis homo est mendax;* — vel terminus affectus signo syncategorematico particulari, *aliquid*, *nonnulla*, etc., ut : *Quidam enim dicebant : quia bonus est* (Joan., VII, 12); — vel denique terminus nullo signo syncategorematico affectus, et consequenter indefinitus, ut : *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem* (Ib., III, 19). Igitur adæquata est assignata divisio.

III. **De extensione propositionis indefinitæ** Termini singulares vel signa syncategorematica per se determinant extensionem propositionis; quod quidem non accidit in propositionibus indefinitis. Et tamen quisque per se videt extensionem harum propositionum esse absolute determinandam, ut omnis error vitetur. Ad quem finem sequentes regulæ sunt attendendæ.

Prima regula. *Subjectum propositionis in materia necessaria* (19, III) *supponit distributive;* ideoque sumitur in tota sua extensione, ac si esset affectum signo syncategorematico universali, *omne*, *nullum :* consequenter propositio revera est universalis; ut : *homo est rationalis*, idem sonat ac si explicite diceretur; *omnes homines sunt rationales.* Ratio

hujus regulæ est in promptu. Nam in propositionibus *in materia necessaria*, prædicatum, ut jam notavimus (ibid.), est inseparabile necessario a subjecto. Ergo in omnibus, in quibus natura subjecti invenitur, inveniri debet et prædicatum.

Secunda regula. *Subjectum propositionis in materia contingenti supponit disjunctive* (II, V); ac proinde est particulare, quasi esset affectum signo syncategorematico particulari, *aliquid*, *nonnulla*, etc. : consequenter propositio revera est *particularis;* ut : *homines sunt prudentes*, idem est ac si diceretur : *aliqui homines sunt prudentes.* — Ratio hujus regulæ est, quia in propositione *materiæ contingentis*, prædicatum non tribuitur subjecto quasi emergens ex ipsa subjecti natura, sed aliunde, ut supra dictum est (19, III); ergo non ubicumque subjectum invenitur, ibi debet habere consociatum prædicatum. Consequenter, *per se*, neque supponit distributive, neque collective, sed disjunctive tantum.

Tertia regula. Ut autem in praxi determinetur extensio propositionis indefinitæ, addatur subjecto signum universale, *omne*, *nullum*, etc. Si cum hac additione propositio est vera, subjectum est distributive acceptum; si falsa, est acceptum disjunctive. — Ita : *Homines sunt rationales; homines sunt sapientes.* Verum est, *omnes homines sunt rationales;* falsum, *omnes homines sunt sapientes.* Ergo *homo* in prima propositione sumitur distributive; in secunda propositione sumitur disjunctive.

IV. De triplici distributione subjecti. Haud semper metaphysice loquimur, sed quandoque *moraliter*, nempe attentis hominum moribus. Sint exempla : *Circulus est rotundus; ignis comburit; parentes diligunt filios.* Veræ sunt omnes istæ propositiones et universales; at rotunditas ita est inseparabilis a circulo, ut, ipsa detracta, natura circuli pereat. Hæc propositio dicitur universalis *metaphysice :* de qua jam dictum est supra in tractatu de *suppositione* (II, VII) et in animadversionibus contra judicia *synthetica-a-priori* (19, VII). — Secunda propositio pariter universalis et vera est, sed non ex natura intrinseca subjecti, sed *attentis naturæ legibus*, quas Auctor naturæ Deus rebus a se creatis præstituit, et quibus propterea omnipotentia sua potest derogare : unde propositio non excludit *exceptiones*, quas Deus juxta placita sapientissima suæ voluntatis facit in peculiaribus circumstantiis. Hujusmodi propositiones dicuntur universales *physice.* — Tertia quoque propositio vera est et universalis, sed *attentis legibus, quibus mores hominum communiter temperantur;* quibus

tamen, ut per experientiam constat, pravitas ipsorum hominum in nonnullis peculiaribus factis contradicit. Hujusmodi propositiones dicuntur universales *moraliter*, quæ majores exceptiones patiuntur quam propositiones *physice* universales.

Exinde sequuntur nonnulla corollaria notatu dignissima.

Corollarium primum. — Propositio universalis metaphysica falsa absolute est, imo nec metaphysica est dicenda, si aliquam exceptionem patiatur. Patet ex dictis.

Corollarium alterum. — Propositio universalis physice vel moraliter solummodo vera, non propterea est vera metaphysice; at propositio metaphysice vera, *a fortiori* est vera physice et moraliter. Sequitur ex præcedenti corollario.

Corollarium tertium. — Illicitum est ex propositione physice vel moraliter vera, inferre per se *ut veram propositionem singularem.* Ut si dicerem : *Fratres mutuo se diligunt; ergo Cain dilexit Abelem.* Vix necessarium est animadvertere, in propositionibus universalibus *moraliter* proferendis, attendi debere non ad exceptiones, seu ad id *quod in paucioribus*, sed ad id quod communiter seu *in pluribus* accidit. Unde falsa est ex hoc capite hæc propositio : *Omnes homines sunt ingrati.*

V. De extensione prædicati in propositione. Extensionem propositionis ex *subjecto* desumendam esse diximus; at *prædicatum* est etiam terminus qui suam habet extensionem, nullo signo syncategorematico communiter determinatam, et tamen necessario determinandam, ut propositio fixum sensum præ se ferat. En regulæ statutæ, a quibus nunquam discedendum est.

Prima regula. *In omni propositione negativa prædicatum supponit distributive,* seu sumitur in tota sua extensione. — Nam in propositione negativa negatur subjectum contineri sub extensione, seu totalitate *potentiali* (16, II) *prædicati.* Quocirca, si aliquid positum sub extensione significata per prædicatum posset affirmari de subjecto propositionis negativæ, hæc esset falsa. Ex. gr., hæc propositio : *Nullus homo est angelus* idem sonat ac si dicatur : *nullus homo est* aliquis *angelus.* Fac ergo homini convenire esse *aliquem* angelum; et jam propositio, *nullus homo est angelus*, falsa esset.

Secunda regula. *In omni propositione affirmativa prædicatum* vi propositionis *supponit disjunctive*, seu sumitur non in tota sed partiali sua extensione, ac si esset affectum particula *aliquid*, etc. Ex. : *homines sunt mortales;* hæc

propositio significat : *homines sunt aliqui mortales.* Ratio hujus regulæ est, quia in propositione affirmativa asseritur subjectum contineri sub extensione prædicati; at nullo pacto dicitur quod illud subjectum solummodo contineatur, ita ut prædicatum ipsum ad alia subjecta non possit extendi. Imo extenditur reapse, quia prædicatum, ut supra dictum est (20, IV), majorem ex se potentialitatem, seu extensionem habet quam subjectum.

VI. **Exceptiones.** Dixi *vi propositionis*, et consulto. Nam : 1° definitiones (quæ licet in se non sint propositiones in actu, sunt tamen propositiones, in virtute, « quia cognita definitione apparet definitionem de subjecto vere prædicari », ut loquitur sanctus Thomas in I. *Poster. Analytic.* Lect. V. n. 9), quoties assumuntur in syllogismis ut propositiones, excipiuntur ab illa regula : definitio enim et definitum convertuntur, nempe habent eamdem prorsus extensionem, ut in tractatu de definitione dictum est (15, V); — 2° si prædicatum est terminus singularis : etenim in hoc casu, ratio assignata pro regula non valet, quia terminus singularis prout singularis est, extensione caret, et uni soli convenit subjecto (3, II), quod *totum* proinde suo termino exprimitur.

VII. **De comprehensione prædicati in propositione.** Hucusque consideravimus prædicatum in ordine ad suam extensionem; sed prædicatum habet, sicut habet subjectum, suam *comprehensionem*, nempe *notas* quibus coalescere intelligitur; sicut homo comprehendit *rationale, animale, vivens, substantiam, ens :* quæ *comprehensio* opponitur *extensioni*, ita ut quanto magis una crescit, tanto magis altera diminuatur, et vice versa (3, II). Pro hac comprehensione prædicati duæ sunt regulæ : — 1ª, *In omni propositione affirmativa prædicatum sumitur ac tribuitur subjecto secundum totam suam comprehensionem.* Ex. : *Homo est animal; animal*, ut comprehendit *sensum, vitam, substantiam, ens*, homini tribuitur : et revera homo habet omnia hujusmodi. Ratio vero regulæ ex ipsa vi propositionis affirmativæ emergit, in qua affirmatur identitas prædicati et subjecti; identitas non *extensiva*, ut supra diximus, sed *comprehensiva :* quæ identitas nulla foret, si aliquid in prædicato comprehensum, subjecto non conveniret. — 2ª, *In omni propositione negativa prædicatum secundum totam suam comprehensionem* collective *sumptam de subjecto negatur, non autem* disjunctive *acceptam.* Hæc regula exemplo illustratur et probatur simul. Sit hæc propositio : *Asinus non est homo.* Homo comprehendit *rationale, sensum, vitam*, etc.; quæ omnia

procul dubio collectim sumpta *asino* nulla ratione conveniunt; attamen asinus habet *sensum, vitam,* etc., nempe habet aliquas ex notis quæ homini tribuuntur, et quæ ideo *disjunctive* asino conveniunt.

CAPUT TERTIUM

DE PROPOSITIONIBUS COMPOSITIS ET MODALIBUS

Prologus. Juxta determinata in prologo ad caput secundum, dicendum nunc est de propositionibus, quæ ratione alicujus adjuncti aut multiplicantur aut modificantur, et quæ propterea dicuntur aut *compositæ* aut *modales.* Circa propositiones compositas dicendum est : 1°, de propositionibus *tum re tum apparentia compositis;* — 2°, de propositionibus *apparenter simplicibus, revera tamen compositis;* — 3° de propositionibus *apparenter compositis, at revera simplicibus.* Deinde unico articulo dicemus de *propositionibus modalibus.*

ARTICULUS PRIMUS

(23)

De propositionibus re et apparentia compositis.

I. Propositionis simplicis et compositæ notio. Propositio simplex illa dicitur, quæ *unico* subjecto et *unico* prædicato constat; ut : *Non est pax impiis* (Isa., XLVIII. 22); *Christus est pax nostra* (Ephes., II, 14). Propositio composita est, quæ plures propositiones simplices sive implicite sive explicite continet; ut : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis* (Luc., XII, 31). De propositione simplici, post ea quæ diximus de propositione in se spectata, nihil ultra est addendum.

II. Species propositionis compositæ. Propositionis compositæ, quinque species enumerantur, nempe, *copulativa, causalis, discretiva, relativa* et *hypothetica.* De omnibus singillatim dicendum est.

III. Propositio copulativa. Propositio copulativa illa est quæ *aut plura subjecta aut plura prædicata habet connexa per particulas copulantes* (sive explicite sive implicite positas), *et, nec,* et similes; ut : *Videbitis cœlum apertum, et*

angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis (JOANN., I, 51); *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei* (ROMAN., VIII, 38, 39); *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu* (Ib., III. 24).

Lex in propositionibus copulativis est : *Omnia et singula membra enumerata sint vera :* nempe aut de singulis subjectis verum sit prædicatum, aut omnia et singula prædicata vera sint de subjecto. Ratio est, quia propositio copulativa in tot solvitur propositiones simplices, quot sunt prædicata vel subjecta distincta. Igitur si unum membrum esset falsum, concessa propositione copulativa ut vera, concederetur simul ut vera propositio simplex continens membrum falsum : quod est absurdum. Consequenter propositio copulativa, cujus unum membrum falsum est, potest absolute dici falsa. Attamen in praxi, ne inutilibus disputationibus implicemur, potest distingui et communiter distinguitur propositio copulativa, secernendo et concedendo partem veram, negando partem falsam.

IV. Propositio causalis. Propositio causalis est illa, *quæ duas vel plures simplices propositiones conjungit per particulas causales, quia, quoniam,* et similes. Ex. : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matt., V, 8). — Propositio affecta particula causali, ut in exemplo, *quoniam ipsi,* etc., dicitur *causalis;* alia vero (*Beati,* etc.) vocatur *causatum.* — Ut patet ex se, tota veritas propositionis causalis, ut causalis est, stat in nexu assignato inter *causatum* et *causalem,* qui nexus consistit in *efficientia* affirmata *causati* a *causali.* Si nexus ille verus est, vera propositio causalis; falsa, si falsus nexus, esto propositiones in se sumptæ sint aliquando veræ. Hinc vera est simplex propositio; *homo est capax scientiæ;* vera hæc altera : *homo est animal bipes;* sed falsa propositio causalis ex utraque resultans : *homo est capax scientiæ* quia *est animal bipes :* nam *ratio* cur homo sit capax scientiæ, non est, sicut affirmatur in illa propositione, ex eo quod sit *animal bipes,* sed *quia* est *rationalis.*

V. Propositio discretiva. Hæc, quæ et *adversativa* dicitur, resultat ex pluribus simplicibus, conjunctis in unam propositionem compositam per particulas discretivas, *sed, at,* et similes. Ex. : *In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum* (JOANN., XVI, 33). In hujusmodi propositionibus attendendum est quod sit *aliqua* oppositio inter earum membra : secus ridiculum non evitatur; ut si dicerem : *Pe-*

trus est inter apostolos primus; sed (et) *evangelium prædicavit.* Hæ aliæque similes propositiones improprie expressæ modo discretivo, discretivæ revera non sunt, sed meræ propositiones copulativæ, et exponendæ, mutando *sed* in *et*, ut videre est in exemplo.

VI. Propositio relativa. Propositio relativa illa dicitur in qua, per particulas, *ubi*, *ibi*, *quum*, etc., propositiones simplices ita comparantur, ut una ex altera quamdam determinationem habeat. Ex. : *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea* (Eccli., X, 2). — Vix necesse est adnotare quod veritas hujusmodi propositionum ex veritate *adsertæ determinationis* unius ab altera pendet absolute, præcisione facta a veritate singularum simplicium propositionum, ut diximus de propositione *causali*. Hinc falso diceretur : *Tunc Petrus habebit ingenium, quando habebit divitias.* — Ceterum ut propositionis relativæ veritas vel falsitas sit manifestior, resolvenda est in *causalem*. Sicut ultimum exemplum adductum, si ad propositionem causalem reducatur, habebimus : *divitiæ sunt causa ingenii;* quod est falsum.

De propositione hypothetica peculiari articulo dicendum est.

ARTICULUS SECUNDUS

(24)

De propositione hypothetica.

I. Notio propositionis hypotheticæ. Propositionum aliæ sunt quæ aliquid esse vel non esse simpliciter enuntiant; ut : *virtus felicitatem parit;* aliæ vero sunt quæ aliquid enuntiant *esse* vel *non esse*, at non absolute, sed dummodo aliquid aliud verificetur : ut : *Si vos manseritis in sermone meo,* Vere *discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (Joann., VIII, 31, 32). Non affirmat Christus *absolute* de credentibus in eum, *Vere discipuli*, etc.; sed cum hoc præsupposito, a cujus existentia pendet affirmatio, nempe, *Si vos*, etc. — Hujusmodi propositiones vocantur *hypotheticæ;* primæ autem dicuntur *absolutæ* vel *categoricæ*. — Optime notat Angelicus in *I. Perihermen.* Lect. I. n. 8, *quod hypothetica enuntiatio non continet absolutam veritatem..., sed significat aliquid verum esse ex suppositione.* Ceterum, ut ib. dicit ipsemet S. Doctor. *Hypothetica enuntia-*

tio ex pluribus categoricis *componitur. Unde non differunt nisi secundum differentiam unius et multi.* — Propositio affecta particulis hypotheticis, *si*, *aut*, vel similibus (*si vos*, etc., ut in exemplo), dicitur in scholis *antecedens* seu *hypothesis;* alia vero, quæ ex hypothesi infertur (*vere discipuli*, etc.), dicitur *consequens*, seu *thesis.*

II. Species propositionis hypotheticæ. Propositio hypothetica dividi potest in *conditionalem*, *disjunctivam* et *conjunctivam.* — *Conditionalis*, quæ etiam communiter *hypothetica* dicitur, et ad quam ceteræ revocantur, est illa quæ *componitur ex propositionibus simplicibus unitis per particulas conditionales*, *si*, etc., ut in exemplo citato, n. I. Quoad vero leges, quibus propositiones conditionales subjici debent ut veræ sint, in antecessum animadverti generatim debet, veritatem propositionis conditionalis abstrahere a veritate propositionum simplicium ex quibus resultat, et unice attendi ex *nexu* inter conditionem et conditionatum, ut dictum est de propositionibus *causalibus* (23, IV). Unde falsa est hæc propositio conditionalis : *Si Tullius fuit Consul Reipublicæ Romanæ, fuit romanorum eloquentissimus;* quamvis utraque propositio simplex vera sit.

Prima regula. *Affirmata conditione affirmari debet conditionatum; — at non vice versa affirmato conditionato affirmari debet conditio.* Ratio est, quia *conditio*, in ordine logico, ponitur ut causa necessaria a qua *conditionatum* est inseparabile : secus propositio conditionalis est falsa; unde, ipsa conditione posita, ponitur et conditionatum. At contra, conditionatum aliunde potest esse verum quam ab ipsa conditione. Ex. : *Si Petrus habet scientiam, habet ingenium.* Si affirmes quod *Petrus habeat scientiam*, debes affirmare quod *Petrus habeat ingenium.* At non vice versa. Ratio est, quia scientia sine ingenio non habetur; at ingenium dari potest sine scientia.

Secunda regula. *Negato conditionato negari debet conditio; — at non vice versa, negata conditione negari debet* vi logicæ *conditionatum.* Hæc secunda regula est corollarium primæ. Nam *conditionatum* vi logicæ datur quasi effectus necessarius *conditionis;* igitur, ipso non posito, signum certum est quod conditio non verificatur. At contra *conditionatum* ipsum aliunde, ut diximus, quam a conditione potest verum esse; ergo negata *conditione*, non sequitur quod *conditionatum* simul negari debeat. Exemplo res clarior fiet : *Si Petrus currit, Petrus movetur;* si negetur quod *Petrus moveatur*,

vere sequitur quod *Petrus non currat;* at si negetur quod *Petrus currat*, nullo pacto sequitur quod Petrus non moveatur. — Plura habet circa propositiones conditionales Auctor Opusculi, cui titulus : *Summa totius Logicæ Aritotelis;* Tract. *De interpretatione, seu De enuntiatione*, cap. XIV. *De enuntiatione hypothetica et de tribus speciebus ejus* (Inter opuscula S. Thomæ, opusc. XLVIII.

III. Propositio hypothetica disjunctiva. Propositio hypothetica disjunctiva componitur *ex propositionibus simplicibus unitis per particulas disjunctivas, vel, aut*, etc. Ex. : *Substantia aut est corporea aut incorporea.* Hujusmodi propositio in conditionalem resolvi de facili potest : et revera adductum exemplum conditionali propositione enuntiatur hoc modo : *Si aliqua substantia est corporea, non est incorporea*, vel vice versa.

In hujusmodi propositionibus necesse est ut : 1° *Membra assumpta sint completa;* secus aliquod aliud membrum affirmandum vel negandum superesset, ut de recta divisione dictum est (17, II); — 2° *Membra enumerata neque omnia sint* simul *vera, neque omnia* simul *falsa :* secus daretur aliquod aliud membrum præter enumerata, contra primam regulam; — 3° Ex quo sequitur quod ex affirmatione vel negatione quorumdam membrorum, legitime infertur negatio vel affirmatio aliorum membrorum, quæ supersunt. — Ut vero illico dignoscatur an propositio hypothetica disjunctiva vera sit an falsa, resolvatur in simplicem propositionem conditionalem. Ex. : *Petrus aut sedet aut studet*, resolvitur hoc modo : *Si Petrus sedet*, non *studet.* Quod patet esse falsum.

IV. Discrimen inter propositionem disjunctivam et conditionalem. Diximus propositionem disjunctivam, ut ejus veritas dignoscatur, resolvendam esse in propositionem conditionalem. At exinde colligi non debet *conditionalem* propositionem semper æquipollere *disjunctivæ*, et vice versa. Qua in re audiatur citatus Auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis.* « Videtur, inquit, quod tantum valeat ista : *Aut est sanum, aut est ægrum*, quantum ista conditionalis : *Si non est sanum, est ægrum.* Et licet in prædicta materia verum sit, tamen non in omni materia istæ duæ sibi æquipollent in veritate. Nam conditionalis ex una parte negata, et ex altera affirmata salvatur in contradictoriis, contrariis et disparatis, et erit semper vera. Vera enim est ista : *si est album, non est nigrum;* ista tamen est falsa : *aut est album, aut est*

nigrum; posset enim esse quod nec album esset, nec nigrum : et sic etiam est de disparatis. Differt enim disjunctiva a tali conditionali. Unde ad veritatem *disjunctivæ* requiritur quod de tali materia sit, in qua unum omnino ponatur et alterum removeatur, vel e converso. Et propter hoc ad ejus veritatem requiritur quod altera ejus pars sit vera. Et si utraque pars ejus erit vera vel falsa, ipsa enuntiatio disjunctiva erit falsa. » — *Loc. cit.*

V. De propositionibus disjunctivis proprie et improprie acceptis. Quæ de propositionibus disjunctivis hucusque disseruimus applicantur disjunctivis proprie acceptis, seu, ut dicitur, *in sensu exclusivo*, non autem improprie sumptis, seu, ut in scholis loquimur, *in sensu præcisivo*. Ad quorum intelligentiam nota propositionem disjunctivam proprie sumi, quando negatio vel affirmatio unius membri importat oppositam affirmationem vel negationem alterius membri. Et in hoc sensu accepimus propositionem disjunctivam. Sed non raro assumitur in sensu *præcisivo*, et est quando saltem unum membrum concedi debere contendimus, altero tamen a nobis non negato. Ut si dicam : *vel Petrus vel Paulus Romæ mortuus est;* nolo adstruere alterutrum Romæ mortuum non esse, sed assero *saltem* unum ex illis Romæ mortuum. Et hoc nota, ut teipsum extrices a cavillis sophistarum.

VI. De propositione hypothetica conjunctiva. Hypothetica denique conjunctiva constat propositionibus simplicibus incompossibilibus, seu est illa, in qua enuntiantur duo vel plura prædicata non posse simul convenire uni eidemque subjecto. Ex. : *Nemo potest servire Deo et divitiis.* — In hac et similibus propositionibus manifeste includitur pura conditionalis, in quam resolvuntur, et resolvi debent ut earum veritas vel falsitas pateat : *Si aliquis Deo servit, non servit divitiis; si aliquis servit divitiis, Deo non servit.*

ARTICULUS TERTIUS

(25)

De propositionibus apparenter simplicibus et realiter compositis.

I. Notio propositionis occulte compositæ. Propositionem simplicem diximus esse illam quæ unicum subjectum et unicum prædicatum habet. Accidit tamen persæpe ut vel prædicatum vel subjectum tali particula seu signo syncategorematico afficiatur, ut ipsa propositio expressa alteram necessario

includat. Ex. : *Tu es Deus solus;* ex adjuncto *solus* propositio geminatur et necessario resolvitur in has duas : 1ª *Tu es Deus;* — 2ª *Nullus alius a te est Deus.* — Propositiones ita occulte compositæ in schola dicuntur *exponibiles*, quasi indigentes expositione, ut integer earum sensus pateat; et *exponentes* vocantur propositiones in quas exponibiles resolvuntur.

II. Species propositionis exponibilis. Quatuor autem species propositionis exponibilis numerabantur ab antiquis, nempe, *exclusiva*, *exceptiva*, *comparativa*, *reduplicativa;* vocabulis nempe desumptis a particulis afficientibus prædicatum vel subjectum, et quæ esse possunt vel *exclusivæ*, ut, *solum*, *dumtaxat*, et aliæ his similes; vel *exceptivæ*, ut, *præter*, *nisi*, etc.; vel *comparativæ*, ut, *magis*, *minus*, etc.; vel *reduplicativæ*, quæ nempe geminant ipsum vocabulum quod afficiunt, ad designandum sensum *formalem* (12, I) in quo ipsum accipimus, ut, *formaliter*, *quatenus*, etc. (12, II).

Regula generalis est, quod hujusmodi propositiones non sunt veræ, nisi veræ sint non solum in seipsis sed etiam in sensu expresso per particulas afficientes vel subjectum vel prædicatum. Hinc falsa absolute pronontianda est *ratione adjuncti* hæc propositio : *sola scientia est amanda;* quamvis vera sit simplex propositio : *scientia est amanda.* — Pauca de singulis propositionibus dicam.

III. Propositio exclusiva. Sicut dictum est, propositio cujus subjectum vel prædicatum afficitur particulis exclusivis, dicitur *exclusiva*. Si particula exclusiva afficiat subjectum, significat prædicatum convenire illi subjecto *tantummodo*, ceteris vero subjectis negandum; et dicitur propositio *exclusivi subjecti*. Ex. : *Bonum* tantum *est amandum.* Si vero particula afficiat prædicatum, dicitur *exclusivi prædicati*, et illud *solummodo* prædicatum subjecto tribuitur, ceteris exclusis. Ex. : *Avarus non appetit nisi divitias*, hoc est nihil, divitiis exceptis, appetit avarus.

IV. Propositio exceptiva. Illa propositio exceptiva dicitur, *cujus vel subjectum vel prædicatum particula exceptiva afficitur;* ut : *imperitus nisi quod ipse facit rectum putat.* Resolvitur in exponentes : *Imperitus rectum putat qnod ipse facit; non rectum putat quod non facit ipse.* Patet in hac propositione exceptiva subjecto aliquod tribui prædicatum, a cujus participatione excluduntur omnia alia subjecta. Propositio exceptiva de facili ad exclusivam reducitur : *stultus putat* solummodo *rectum quod ipse facit.*

V. Propositio comparativa. Illa est comparativa propositio, *cujus subjectum vel prædicatum afficitur particula comparativa;* ut : *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (JOANN., XIX, 11). Hujusmodi propositio Christi Domini ad Pilatum exponitur hoc modo : *Tu peccatum habes; qui me tradidit tibi peccatum habet; sed peccatum illius qui me tradidit tibi, majus est peccato tuo.* — Cum comparativum supponat positivum, necesse est ut in propositionibus comparativis prædicatum (ut, in exemplo, *peccatum*) de utroque termino comparationis verificetur; unde ridicula est propositio : *nix est candidior atramento.* Deinde falsa est propositio comparativa si *gradus* expressus non sit verus : ut quando Kant asserit : *mutua coarctatio libertatis civium est* maximum *bonum sociale.*

VI. Propositio reduplicativa. Propositio reduplicativa est, *cujus subjectum afficitur particula reduplicante seu determinante significationem in qua ipsum subjectum accipimus*, ut supra, n. II. dictum est. Dico : *homo sentit;* et verum dico : quia homo revera est etiam *animal*, cujus est *sentire.* At falso dico in sensu reduplicante : *homo*, ut homo est, *sentit;* quia in hac secunda propositione, vi particulæ geminantis, homo sumitur secundum suam differentiam specificam, qua homo præcise constituitur, nempe ut *est rationalis.* Porro, ut *rationalis*, non sentit, sed *intelligit* homo.

VII. Differentia inter vocabula REDUPLICATIVE et SPECIFICATIVE. Respectu particularum reduplicantium est « notandum, inquit rectissime Goudin, aliquando particulas illas sumi *reduplicative*, aliquando *specificative* tantum. Sumuntur *reduplicative*, cum subjectum est *propria causa formalis aut efficiens prædicati;* ut : *Prudens ut prudens omnia ordinate agit; Ignis ut ignis comburit.* At si subjectum *non sit propria ratio prædicati, eam tamen aliquo modo includat*, puta, quia *est ejus quædam species*, aut *proprium subjectum;* tunc particula reduplicans sumitur *specificative;* ut : *Homo, quatenus homo, sentit.* Id verum est specificative : nam licet homo non sit propria ratio sentiendi, eam tamen includit; at in sensu reduplicativo falsum est : nam homo non sentit quia homo, sed quia animal. Hæ etiam falsæ sunt in sensu reduplicativo, veræ in sensu specificativo : *Homo ut homo, videbit Deum; Homo ut homo, virtute perficitur; Corpus ut corpus, corrumpitur; Justus ut justus, peccare potest* ». Hæc laudatus Auctor, *Logicæ minoris.* P. II. Artic. II. § III. Quæ omnia ad inutilem et vanam subtilitatem non notantur in Logica, sed quia, nisi probe sciantur, impossibile est ut

nostros conceptus ea qua par est claritate et veritate seu voce seu scripto exprimamus, et sophistarum cavillationes atque insidias detegamus ac caveamus, ut ex adjunctis exemplis quisque per se colligere potest.

ARTICULUS QUARTUS

(26)

De propositionibus apparenter compositis.

I. Notio propositionis complexæ. Sicut dantur propositiones apparenter simplices, at revera compositæ; ita dantur propositiones apparenter quidem compositæ, sed revera simplices; ut : *Deus, qui hominem creavit, hominem redemit.* Hujusmodi propositiones vocantur (nescio utrum vocabulo proprio) *complexæ*, et habito respectu ad materiam earum, a veteribus dicebantur *de extremo conjuncto.*

II. Propositio incidens. Ut patet ex inducto exemplo, ideo propositio dicitur *complexa*, quia propositionis simplicis subjecto vel prædicato adnectitur alia propositio. Hujusmodi propositiones adnexæ vocantur *incidentes.* Hinc in exemplo, *Deus hominem redemit*, est propositio *simplex;* et incidens propositio est : *qui hominem creavit;* quæ afficit *Deum*, subjectum nempe simplicis propositionis.

III. Veritas propositionis incidentis. Propositio igitur *incidens* est ut pars subjecti vel prædicati propositionis principalis, cujus tamen veritati vel falsitati omnino est *per se* extranea. Quocirca ut sciatur utrum propositio simplex vera sit an falsa, separanda est a suis incidentibus, et in se spectanda. Quoad vero propositiones *incidentes*, veritatem vel falsitatem in seipsis habent, si sint *incidentes explicativæ*, non autem si sint *restrictivæ*. Quod ut melius intelligatur, alia addenda sunt.

IV. Propositiones incidentes explicativæ et restrictivæ. Propositiones incidentes *explicativæ* in se completum exprimunt judicium, per quod integratur quodammodo sententia propositionis simplicis principalis. Ex. : *Moyses*, qui in omni sapientia Ægyptiorum instructus fuerat, *Hebræorum populo dux datus est.* — Propositio simplex principalis est : *Moyses Hebræorum*, etc.; propositio incidens : *qui in omni*, etc. : quæ propositio, independenter a principali, veritatem per se exprimit. — Contra propositio incidens *restrictiva* sensum

integrum per se non habet, sed ponitur quasi ut terminus syncategorematicus, nempe determinativus subjecti vel prædicati. Ex. : *Omnes homines*, qui mortui sunt, *Deo rationem reddiderunt*. Propositio incidens, *qui mortui sunt*, in seipsa neque falsitatem neque veritatem habet, sed solummodo determinat et coarctat extensionem subjecti, *omnes homines*. Et ex hac parte potest dici quod influat *per accidens* in veritatem propositionis principalis.

V. Quo sensu propositio incidens restrictiva enuntiet veritatem vel falsitatem. Quamvis propositio incidens *restrictiva* non habeat *in se* veritatem aut falsitatem, supponit tamen alterutram *subjective*, hoc est in enuntiante ipsam, et ideo nobis est signum ad judicandum hominem, qui talem propositionem profert, aut recte aut non recte sentire de objecto propositionis incidentis restrictivæ.

ARTICULUS QUINTUS

(27)

De propositionibus modalibus.

I. Notio propositionis modalis. In propositione aut simpliciter enunciatur prædicatum convenire vel non convenire subjecto, aut insuper additur *modus*, quo convenit vel non convenit subjecto ipsum prædicatum. Ex. : *Deus est justus; Sine fide impossibile est placere Deo*. Prima propositio dicitur *absoluta*, seu *de inesse*, secunda *modalis*, seu *de modo*.

II. Quatuor termini, quibus constituitur propositio modalis. Modus, quo constituitur propositio *modalis* proprie dicta, afficit semper prædicatum non vero subjectum, ut infra cum sancto Thoma explicabo, et aliunde colligitur ex ipsius propositionis modalis definitione. Sed diximus et probavimus in tractatu de divisione propositionum ex parte materiæ (21, II et III), quadrupliciter posse prædicatum convenire vel non convenire subjecto, nempe *necessario*, *contingenter*, *possibiliter*, vel *impossibiliter*. Ergo hujusmodi termini sunt quatuor *formulæ generales* propositionum modalium. — Ex quo sequitur *judicia* nostra, seu propositiones, per *modos adjunctos* determinari in qua materia sint.

III. Definitiones. Propositio in se spectata, sejuncta nempe a suo modo, in scholis vocatur *dictum* propositionis modalis; et *modus* est ratio qua prædicatum asseritur convenire

vel non convenire subjecto. Est autem manifestum propositionem modalem esse *absolute* falsam pronuntiandam (nisi velimus distinguere ad evitandas cavillationes), si *modus* sit falsus.

IV. **Fusior explicatio propositionis modalis.** In commodum tironum nonnulla hic transcribere lubet, quæ circa propositionem modalem habet S. Thomas, opusc. XL. Omnia quasi per distinctos paragraphos, claritatis gratia, distribuam.

Quid sit modus. « Quia propositio modalis a modo dicitur, ad sciendum quid sit propositio modalis, oportet prius scire quid sit modus. Est autem *determinatio adjacens rei*, quæ quidem fit per adjectionem nominis adjectivi, quod determinat substantivum : ut cum dicitur : *homo est albus;* vel per adverbium quod determinat verbum; ut : *homo currit bene.* »

Quotuplex in genere modus. « Sciendum etiam quod triplex est modus. Quidam determinat subjectum propositionis; ut : *homo albus currit.* Quidam determinat prædicatum; ut : *Socrates est homo albus*, vel : *Socrates currit velociter.* Quidam determinat compositionem ipsam prædicati ad subjectum : ut cum dicitur : *Socratem currere est possibile.* Et *ab hoc solo modo dicitur propositio modalis.* Aliæ vero propositiones, quæ modales non sunt, dicuntur de *inesse.* »

Quatuor modi propositionis modalis. « Modi autem qui compositionem determinant, sunt sex, scilicet, *verum, falsum, necessarium, impossibile, possibile, contingens.* — *Verum* autem et *falsum* nihil addunt supra significationes propositionum de *inesse.* Idem enim significatur cum dicitur, *Socrates non currit*, et, *Socratem currere est falsum;* et, *Socrates currit*, et, *Socratem currere est verum.* Quod non contingit de aliis quatuor modis : quia non idem significatur cum dicitur, *Socrates currit*, et, *Socratem currere est possibile.* Et ideo, prætermisso de *vero* et *falso*, de aliis quatuor consideremus. »

Modus est prædicatum propositionis. « Quia vero prædicatum determinat subjectum, et non e converso; ideo ad hoc quod propropositio sit modalis, oportet quod quatuor prædicti modi *prædicentur*, et *verbum* importans compositionem ponatur pro subjecto. Quod quidem fit, si pro verbo indicativo propositionis sumatur infinitivus, et pro nominativo accusativus : et dicitur *dictum* propositionis : sicut hujus propositionis : *Socratem currere est possibile, dictum* est, *Socratem currere.* Quando ergo *dictum* ponitur pro subjecto, et *modus* pro prædicato, tunc est propositio modalis, ut cum dicitur : *Socratem currere est possibile.* Si autem convertatur, erit de *inesse*, ut : *Possibile est Socratem currere.* »

Propositio modalis alia de dicto alia de re. « Propositionum autem modalium quædam est de *dicto*, quædam est de *re*. — Modalis de *dicto* est, in quam totum *dictum* subjicitur, et *modus* prædicatur, ut : *Socratem currere est possibile.* Modalis de *re* est, in qua modus interponitur dicto, ut : *Socratem* possibile *est currere.* »

De singularitate et universalitate propositionis modalis. « Sciendum est autem quod omnes modales de *dicto* sunt singulares, eo quod *modus* prædicatur de hoc vel de illo sicut de quodam singulari. Modalis autem de *re* dijudicatur *universalis, particularis, indefinita,* vel *singularis* secundum subjectum *dicti*, sicut de propositionibus de *inesse.* Unde hæc : *Omnem hominem possibile est currere*, est universalis et sic de aliis. »

De affirmatione et negatione propositionis modalis. « Item sciendum est, quod propositio modalis dicitur affirmativa vel negativa, secundum affirmationem vel negationem *modi* et non *dicti* : unde hæc : *Socratem non currere est possibile* est affirmativa; hæc vero : *Socratem currere non est possibile*, est negativa. »

De universalitate et particularitate modorum. « Attendendum, est autem quod *necessarium* habet similitudinem cum *signo* universali affirmativo, quia *quod necesse est esse, semper est; impossibile* cum *signo* universali negativo, quia *quod est impossibile esse, nunquam est.* — *Contingens* vero et *possibile* similitudinem habent cum *signo* particulari, quia *quod est contingens et possibile, quandoque est, quandoque non est* » (1).

CAPUT QUARTUM.

DE PROPOSITIONIBUS AD INVICEM COMPARATIS

Prologus. Consideratis propositionibus in seipsis, reliquum est ut, juxta ordinem prædefinitum in prologo ad caput secundum, agamus de propositionibus ad invicem comparatis. Porro una propositio cum altera comparata triplicem proprietatem induere potest, nempe *oppositionem, conversionem* et *æquipollentiam* seu *æquivalentiam.* Et revera : — aut una

(1) Logica eas tantum propositiones considerat quæ complete exprimunt judicium. Sed in humano sermone invenitur etiam propositio *vocativa*, e. g. : *Pater noster, qui es*, etc. : propositio *dubitativa*, e. g. : *Aristotelem haud scio an recte dixerim principem philosophorum;* propositio *imperativa*, e. g. : *Tu regere imperio populos. Romane, memento;* propositio *optativa*, e. g. *Aaveniat regnum tuum.*

propositio destruit *identitatem* quam altera affirmat, et habetur *oppositio;* — aut propositionis elementa convertuntur ita ut subjectum fiat prædicatum et prædicatum transeat in subjectum, ut cum alia propositione melius comparetur (eo ferme modo quo fit in æquationibus mathematicis), et habetur *conversio;* — aut denique una propositio, esto non sit materialiter identica cum alia, ei tamen quoad sensum æquivalet, et habetur *æquipollentia.* De hujusmodi ergo propositionum proprietatibus singillatim est dicendum : et 1° de *oppositione;* — 2° de *conversione;* — 3° de *æquipollentia.*

ARTICULUS PRIMUS

(28)

De oppositione propositionum.

I. Oppositionis propositionum notio. Quid sit idearum oppositio alibi dixi (8, VIII). Quia autem propositio est quoddam compositum (componuntur enim in *unum*, quod est identitas, prædicatum et subjectum), oppositio propositionum potest generatim definiri ac idearum oppositio; nempe, est *affirmatio et negatio* identitatis *prædicati cum subjecto*, seu *affirmatio et negatio unius de eodem.* Ex. : *Petrus est doctus; Petrus non est doctus.* Ex qua generica notione *oppositionis* facile est nonnulla corollaria inferre.

II. Corollaria. 1m. Propositiones *diversæ materiæ* nullo pacto dici possunt oppositæ, sed vocantur *disparatæ;* ex. : *Paulus est ingenio magnus; Paulus est statura pusillus.* Quamvis enim in hisce propositionibus habeatur idem subjectum, *Paulus*, sunt tamen prædicata diversa, *ingenio magnus*, *statura pusillus*, quæ se mutuo non destruunt, sed in uno et *eodem subjecto* possunt *simul* inveniri. Unde ratio *oppositionis*, juxta datam definitionem, non existit. — 2m. Formalis oppositio propositionum exprimitur copula *est*, *non est :* quia per hanc copulam solummodo, ut jam diximus, *identitas* vel *non identitas* prædicati cum subjecto adseritur. — 3m. Duæ propositiones affirmativæ, sicut et duæ negativæ, inter se oppositæ haud esse possunt.

III. Oppositionum speciesə In propositione duo inter alia distinximus, nempe ejus *quantitatem* seu *extensionem*, et *formam* seu *affirmationem* vel *negationem* (21, I). Ergo propositiones possunt ad invicem ita opponi : 1°, ut una al-

teri opponatur tum in *quantitate* tum in *forma;* sicut cum dico : *Omnis homo est doctus; Non omnis homo est doctus,* seu, *Aliquis homo non est doctus;* — 2°, ut una alteri opponatur non *quantitate* sed *forma* solummodo : *Omnis homo est prudens Nullus homo est prudens,* seu, *Omnis homo non est prudens* (Inf. 30, II) : *Aliquis homo est justus; Aliquis homo non est justus.*

Hinc infertur, *oppositionem* inter propositiones triplicis generis esse posse, nempe, ut in usu est apud omnes philosophos loqui, *contradictoriam, contrariam* et *subcontrariam.*

Contradictoria est, *oppositio duarum propositionum quarum una negat tum* formam *tum* extensionem *alterius;* ut : *Omnis homo est doctus; Non omnis homo est doctus,* seu, *Aliquis homo non est doctus; — Petrus est sapiens, Petrus non est sapiens.*

Contraria est, *oppositio duarum propositionum universalium, quarum una negat* formam *solummodo,* seu *identitatem affirmatam per aliam;* ut : *Omnis homo est prudens; Nullus homo est prudens.*

Subcontraria est *oppositio duarum propositionum particularium, quarum una negat* formam *solummodo,* seu *identitatem per aliam affirmatam;* ut : *Aliquis homo est virtuosus; Aliquis homo* non est *virtuosus.* — En schema :



In hoc schemate vides propositiones AI, EO *subalternas*, at non oppositas, ut patet ex tertio corollario, n. II. Propositiones subalternæ sunt : *propositiones vel simul affirmativæ vel simul negativæ, distinctæ solummodo quantitate.* Propositio universalis respectu suæ homogeneæ particularis (vide exemplum in schemate) dicitur *subalternans;* propositio vero particularis respectu suæ universalis, dicitur *subalternata.*

IV. Scholastici, ut compendio loquerentur et simul memoriam juvarent adolescentum, designabant per litteram A propositionem *universalem affirmativam;* per litteram *E* propositionem *universalem negativam;* per litteram *I* propositionem *particularem* seu *disjunctivam affirmativam;* per litteram *O* propositionem *particularem negativam.* Unde sequentes versiculi :

> Asserit *A*, negat *E;* verum generaliter ambo :
> Asserit *I*, negat *O;* sed particulariter ambo.

V. Leges oppositionis contradictoriæ. Ex dictis constat propositiones tunc solum *contradictorie* oppositas dici, quando tum *universalitatem* tum *identitatem*, quas una propositio affirmat, altera propositio negat : etenim, ut acute notat sanctus Thomas, in I. *Perihermen.* Lect. IX. n. 7, *contradictio est absoluta oppositio affirmationis et negationis.* Porro ex statuta natura oppositionis contradictoriæ manant sequentes leges :

I[a] *Propositiones contradictoriæ nequeunt esse simul veræ;*

II[a] *Propositiones contradictoriæ nequeunt esse simul falsæ.*

Declaratur prima lex. Fac esse simul veras hujusmodi propositiones contradictorias : *Omnes homines sunt virtuosi : Non omnes homines sunt virtuosi,* seu, *Quidam homines non sunt virtuosi.* In hac hypothesi τὸ *omnes* in prima propositione distribuit (22, II) subjectum, *asseritur* nempe quod *virtus* inest omnibus et singulis hominibus; sed in secunda propositione *negatur* quod virtus insit omnibus et singulis hominibus. Igitur in hypothesi, esset virtus in singulis hominibus, et simul non esset : quod ne mente quidem concipi potest.

Declaratur secunda lex. Fac contra illas duas propositiones esse simul falsas : falsum nempe quod *omnes homines*

sunt virtuosi; falsum insuper quod *quidam homines* non *sunt virtuosi. Virtuosum* et *non-virtuosum* comparantur ad invicem, sicut *esse* et *non-esse.* Necesse autem est ut quodlibet aut sit aut non sit : quia inter *esse* et *non-esse* nihil est tertium. Ergo si falsa est *virtus* affirmata de omnibus hominibus, falsa esse non potest *non-virtus* affirmata de aliquibus hominibus.

VI. Leges oppositionis contrariæ. Propositiones contrariæ, ut supra notavimus, ita comparantur ad invicem ut, existente eadem universalitate, opponantur *qualitate formæ*, scilicet negatione et affirmatione. Consequenter in oppositionibus contrariis, ut notat S. Thomas, in I. *Perihermeneias*, lect. XI. n. 5, « universalis negativa non solum removet *universalem* affirmativam, sed etiam designat extremam distantiam, in quantum *negat totum quod affirmatio ponit;* et hoc pertinet ad rationem contrarietatis. Et ideo *particularis affirmativa* (nota) *et negativa se habent sicut* medium *inter contraria* ». Hinc ut axioma logicum retinendum est : *Propositiones contrariæ non sunt, inter quas non sit accipienda tertia propositio media particularis.* His principiis nituntur propositionum contrariarum leges, quæ sunt :

I^a *Propositiones contrariæ nequeunt esse simul veræ;*

II^a *Possunt esse simul falsæ si sint in materia contingenti;*

III^a *Nequeunt esse simul falsæ si sint in materia necessaria.*

Declaratur prima lex. Fac enim *A* et *E* (vide n. IV) esse simul propositiones veras; ratione ergo universalitatis erunt pariter veræ subalternæ respectivæ *I* et *O*. Sed *I* contradictorie opponitur *E*, sicut et *O* contradictorie opponitur *A* (vide Schema, n. III). Ergo habebimus propositiones contradictorias simul veras : quod supra probavimus esse absurdum.

Declaratur secunda lex. Imprimis probatur facto ipso : nam falsæ sunt propositiones istæ contrariæ : *Omnis homo est justus; Nullus homo est justus.* — Secundo probatur ratione : nam inter duas propositiones contrarias datur necessario *medium*, nempe propositio particularis in qua potest esse veritas negata utrique extremo, seu utrique propositioni universali subalternanti. Unde non accidit sicut in propositionibus contradictoriis, inter quas, ut dictum est, non datur medium ac propterea in alterutra contradictoria debet esse veritas.

Declaratur tertia lex. In materia enim *necessaria* vel *im-*

possibili (21, II) prædicatum ex intima subjecti natura ipsi aut convenit aut repugnat. Ergo si subjecto prædicatum aliquod necessario conveniat, ejus negatio evidenter repugnat, et vice versa.

VII. Leges oppositionis subcontrariæ. Leges, quæ regunt propositiones *subcontrarias*, sunt :

I^a *Nequeunt esse simul veræ in materia necessaria;*

II^a *Possunt esse simul veræ in materia contingenti;*

III^a *Nequeunt esse simul falsæ.*

Prima lex ex tertia explicata circa oppositionem contrariam liquido patet. — *Secunda* vero similiter est manifesta ex declaratione secundæ legis *contrariæ* oppositionis. — *Tertia* quoque de facili probatur. Fac enim *I* et *O* (supra n. IV) esse propositiones falsas; et in hac suppositione erunt falsæ respectivæ *subalternantes A* et *E* (supra n. III). Sed *I* opponitur contradictorie *E*, sicut et *O* contradictorie opponitur *A*. Ergo in facta hypothesi haberemus *propositiones contradictorias simul falsas :* quod absurdum esse demonstravimus.

VIII. Oppositiones in propositionibus compositis et modalibus. Hæc quæ circa propositionum oppositiones explanavimus satis nobis visa sunt ad Logicæ tirones instituendos : qui plura cupit adeat Scholasticos, quos inter noto Dominicum Bannes, O. P. in suis quas edidit *Institution. minoris Dialecticæ*, lib. IV. Tantum hic studentes monitos volo, leges oppositionum, quas dedimus, æque pertinere tum ad propositiones simplices, tum ad compositas, tum ad modales. At caute est procedendum in compositis propositionibus, sicut et in complexis (26, I). Etenim oppositio nulla est, ubi non sit idem subjectum, idem prædicatum, et negatio et affirmatio non cadant supra omnino *idem*. Qua de causa propositiones subcontrariæ, rigorose loquendo, non sunt oppositæ oppositione proprie dicta, quia, ut patet ex legibus traditis, præsertim vero ex secunda, quamvis subjectum utriusque sit idem materialiter, non est tamen idem *.suppositione :* revera enim subjecta de quibus affirmatur prædicatum in materia contingenti, non sunt eadem supposita quibus in altera propositione illud ipsum prædicatum denegatur. Ex. : *Aliqui homines non sunt justi; Aliqui homines sunt justi.* Illi homines, quibus tribuo justitiam, sunt procul dubio diversi ab illis, quibus justitiam denego. Hæc recte notat Angelicus, in I. *Perihermen.*, lect. XI. n. 2. Multo igitur magis attentio necessaria requiritur in propositionibus compositis et complexis, ut videatur utrum affirmatio et negatio sint circa

invariatum subjectum. Relate vero ad propositiones modales, *Necesse esse* et *Possibile non esse*, opponuntur *contradictorie*; *Necesse esse* et *Impossibile esse*, opponuntur *contrarie*, etc., ut in sequenti schemate :



ARTICULUS SECUNDUS

(29)

De propositionum conversione.

I. Conversionis notio. Nomine *conversionis* intelligitur a Dialecticis, *inversio extremorum propositionis, ita ut, retenta ejusdem propositionis veritate, ex prædicato fiat subjectum et ex subjecto prædicatum.* Ex. : *Omnis angelus est substantia spiritualis;* convertitur propositio hoc modo : *Aliqua substantia spiritualis est angelus.* Dixi *retenta propositionis veritate :* secus non conversio sed perversio haberetur. Nihil autem interest (ut videre est in allato exemplo), utrum per conversionem, propositionis *universalitas* integra permaneat dummodo veritas perseveret eadem.

II. Conversionis modi. Porro triplex distingui solet conversio propositionum, *simplex*, *per accidens*, et *per contrapositionem.*

Conversio simplex habetur cum *extrema* propositionis, seu subjectum et prædicatum, conversione facta, retinent primævam quantitatem seu extensionem. Ex. : *Nullus asinus est homo* convertitur simpliciter dicendo : *Nullus homo est asinus.* — Recole quæ diximus supra (22, V) circa leges universalitatis vel particularitatis *prædicati* in propositionibus tum negativis, tum affirmativis. — Aliud exemplum : *Aliquis doctus est pius;* convertitur : *Aliquis pius est doctus.*

Conversio per accidens est cum in conversione non servatur (quia *veritas* propositionis id prohibet) universalitas, seu extensio ipsius propositionis. Ex. : *Omnis prudens est sapiens :* convertitur per : *Aliquis sapiens est prudens.* — *Sapiens* enim in prima propositione, utpote prædicatum propositionis affirmativæ, sumitur disjunctive (22, V). Consequenter non potest, salva veritate, in conversione sumi distributive, dicendo : *Omnis sapiens est prudens.*

Conversio per contrapositionem est cum, inversis extremis seu subjecto et prædicato propositionis, præfigitur particula negativa, variatis hoc modo terminis in indefinitos (21, IV). Ex. : *Omnis homo est animal :* convertitur per contrapositionem hoc modo : *Omne non animal est non homo.*

III. Corollaria. Ex assignata diversa *conversionis* natura et exemplis adductis infertur : 1° *Propositio universalis affirmativa potest converti tum* per accidens, *tum* per contrapositionem; *at non* simpliciter; — 2° *Propositio universalis negativa converti potest tum* simpliciter *tum* per accidens; — 3° *Propositio particularis affirmativa* nonnisi *simpliciter* converti potest; — 4° *Propositio particularis negativa convertitur solummodo* per contrapositionem. — Quæ omnia, designatis propositionibus per A, E, I, O, ut supra in Articulo præcedenti, n. IV. explicavimus, veteres, memoriæ juvandæ gratia, hisce versiculis comprehendebant :

Simpliciter fEcI convertitur; *EvA per accidens;*
*A*st *O per contrap;* sic fit conversio tota.

Intuenti facillime patet, his præceptis neglectis, non posse propositiones converti sine detrimento veritatis earum : quæ tamen sarta tecta, ut jam diximus, servanda est.

IV. Utilitas et ratio conversionis propositionum. Quæret fortasse aliquis quænam sit utilitas, et quo fundamento nitatur conversio propositionum. Respondeo ad primam quæstionem, in nos-

tris ratiocinationibus accidere quod et mathematicis quotidie in usu est. Hi enim membra æquationis variant quoquomodo, ut facilior atque evidentior via pateat ad problematis solutionem. Ita et in Dialectica non raro conversione utimur, ut veritas propositionum magis pateat, et clarior appareat processus syllogisticus. — Ad secundam quæstionem respondeo legitimitatem conversionis fundari in ipsa identitate, quæ in qualibet propositione affirmatur aut negatur inter subjectum et prædicatum. Hæc igitur identitas alio modo, si opus est, exprimi potest, quin veritati propositionis derogetur. Ita, cum dico : *Omnis virtus est bona*, affirmo identitatem virtutis cum *aliquo bono*. Ergo possum tuta veritate dicere : *Aliquod bonum est virtus*. Item dicito de ceteris propositionibus.

ARTICULUS TERTIUS

(30)

De æquipollentia propositionum.

I. Æquipollentiæ notio. *Æquipollentia*, ut in præsenti sumitur, est *eadem vis, idemque sensus duarum propositionum, ex æquivalentia signorum proveniens.* Ex. : *Non omnis laus est appetenda.* Hæc propositio æquipollet huic particulari propositioni : *Aliqua laus non est appetenda.* — Ex quo patet quod : 1° *Propositiones æquipollentes ita ad invicem comparantur, ut, una concessa, altera sine contradictione negari non possit;* — 2° *Propositio legitime conversa alteri, quæ convertitur æquipollet.* — Ratio autem quare utimur propositionibus æquivalentibus est eadem ac illa quam supra in præcedenti articulo, n. IV. assignavi.

II. Præcepta ad habendas propositiones æquipollentes. Tradebant veteres præcepta quædam quibus illico redderentur propositiones æquivalentes suis contradictoriis, contrariis et subalternis; quæ præcepta sequenti versiculo concludebant :

Præ contradic; *post* contra; *præ-post*que subalter.

Præ-pone *contradic*-toriis. Videlicet : propositio fit æquipollens suæ contradictoriæ, si ejus subjecto particula negativa præponatur. Sit hæc propositio : *Aliquis homo est justus;* si addas subjecto particulam negativam, habes : Non *aliquis homo est justus.* Porro particula negativa negat totum id

quod ab ipsa afficitur; et consequenter in secunda propositione negat particularitatem primæ, *aliquis*, et insuper negat ejus affirmationem. Ergo facit ut secunda propositio sit contradictoria primæ (28, III); nempe æquipollet huic : *Nullus homo est justus.*

Post-pone *contra*-riis. Nempe propositio fit æquipollens suæ contrariæ, si postponatur ejus subjecto particula negativa, ita ut hæc neget affirmationem, et non quantitatem (28, III). Ex. : *Omnis homo est sapiens;* si postponas negationem subjecto hujus propositionis, habes : *Omnis homo* non *est sapiens;* quæ æquivalet propositioni : *Nullus homo est sapiens.*

Præ-pone et *post*-pone *subalter*-nis. Hoc est, propositio fit æquipollens suæ subalternæ, si *præponatur* particula negativa, ut in *contradictoriis*, et simul *postponatur*, ut in contrariis. Ex. : *Omnis homo est virtuosus;* Non *omnis homo* non *est virtuosus.* In hac secunda, per *præpositionem* particulæ negativæ, auferuntur primæ propositioni *universalitas* et *affirmatio;* per *postpositionem* particulæ negativæ restituitur *affirmatio*, quia removetur negatio apposita per præpositam negativam, *non omnis*, etc. Ergo propositio redditur particularis affirmativa, et æquivalet propositioni : *Aliquis homo est virtuosus;* quæ est subalterna propositionis, *Omnis homo est virtuosus.* — Idem processus habetur, si propositio data sit particularis, e. g. : *Aliquis homo est virtuosus;* Non *aliquis homo* non *est virtuosus*, quæ æquivalet subalternanti : *Omnis homo est virtuosus*, ut manifestum est ex præcedenti ratiocinatione.

III. De subcontrariis. Nulla lex datur de *subcontrariis*, quia, ut notat Joannes a S. Thoma (*Cursus philosoph.* Dialect., lib. II. cap. XVIII), subcontrariæ æquipollentiam non admittunt. Si enim præponas negationem, propositio redditur universalis, et consequenter non æquipollens particulari. Sit exemplum : *Quidam homo est albus;* si præponas negationem et dicas : *Non quidam homo est albus,* habetur non subcontraria sed contradictoria primæ, nempe : *Nullus homo est albus*, ut numero præcedenti dictum est. Si postponas negationem et dicas : *quidam homo non est albus*, habes non æquipollentem sed formaliter negativam subcontrariam. Si denique præponas et postponas, dicendo : *Non quidam homo non est albus*, habes ut hic supra dictum est, *Omnis homo est albus*, quæ est subalternans, et non subcontraria.

LIBER TERTIUS.

DE RATIOCINIO

Prologus. « Perfectio spiritualis naturæ in cognitione veritatis consistit. Unde sunt quædam substantiæ spirituales superiores, quæ sine aliquo motu vel discursu statim in prima et subita sive simplici acceptione, cognitionem obtinent veritatis; sicut est in angelis : ratione cujus intellectum *deiformem* habere dicuntur. Quædam vero sunt inferiores, quæ ad cognitionem veritatis perfectam venire non possunt, nisi per quemdam motum, quo ab uno in aliud discurrunt, ut ex cognitis in incognitorum notitiam perveniant : quod est proprie humanarum animarum. Et inde est quod ipsi angeli *intellectuales* substantiæ dicuntur; animæ vero *rationales*. Intellectus enim *simplicem et absolutam cognitionem designare videtur*. Ex hoc enim aliquis intelligere dicitur quod interius in ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit. *Ratio* vero *discursum quemdam designat*, quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit vel pervenit » (1). Hæc sapientissime Angelicus, Qq. Dispp. *De veritate*, Qu. XV. *De ratione superiori et inferiori*, artic. I. Revera, veritates omnes non illico et immediate dignoscimus, sed studio, labore, comparatione, ratiocinio denique assequimur, quas assequi nobis licet. Igitur de ratiocinio, quo mens ab una cognita veritate ad aliam veluti manuducitur, tertio loco in Dialectica est disserendum. Quo ordine autem sit hoc in argumento procedendum, natura ipsa ratiocinii indicat. Etenim : 1° ratiocinium est veluti quoddam mentis opus legibus peculiaribus subjectum; — 2° et est simul motus mentalis a termino ad terminum, seu a veritate ad veritatem; — 3° et, ut accidit in motu corporali, ex assumpto principio ad ratiocinandum, pendet tum facilitas tum brevitas perveniendi ad terminum, seu ad veritatis cognitionem. Unde tractatus de ratiocinio

(1) « Discursus rationis semper incipit ab intellectu et terminatur ad intellectum; ratiocinamur enim procedendo ex quibusdam intellectis; et tunc rationis discursus perficitur quando ad hoc pervenimus ut intelligamus id quod prius erat ignotum. Quod ergo ratiocinamur ex aliquo præcedenti intellectu procedit. » *Sum. Theol.*, 2ª 2ae, q. 8, art. 1, ad 2.

in tres distinctas atque ordinatas Sectiones dividitur : in quarum *prima* sermo est *de ratiocinio in ordine ad suam formam*, seu ut est quoddam mentis opus; in *secunda, de ratiocinio in ordine ad materiam* seu ad veritatem a qua ratio procedit et ad quam pervenit ratiocinando; in *tertia, de ratiocinio in ordine ad dispositionem veritatum* a quibus movet ratio ipsa ut facilius et securius perveniat ad veritatem dignoscendam, seu *de methodo philosophandi.*

CAPUT PRIMUM.

DE SYLLOGISMO

Prologus. Mens nostra dum ratiocinatione ab una ad aliam cognoscendam veritatem procedit, aut a veritatibus universalibus ad particulares descendit, aut contra a singularibus rebus perspectis veritatem quamdam universalem infert, ut scientiæ physicæ experimentali maxime in usu est. Et primus quidem ratiocinandi modus *syllogismus* dicitur; secundus vero *inductio* appellatur. Deinde non unam syllogizandi formam, sed varias assumimus. Quocirca Sectio ista prima de ratiocinio in ordine ad formam in tria capita subdividitur : quorum 1m, erit de *syllogismi natura;* 2m, de *syllogismi speciebus;* 3m, *de inductione.* Quoad vero primum caput, præmissa generali notione de *natura ratiocinii*, dicendum est secundo loco de *natura syllogismi;* 3°, de *syllogismi legibus;* 4°, de ejus *figuris;* 5°, de ejus *modis.* — Longa experientia didici tractatum istum de syllogismis, et de ratiocinio in genere pernecessarium esse adolescentibus. Nisi enim assueverint severiori ratiocinandi formæ, numquam prompti atque perspicaces erunt in quæstionibus scientificis penetrandis ac dirimendis. Unde mirum nemini esse debet si, experientia instructus, non quidem longiori, sed forte minus brevi oratione in explicando ratiocinio insistendum esse duxerim. Sed ad rem veniendum est.

ARTICULUS PRIMUS

(31)

De ratiocinii natura.

I. Ratiocinii notio. Ratiocinii nomine, ut jam diximus, intelligitur progressus mentis ab una veritate cognita ad aliam

cognoscendam, quatenus nempe mens, una veritate perspecta, aliam in ipsa logice contineri deprehendit, eo ferme modo quo de judiciis analyticis dictum est (19, III). Unde ratiocinium generice acceptum recte definiri potest : *actus mentis quo una veritas ex alia infertur*, seu, *quo unum judicium ex aliis judiciis deducitur*. Ex. : *Substantia essentialiter spiritualis est essentialiter immortalis; sed anima humana est substantia essentialiter spiritualis; ergo anima humana est essentialiter immortalis*. En ratiocinium, in quo tertium judicium circa animæ humanæ immortalitatem ex duobus præcedentibus infertur.

II. **Definitiones.** Duo priora judicia, ex quibus tertium deducitur, vocantur *præmissa*, et, simul sumpta, *antecedens* ratiocinii. Tertium judicium illatum ex *antecedente*, vocatur *consequens*. Et quatenus *consequens* importat *nexum logicum* cum *antecedente*, dicitur *consequentia*, quæ, ut patet, est *formale* in ratiocinio. — Ratiocinium verbo vel scripto expressum dicitur *ratiocinatio*, vel *argumentatio*, eo modo quo judicium signo sensibili expressum dicitur *propositio* (20, I).

III. **Corollaria.** Ex data ratiocinii notione inferuntur sequentia corollaria :

Corollarium primum. — Ratiocinium nullum fieri potest, nisi termini ipsi, qui ratiocinium ingrediuntur, nec non præmissa *ratiocinii præcognoscantur*. — Etenim ex cognitione præmissorum judiciorum mens ducitur ad cognitionem *consequentis;* judicium vero est impossibile, ubi menti non innotescant *prædicatum* et *subjectum* ipsius judicii (18, II). — Nota tamen quod prædicatum et subjectum conclusionis præcognoscuntur quidem, at non ut *componunt* judicium : secus enim inutile esset ratiocinium; sed separatim in se, et ut sunt elementa *præmissorum* judiciorum. — Et hoc bene nota : nam traditionalistæ nostræ ætatis et etiam ontologistæ, præpostere intelligentes hoc corollarium, erroneas inferunt illationes, ut suo loco videbimus.

Corollarium alterum. — Dantur necessario quædam judicia, quæ immediate, hoc est, *sine ullo ratiocinio a mente nostra certissime cognoscuntur*. — Si enim omnia judicia nostra essent ratiocinio deducta, seu *mediata* (19, IV), revera non daretur *antecedens*, atque ipsum ratiocinium esset impossibile. Quæ judicia aut sunt veritates *facti*, aut sunt veritates *universales;* et istæ, *principia prima per se nota*, et *digni-*

tates (quando sunt principia vere *prima*) a veteribus dicebantur.

IV. Ratiocinii species. Dictum est *consequens* inferri per ratiocinium ex *præmissis*, quia mens deprehendit illud in præmissis logice contineri. Aliquid autem in alio contineri potest logice dupliciter : 1°, ut universale in suis singularibus; 2°, ut singulare in suo universali. — In primo casu, ut dictum est in Prologo, habetur ratiocinium, quod dicitur *inductio;* in secundo habetur *syllogismus.*

V. Exemplum. Ut species ratiocinii distincta a syllogismo et inductione, solet a quibusdam recenseri etiam *exemplum*, quo infertur simile ex simili, in quo logice quodammodo continetur : ut si dicam : *Amor profanus seduxit Davidem, seduxit Salomonem. Ergo et te seducet, si illo impliceris.* Quo argumentandi genere præcipue utuntur ad virtutem suadendam moralistæ et oratores, eo quod affectus humani factis magis quam verbis excitantur. Verum tradita divisio ratiocinii in *syllogismum* et in *inductionem* mihi videtur adæquata. Revera *exemplum* est quædam inductio, quatenus ex singularibus sufficienter enumeratis aliquid aliud concludit, sive hoc sit quid explicite universale, sive singulare.

VI. Ratiocinii canones generales. Ratiocinium, cujusque speciei sit, sequentes canones moderantur :

1us *Ex vero antecedente non potest sequi falsum consequens.* Etenim antecedens se habet ad consequens ut *conditio* ad suum *conditionatum.* Dictum est autem supra (24, II), quod admissa conditionis veritate repugnat conditionatum esse falsum.

2us *Ex falso antecedente potest aliquando,* sed per accidens, *sequi verum consequens.* Sit exemplum : *Omnes Apostoli sunt reprobi; ergo Judas est reprobus.* Verum est *consequens*, quamvis *antecedens* sit falsum. — Antecedens enim, sicut dictum est, se habet ad consequens, sicut conditio ad conditionatum; at probavimus *(ibid.)* conditionatum posse esse verum, quin tamen inferatur veritas conditionis. « Hæc regula, notat Goudin, *Logic. min.*, P. III. Artic. I. majoris momenti est, quam vulgo existimetur : hujus enim inadvertentia plerumque peccamus, dum nos veram rei causam invenisse putamus, quia veris effectibus ea, quam finximus, concordat, id est, verum esse antecedens, quia verum est consequens; ut Cartesius principia a se excogitata, vera confidentissime

asserit, quia iis positis, aliqui, qui nunc in mundo videntur, effectus contingerent. »

3us *Antecedens debet esse* quoad nos *notius consequente.* Etenim ex cognitione *antecedentis* mens ducitur in cognitionem consequentis, ut ex ipsa ratiocinii natura plene est manifestum.

ARTICULUS SECUNDUS

(32)

De natura syllogismi.

I. Syllogismi notio. Syllogismus est præcipua ratiocinii species, quam omnes aliæ implicant et ad quam reducuntur. Juxta principia posita in articulo præcedenti, definiri potest : *Ratiocinium*, seu *argumentatio, in qua ex eo quod deprehenditur aliquod particulare subjectum comprehendi sub extensione subjecti universalioris, concluditur prædicatum universalioris subjecti convenire vel non convenire eidem subjecto particulari.* — Definitio ista exemplo clarior erit : *Omne animal est sensitivum; sed homo est animal : ergo homo est sensitivus.* In tantum in conclusione tribuitur homini *esse sensitivum*, in quantum in præmissis affirmatur *hominem* contineri sub extensione subjecti primi judicii, *animal*, quod *sensitivum esse* asseritur.

II. Principia quibus nititur syllogismus. Principia quibus nititur syllogismus profluunt ex ipsa natura idearum quas distributivas diximus (3, III). Hæ enim sua extensione subjecta omnia, ad quæ se extendunt, complectuntur. Ergo necesse est ut prædicatum, quod distributive tribuitur vel negatur subjecto universali, tribuatur quoque vel negetur subjectis omnibus contentis sub totalitate potentiali (16, II) ipsius subjecti universalis. Quam veritatem veteres exprimebant hoc modo : *Dictum de omni; Dictum de nullo.* Nempe : quidquid affirmatur de subjecto universali, affirmatur de subjectis omnibus sub universali contentis; et, quidquid negatur de subjecto universali, negatur de subjectis ejusdem. Utrum vero aliquod subjectum contineatur necne sub subjecto universali primæ propositionis syllogismi, dicitur in ejusdem syllogismi secunda propositione, ut videre est in exemplo supra, n. I. inducto.

III. Altera syllogismi notio. Tradita syllogismi definitio est

scientifica, et naturam ejus intime penetrat. At solet communiter non attendi ad universalitatem subjecti primæ propositionis, ut solummodo termini ipsi, abstractione facta ab eorum extensione, considerentur. Quo sensu syllogismus definitur : *Argumentatio, in qua duo extrema propositionis comparantur cum uno tertio, ut inde concludatur eorum comparatio inter se, seu affirmativa, seu negativa.* Sit idem exemplum : *Omne animal est sensitivum; sed homo est animal; ergo homo est sensitivus.* Concluditur *hominem* et *sensitivum* convenire inter se, eo quod in præmissis repertum est utrumque convenisse cum tertio termino, *animal.*

IV. Principia quibus nititur syllogismus, hoc secundo modo consideratus. Hoc secundo modo, seu quoad suos materiales terminos consideratus, syllogismus nititur duobus hisce principiis : 1° *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* 2° *Quorum unum est idem cum aliquo tertio, aliud vero non est idem, ea non sunt eadem inter se.*

V. Sententiæ philosophorum conciliantur. Ex philosophis quidam affirmant principia syllogismi esse, *dictum de omni, dictum de nullo;* quidam contra duo principia, *quæ sunt eadem,* etc., ut tesseram syllogismorum defendunt. Sed dissensio, ut mihi videtur, est magis de nomine quam de re. Etenim, si syllogismus secundum suam naturam spectetur, quatenus nempe ab universalioribus ad particularia descendit, procul dubio principiis, *dictum de omni, dictum de nullo,* absolute niti debet; si vero in syllogismo nonnisi de materiali structura, ut ita dicam, terminorum ratio habeatur, a duobus aliis principiis secundo loco adductis veritatem mutuatur.

VI. Definitiones. Termini qui in conclusione inferuntur vocantur *extrema* syllogismi.

Tertius terminus cum quo seorsim in præmissis *extrema* comparantur, dicitur *terminus medius,* et simpliciter *medium.*

Extremorum aliud dicitur *majus extremum,* et est illud quod in conclusione loco *prædicati* ponitur; aliud dicitur *minus extremum,* et est semper conclusionis *subjectum.*

Hinc ex *præmissis* propositionibus alia etiam est *major,* alia *minor* syllogismi. — *Major* illa est quæ *majus extremum* continet; *minor* est in qua *minus extremum* invenitur. — Hæc tamen in rigore logico, ad quem unice attendendum est in legibus syllogismi rimandis; in disputationibus vero

scholasticis usu venit, ut quæ propositio primo pronuntiatur, dicatur *major*, et *minor* quæ secundo loco ponitur (1).

ARTICULUS TERTIUS

(33)

De legibus syllogismi.

I. Ratio articuli. Ars syllogistica quantum hominibus sit necessaria nemo est qui per semetipsum non videat. Etenim scientia nostra nonnisi ratiociniis comparatur; et inter ratiocinia primum locum tenet syllogismus. Interest ergo plurimum, ut recte syllogizandi leges observentur, si volumus (et omnes velle debent) rerum veritatem assequi et ab erroribus præcavere. In omni autem syllogismo tres propositiones sunt, *præmissæ* nempe et *conclusio*, quæ constituunt *materiam proximam* syllogismi : sed ipsæ propositiones terminis constant, *extremis* scilicet et *medio :* qui termini *materia remota* syllogismi dicuntur. Quocirca et leges dantur quæ terminorum sunt propriæ, et leges quæ propositiones moderantur.

II. Syllogismi leges. Ut autem memoria juvetur, syllogismi leges octo versiculis sunt comprehensæ; quorum primi quatuor *terminos*, reliqui vero *propositiones* respiciunt; nempe :

Pro terminis.

1. Terminus esto triplex, *major, medius*que, *minor*que.
2. Latius hos, quam *præmissæ*, *conclusio* non vult.
3. Nequaquam *medium* capiat *conclusio* oportet.
4. Aut semel aut iterum *medius* generaliter esto.

Pro propos.

5. Utraque si *præmissa* neget, nihil inde sequetur.
6. Ambæ *affirmantes* nequeunt generare *negantem*.
7. Nil sequitur *geminis* ex *particularibus* unquam.
8. *Pejorem* sequitur semper conclusio *partem*.

III. Declarantur regulæ terminorum. Regulæ præfatæ ex intima natura structuræ syllogisticæ immediate profluunt. Et revera.

(1) Accusationes J. Stuart Mill contra valorem logicum syllogismi et confutationes earum. V. apud Mercier. *Logique*, 83-85 : Hugon, p. 175.

Prima regula dicit tres tantum terminos esse in syllogismo, quia in syllogismo duo *extrema* comparantur cum *medio*, ut affirmetur vel negetur inter ipsos convenientia seu identitas. Si plures aut pauciores habeantur termini, aut nullo modo est comparatio cum tertio, aut erit comparatio cum diversis; ac in utraque hypothesi natura syllogismi evanescit. — Nota tamen hic sermonem esse de triplici termino quoad sensum, non autem quoad materialitatem verborum: nam si plures sint termini sed ad *unam* significationem ordinati, habetur identitas comparationis, et consequenter habetur syllogismus.

Secunda regula inculcat terminos extremos non debere in *conclusione* majorem extensionem præ se ferre quam habuerunt in *præmissis*. Nam ratio cur comparantur inter se extrema in conclusione est *unice* quia fuerunt comparata in *præmissis* cum medio. Ergo si in *majori* extensione quam fuerunt comparata cum medio, comparentur inter se in conclusione, contra ipsam naturam syllogismi agitur. Exemplum : *Omnis planta vegetat; sed aliquod vegetans est sensitivum; ergo omne sensitivum est planta.* Falsus syllogismus, quia *sensitivum* in conclusione sumitur distributive, et in præmissis, utpote prædicatum propositionis affirmativæ, disjunctive sumitur (22, V).

Tertia regula excludit *medium* a conclusione. Et revera *medium* assumitur ut cum ipso comparentur extrema : qua facta comparatione, infertur in conclusione extrema convenire vel non convenire inter se.

Quarta regula præscribit *medium* in præmissis una vice saltem esse sumendum *distributive :* secus medius terminus, quamvis idem materialiter, diversam tamen omnino significationem, seu suppositionem in præmissis haberet, ac proinde comparatio extremorum cum uno tertio non esset, nec syllogismus haberetur. Ex. : *Aliqui homines sunt virtuosi; sed aliqui homines sunt impii; ergo aliqui impii, sunt virtuosi.* — Falsus syllogismus, quia *homines* qui in *majori* dicuntur *virtuosi* diversi omnino sunt ab illis qui in *minori* dicuntur *impii*. Unde revera non tres, sed quatuor termini quoad significationem sunt, et consequenter nulla est comparatio extremorum cum *uno* medio, nullus syllogismus.

IV. De medio termino singulari Cave tamen ne terminum universalem disjunctive sumptum, de quo loquitur regula quarta, confundas cum termino singulari. Hic enim in præmissis variam suppositionem habere nequit, ac proinde potest sine ullo incon-

venienti ut medium assumi in syllogismo. Recte enim concluditur : *Tullius fuit Romanorum eloquentissimus. Sed Tullius fuit trucidatus. Ergo eloquentissimus Romanorum fuit trucidatus.*

V. Declarantur regulæ propositionum syllogismi. *Prima lex* est, ut ex duabus præmissis negativis nulla sit licita conclusio. Si enim ambæ præmissæ sunt negativæ, nullum *extremorum* convenit cum tertio; sed ex eo quod non conveniunt cum uno tertio, non sequitur nec quod conveniant, nec quod non conveniant inter se.

Secunda regula docet, ex duabus præmissis affirmativis nonnisi conclusionem affirmativam inferri posse. Si enim ambæ præmissæ sint affirmativæ, signum est quod duo extrema conveniunt cum tertio; ergo, vi axiomatis, debent in conclusione inter se convenire.

Tertia regula vetat conclusionem inferre ex duabus præmissis particulariter, seu disjunctive sumptis. Etenim in hac hypothesi præmissæ aut sunt ambæ affirmativæ, aut una earum est negativa et altera affirmativa. Sed si sint affirmativæ, *medius* terminus bis sumitur particulariter contra quartum regulam assignatam pro terminis; si una earum est negativa, tunc vel medius terminus sumitur bis particulariter contra eamdem quartam regulam, vel unum extremorum, contra secundam regulam prescriptam pro terminis, necessario distribuitur in conclusione et non in præmissis. Sint exempla : 1^{m} *Aliquis sapiens est impius; sed aliquis pius est sapiens: ergo aliquis pius est impius.* — Medius terminus *sapiens* in *majori* supponit *disjunctive*, ut designat terminus syncategorematicus *aliquis* et *disjunctive* sumitur in *minori*, quia prædicatum propositionis affirmativæ. — 2^{m} *Aliquis pius non est animal; sed aliquis pius est homo; ergo aliquis homo non est animal.* — Medius terminus *pius* accipitur bis particulariter, prouti indicat terminus syncategorematicus *aliquis*. — 3^{m} *Aliquis pius est homo: sed aliquis sapiens non est pius; ergo aliquis sapiens non est homo.* — *Homo* in conclusione, utpote prædicatum propositionis negativæ, *distributive* supponit; at in *majori* disjunctive sumitur.

Quarta regula dicit conclusionem pejorem partem sequi; nempe si una præmissarum est negativa, conclusio debet esse negativa, quia hac in hypothesi unum extremorum convenit cum *medio*, alterum vero non convenit. Ergo non conveniunt

inter se. — Insuper si una præmissarum est particularis, signum est quod unum extremorum nonnisi disjunctive convenit cum *medio*. Ergo et conclusio debet affirmare identitatem extremorum non distributive, sed disjunctive : quia, ut in declaratione secundæ legis terminorum dictum est, eodem *omnino* sensu debent in conclusione *extrema* inter se comparari, quo in præmissis comparata sunt cum *tertio*.

ARTICULUS QUARTUS

(34)

De figuris syllogismi.

I. Figuræ syllogisticæ notio. Auctor tractatus *De natura syllogismorum*, inter opuscula S. Thomæ, opusc. XLVII. hæc ingeniose notat circa figuras syllogismorum : « Sciendum autem quod figura proprie reperitur in mathematicis, transumptive autem in syllogismo : et hoc ad similitudinem figuræ triangularis. Nam, sicut triangulus est clausio trium linearum in tribus angulis, ita syllogismus est concursus trium propositionum, scilicet *majoris, minoris et conclusionis*, in tribus terminis. » — Jam diximus in syllogismo tres terminos haberi, qui sunt materia ejus remota, ac tres propositiones, quæ sunt materia proxima ejusdem. *Figura* respicit terminos, et definitur : *dispositio extremorum cum medio* per modum prædicati vel subjecti.

II. De triplici figura syllogismi. Age vero : medius terminus tripliciter variari potest in præmissis in sua dispositione relative ad extremos terminos : aut enim 1° est *subjectum* in *majori* et *prædicatum* in *minori;* 2° aut tum in *majori* tum in *minori* est *prædicatum;* 3° aut denique tum in *majori* tum in *minori* est *subjectum*. Hinc triplex *figura* syllogismi. Prima dispositio constituit *primam* figuram; secunda *secundam;* tertia *tertiam*. Quæ omnia sequenti versiculo exprimi solent :.

Sub. præ. *prima;* sed *altera* bis præ.; *tertia* bis sub.

III. De quarta figura syllogismi. Triplici figuræ syllogisticæ, quam Aristoteles primus distinxit, quartam addidit Galenus (131-200), quæ ideo *galenica* dicta est, in qua medius terminus prædicatur in majori et subjicitur in minori syllogismi. Quidam vero

hanc quartam figuram ut legitimam et omnino a prima figura Aristotelica distinctam defendunt; alii vero vel ut inutilem, vel ut nimis intricatam explodunt. Placet in hanc rem rationem et verba transcribere perdocti Goudin (Logic. min. P. III. artic. III). « Syllogismus, in quo medium prædicatur et subjicitur, concludit vi hujus principii : *quidquid dicitur de subjecto, dicitur de omni sub eo contento;* et vicissim : *quidquid negatur de subjecto, negatur de omni contento sub ipso* (32, II). Unde, ideo majus extremum affirmatur aut negatur de minori extremo, quia fuit affirmatum aut negatum de medio, sub quo minus extremum continetur; et ideo necesse est ut majus extremum prædicetur de medio, et medium prædicetur de minori extremo, non vice versa. Id autem non fit, nisi medium subjiciatur in *majori*, in qua comparatur cum majori extremo, et prædicetur in *minori*, in qua comparatur cum minori extremo. Si vero prædicetur de majori extremo et subjiciatur minori extremo, tota vis illationis, et principium quo nititur, funditus corruet, sicque aut nulla, aut admodum perturbata erit illatio. » Et paulo supra jam scripserat : « Hæc quarta figura omnino est violenta, et ut recta fiat debet reduci ad primam; unde est inutilis, licet probetur Galeno, ideoque *galenica* dicatur. Hujus figuræ exemplum sit : *Omnis homo est animal; sed omne animal est substantia; ergo aliqua substantia est homo.* Concludit quidem vere sed inordinate admodum et violente, perturbata dispositione terminorum conclusionis (20, IV). At eadem veritas, nempe nexus inter hominem et substantiam, ordinate concludetur, reducto syllogismo ad primam figuram, ad quam hæ propositiones connaturaliter tendunt, hoc pacto : *Omne animal est substantia; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia.* » Hæc præclari philosophi ratio mihi probatur, sed quia hanc syllogismi figuram erroneam non probat, scriptoresque Dialecticæ aut defendunt, aut saltem recensent, de ipsa et ego mentionem faciam.

IV. De figurarum perfectione. Qui sibi persuaderet figuras syllogismi sine ulla ratione esse ordinatas, procul dubio erraret : illæ enim ex natura ipsa syllogismi emergunt. Audiatur hac in re Auctor Tractatus *De totius logicæ Aristotelis summa*, Tractat. *De syllogismo simpliciter*, inter Opusc. S. Thomæ, XLVIII, cap. IV : « Dicitur autem hic figura ordo trium terminorum secundum subjectionem et prædicationem. Sicut enim termini linearum in mathematicis aliter et aliter situati variant species figurarum (nam tria puncta quæ faciunt triangulum, si inter se æqualiter distabunt, erit species trianguli quæ dicitur æquilaterus, sive hysopleuros; si vero duo æqualiter distabunt a tertio, quorum dis-

tantia inter se est minor vel maior distantia eorum ad tertium, est species trianguli quæ dicitur hysocheles; si vero omnes distantiæ punctorum sint inæquales, est species trianguli quæ dicitur gradatus, sive scalenon); sic secundum diversitatem istorum trium terminorum in subjiciendo et prædicando, fiunt tres figuræ syllogismorum, licet alio modo quam in figuris superficialibus jam dictis. Si enim *medium* in una propositione subjicitur et in altera prædicatur, dicitur esse *prima figura*, et merito; quia tunc medium vere est medium, quia sapit naturam utriusque extremi, scilicet subjecti et prædicati : prædicatur enim et subjicitur, ut dictum est. Si vero medium in utraque propositione prædicatur, dicitur esse *secunda figura*, quia licet *medium* non sit vere medium, sapiens naturam subjectionis et prædicationis, tamen quia dignius est prædicari quam subjici, ideo hæc figura secundum locum tenet. Si vero *medium* in utraque propositione subjicitur, dicitur *tertia figura* et ultima, quia in ea medium non stat in medio, sicut in prima, et subjicitur semper quod est indignius. »

V. Leges pro singulis figuris Quælibet figura suas proprias habet leges. Etenim : 1° ut syllogismi primæ figuræ recte concludant, debent necessario habere *majorem* distributivam et *minorem* affirmativam; — 2° syllogismi secundæ figuræ non concludunt, nisi habeant *majorem* propositionem distributive acceptam, et alterutram præmissarum negativam; — 3° Syllogismi tertiæ figuræ, ut concludant, debent necessario habere *minorem* affirmativam, et conclusionem particularem seu *disjunctive* acceptam. Quæ leges vulgatis hisce versiculis continentur :

Primæ figuræ.	Sit *minor* affirmans, *major* vero generalis.
Secundæ figuræ.	*Una* negans esto, nec *major* sit specialis.
Tertiæ figuræ.	Sit *minor* affirmans, conclusio particularis.

Nota diligenter *majorem* et *minorem* sumi debere in sensu stricte logico, ut leges istæ valeant : videlicet *majorem* illam esse, quæ prædicatum conclusionis, *minorem*, quæ subjectum conclusionis, habet, ut alibi dictum est (32, VI).

VI Declarantur leges propositæ. Legum prædictarum rectitudo facto ipso comprobatur : nam syllogismus non servans leges respectivæ figuræ, necessario contra unam aut alteram regulam syllogismorum peccat. Sit sequens schema.

PRIMAE FIGURAE

1.
Cum *minori* negativa:
Omne animal est substantia;
Sed nullus lapis est animal;
Ergo nullus lapis est substantia.

Substantia, prædicatum propositionis affirmativæ, non distribuitur in *majori*, et, ut prædicatum propositionis negativæ, distribuitur in conclusione, contra secundam legem syllogismi.

2.
Cum *majori* particulari:
Aliquod animal est rationale;
Sed omnis asinus est animal;
Ergo omnis asinus est rationalis.

Medius terminus *animal*, non distribuitur in *majori* neque distribuitur in *minori*, ut patet. Bis ergo sumitur particulariter seu disjunctive, contra quartam regulam syllogismi.

SECUNDAE FIGURAE

1.
Cum utraque *præmissa* affirmativa:
Omnis homo est animal;
Sed omne sensibile est animal;
Ergo omne sensibile est homo.

Medius terminus, *animal*, in nulla præmissarum distribuitur, contra quartam regulam.

2.
Cum *majori* particulari:
Aliqua substantia est homo;
Sed nullus lapis est homo;
Ergo nullus lapis est substantia.

Substantia sumitur disjunctive in *majori*, et distributive in *conclusione*, contra secundam regulam.

TERTIAE FIGURAE

1.
Cum *minori* negativa:
Omnis planta est vivens;
Sed nulla planta est animal;
Ergo aliquod animal non est vivens.

Vivens distribuitur in *conclusione* et non in *majori*, contra secundam regulam.

2. Cum *conclusione* universali :

Nullum animal est lapis;
Sed omne animal est substantia;
Ergo omnis (aliqua) *substantia non est lapis.*

Conclusio particularis vera est; sed falsa universalis, quia distribuit *substantiam (extremum)* non distributam in *minori.*

Quia ergo dispositio *medii* et *extremorum* in syllogismis cujusque figuræ eadem semper est ac in allatis exemplis; quæ notavimus in hisce peculiaribus syllogismis, accipienda sunt ut regulæ generales quoad omnes syllogismos in figuris respectivis.

ARTICULUS QUINTUS

(35)

De modis syllogismi.

I. Ratio articuli. Sæculo decimo octavo invaluerat usus, ut quidquid a Scholasticis fuerat dictum rejiceretur *a priori;* unde risui erant *modi* syllogistici, quasi barbariem saperent. At revera risu digni omnino erant qui deridendos Scholasticos existimabant. Namque, si quis hoc problema proponeret : determinare *a priori* modos omnes, quibus mens humana ratiocinari valet, et ex illis modis determinare qui sint legitimi, qui illegitimi; nemo, qui philosophi nomine dignus est, non statim perspiceret problema illud humanæ mentis investigatione dignissimum esse. Sed illud præcise problema sibi proposuit et solvit plenissime Aristoteles, quem postea Scholastici sunt secuti. Mirum igitur cuique cordato homini esse debet, derisos esse hac in re Aristotelem et Scholasticos, cum potius maxime meriti fuerint de scientia, et jus habeant ad gratum animum sapientum, ut post De Maistre (*Examen de la philosophie de Bacon*, tome I, pag. 24, édit. 1858) et Blainville (*Histoire des sciences*, tome I, pag. 204), plene demonstrat Galluppi in suis *Lectionibus Logicæ et Metaphysicæ*, Lect. XLIX. Unde sapientiores nostræ ætatis philosophi, sepositis præjudiciis sæculi elapsi, ad præcepta aristotelica Logicam iterum componere feliciter adlaborant.

II. Modi syllogistici notio. Præter terminos dantur in syllogismo propositiones, quæ ipsius syllogismi sunt materia

proxima, ut supra dictum est (33, I). At vero statim ac enuntiatur propositio, *extensionem* aliquam præ se fert et *formam*, seu est affirmativa vel negativa (21, V), et insuper est universalis vel particularis (22, II). — Videlicet, quæcumque propositio enuntiatur, aut est A, aut E, aut I, aut O (28, IV). De *qualitate* (21, VII) et *materia* (21, II) propositionum nulla est in præsenti quæstio. — Igitur modus est, *determinata forma vel quantitas propositionum præmissarum, ut ex eis sequatur conclusio*, seu est dispositio præmissarum inter se secundum universalitatem vel particularitatem, affirmationem aut negationem.

III. Primæ partis problematis solutio. Problema quod initio hujus articuli proponebatur, duas habet partes : 1° quot sint possibiles modi syllogismi; 2° quot sint *recti* modi concludendi. Sed dictum est modum syllogismi esse dispositionem præmissarum secundum determinatam quantitatem et determinatam formam. Ergo tot erunt modi possibiles syllogizandi, quot esse possunt variæ præmissarum dispositiones secundum earum quantitatem et affirmationem vel negationem. Sumamus igitur litteras A, E, I, O, et de facili videbimus eas inter se sexdecim modis disponi posse. — Attende in sequenti schemate quod prima littera designat propositionem *majorem*, secunda *minorem*, tertia, quam parenthesi claudimus, *conclusionem*. En schema :

1. AA (A); — 2. AE (E); — 3. AI (I); — 4. AO (O);
5. + EE (E); — 6. EA (E); — 7. EI (O); — 8. + EO (O);
9. + II (I); — 10. IA (I); — 11. IE (O); — 12. + IO (O);
13. + OO (O); — 14. OA (O); — 15. + OE (O); 16. + OI (O).

Impossibile omnino est aliquam aliam dispositionem præmissarum præter has sexdecim excogitare. At vero nota in hujusmodi sexdecim dispositionibus medium terminum posse esse : 1° subjectum in *majori* et prædicatum in *minori;* — 2° prædicatum in utraque præmissa; — 3° subjectum in utraque præmissa; — 4° denique, in sententia Galeni, prædicatum in *majori* et subjectum in *minori*. Quod est manifestum ex dictis circa syllogismi figuras. — Ergo, attenta dispositione extremorum cum medio, variæ dispositiones præmissarum, seu modi syllogistici possibiles sunt sexdecim in qualibet figura, et consequenter modi syllogizandi menti nostræ possibiles sunt sexaginta quatuor. Et hæc est solutio primæ partis problematis propositi.

IV. Solutio secundæ partis problematis. In secunda parte problematis quærebatur, ex his possibilibus modis quot recte concludant. Ad cujus solutionem non difficile pervenitur, si syllogismi leges, et regulæ cujusque figuræ ante oculos habeantur. Inter enim leges syllogismi sunt duæ, quibus dicitur nihil concludi ex duabus præmissis particularibus vel negativis. Ergo expungendi omnino sunt syllogismi (cujusque figuræ sint) positi sub nn. 5, 8, 9, 12, 13, 15, 16, quos cruce signavi. Unde ex sexdecim modis possibilibus, septem istis in qualibet figura expunctis, remanent solummodo novem utiles, nempe :

1. AA (A); — 2. AE (E); — 3. AI (I); — 4. AO (O); — 5. EA (E); — 6. EI (O); — 7. IA (I); — 8. IE (O); — 9. OA (O).

At quamvis hujusmodi novem modi, in hoc secundo schemate recensiti, in se recte concludant, non tamen promiscue concludunt in qualibet figura. Etenim dictum est quod syllogismi primæ figuræ debent habere *minorem* affirmativam et *majorem* universalem (34, V). Ergo in prima figura non concludunt syllogismi positi in secundo schemate sub nn. 2, 4, 7, 8, 9. Quibus detractis, quatuor solummodo remanent modi concludentes in prima figura; nempe :

AA (A); — EA (E); — AI (I); — EI (O).

Deinde, syllogismi in secunda figura habent *unam* præmissarum negativam et *majorem* universalem. Ergo in secunda figura expungendi sunt syllogismi positi in secundo schemate sub nn. 1, 3, 7, 8, 9 : nempe in secunda figura modi concludentes sunt solummodo quatuor, videlicet :

EA (E); — AE (E); — EI (O); — AO (O).

Præterea, syllogismi in tertia figura debent habere *minorem* affirmativam, et *conclusionem* particularem : quocirca in tertia figura expungendi sunt syllogismi positi in secundo schemate sub nn. 1, 2, 4, 5, 8. Quibus expunctis, modi concludentes in tertia figura sunt quatuor, scilicet :

AI (I); — EI (O); — IA (I); — OA (O).

Quia vero in numeris 1 et 5 potest concludi non solum per A et per E, sed etiam per I et per O : nihil enim ad id

opponitur; duo isti modi, nempe AA (I), EA (O), addendi sunt ut recti quatuor prioribus tertiæ figuræ modis, qui ideo sunt :

AA (I); — EA (O); — IA (I); — AI (I); — OA (O); — EI (O).

Igitur modi recte concludendi sunt : quatuor in *prima figura*, quatuor in *secunda*, sex in *tertia figura :* nempe quatuordecim. His autem addi possunt quinque modi legitimi ex quarta figura galenica. — Quocirca ad secundam problematis partem respondemus : *novemdecim esse modos legitimos concludendi* ex sexaginta quatuor possibilibus supra recensitis.

V. Modi legitimi primæ figuræ indirectæ. Dicitur conclusio indirecta, et consequenter indirecta syllogismi figura, quando illius attributum seu prædicatum, non est idem ac prædicatum seu attributum propositionis probandæ. Sit enim probanda hæc propositio : *Omnis homo est sensitivus.* Directe concluditur dicendo : *Omne animal est sensitivum;* sed *omnis homo est animal;* ergo *omnis homo est sensitivus.* — Indirecte autem concluditur dicendo : *Omne animal est sensitivum,* sed *omnis homo est animal;* ergo *aliquod sensitivum est homo.* — Porro quoad primam figuram indirectam quinque modi legitimi recensentur, nempe : AA (I); — EA (E); — AI (I); — AE (O); — IE (O) : de quibus, sicut de aliis modis indirectis aliarum figurarum (quorum nullus est usus in scholis) videri potest Auctor *Summæ totius logicæ Aristotelis,* Tract. *de syllogismo simpliciter,* Cap. VIII. inter *Opusc.* S. Thomæ, XLVIII. Hos autem modos primæ figuræ indirectæ solummodo notamus, quia respondent modis directis quartæ figuræ galenicæ, ut infra declarabimus.

VI. Scholasticorum versus. Veteres Scholastici modos illos legitimos versibus commendarunt, non elegantiæ quidem, sed memoriæ juvandæ unice studentes. In quibus versibus solum attende, in præsenti, ad *vocales* quæ in unoquoque termino sunt. En versus :

(1ae fig.) *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.* (1ae fig. indir., *Barlip (ton). Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesom (orum).*

(2ae fig.) *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.* (3ae fig.) *Darapti, Felapton Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Particulæ *ton* in *Baralipton* et *orum* in *Frisesomorum*

non sunt considerandæ, quia adjunctæ ad versum complendum. — Ut quisque videt, vocales, quæ in quolibet termino recensentur in versibus, sunt illæ ipsæ, quas supra probavimus ut designantes propositiones necessario requisitas ad concludendum in qualibet figura.

VII. De versibus scholasticis. Barbaros esse hujusmodi versus non ego inficias ibo : at nemo prudens fastidire rem potest propter versuum inelegantiam. Qua in re audiatur Auctor libri *De arte cogitandi*, in Scholasticos ipsos minime propensus. « Insuper, inquit, habendam duximus illorum nauseam qui, auditis illis terminis, quos ars efformavit ad argumentationum modos altius memoriæ infigendos, non aliter inhorrescunt, quam ad magorum incantationes; quique de *Baroco* et *Baralipton* satis frigide jocantur, tanquam horum usus apud illos tantum vigeret, quos Galli pedantes vocant. Nos tamen plus offendimus in ineptis illis jocis, quam in technicis istis terminis. Vera enim ratio, ac sana mens nequaquam sinunt, ut id pro ridiculo habeamus, quod ridiculum non est. Ridiculi autem in his terminis nihil est, modo nulla in his arcana latere fateamur, et, cum ad memoriam tantum sublevandam sint excogitati, ab illis in communi sermone abstineamus : risu enim dignus est, qui argumentaturus, argumentaturum se in *Bocardo* vel *Felapton* præmoneret. » Hæc Auctor citatus in Dissertatione proæmiali ad suum librum. — Auctores philosophiæ *Portus-regii*, quos Auctor *De arte cogitandi* aliique sequuntur, modificarunt versus ipsos, non ut elegantiores redderent, sed pro quarta figura galenica. Sed de his in sequenti *nota*.

VIII. De quarta figura syllogismi. Promisimus supra (34, III), nunnulla delibare de quarta syllogismi figura; et hic promissio solvenda est. Scholastici, sicut ponebant modos primæ figuræ indirectæ, *baralipton*, *celantes*, etc., ita et agnoscebant dari alios modos indirectos tum secundæ tum tertiæ figuræ, ut videre est apud Goudin, *Logicæ minoris*, P. III. Artic. III. post *sextam regulam*. Attamen recensebant solum modos primæ figuræ indirectæ, quia per illos satis supplebatur quarta figura *galenica*, ut ex dicendis erit manifestum. — Porro Scriptores *Portus-regii* et novissime Gratry in sua *Logique*, aliique, mutarunt nonnullos modos scholasticos, ut melius et verius responderent modis legitimis quartæ figuræ : quæ modificatio admittenda est, non quidem circa primam figuram *indirectam*, sed ut designans modos *directos quartæ figuræ*, de qua versus non dabant Scholastici, quia, posita prima *figura indirecta*, ut inutilem vel saltem ut minus

utilem illam prætermittebant. Quibus declaratis, venio directe ad quartam figuram explicandam. In hac ergo, ut dictum est, *medius* terminus prædicatur in *majori* et subjicitur in *minori (præ. sub.)*, nempe est inversio primæ figuræ; ut : *Omnis homo est animal;* sed *omne animal est sensitivum;* ergo *aliquod sensitivum est homo.*

Tres sunt leges quæ dantur ut modi hujus quartæ figuræ concludant.

Prima lex. *Si* major *affirmet, sit* minor *generalis.*
Secunda lex. *Si* minor *affirmet, sit* conclusio *particularis.*
Tertia lex. *Si* una præmissarum *neget, sit* major *generalis.*

Ratio primæ regulæ est, quia si, posita *majori* affirmativa, *minor* sit particularis, medius terminus, utpote prædicatum propositionis affirmativæ in *majori*, et in *minori* subjectum propositionis disjunctivæ, non distribuitur in præmissis. Unde falsus est logice sequens syllogismus : *Omnis homo est* animal; — Sed *aliquod* animal *est sensitivum;* — Ergo *aliquod sensitivum est homo.* — *Animal* enim in nulla præmissarum distribuitur.

Ratio secundæ regulæ est, quia si, posita *minori* affirmativa, conclusio fiat universalis, minus extremum distribuitur in conclusione non distributum in præmissis; ut in hoc exemplo : *Omnis homo est animal;* sed *omne animal est sensitivum;* ergo *omne sensitivum est homo* (AAA). — Falsa conclusio; at vera est si dicatur : ergo *aliquod sensitivum est homo* (AAI), quia regulæ servantur.

Ratio tertiæ regulæ est quia, posita una præmissarum negativa, si major sit particularis, in conclusione distribuitur *majus extremum*, non distributum in præmissis, ut in hoc exemplo : *Aliqua substantia est animal; sed nullum animal est lapis; ergo nullus lapis est substantia*, vel, *ergo aliquis lapis non est substantia.*

Ergo in quarta figura, præter modos universaliter falsos, ut supra notatum est, expungendi sunt omnes alii qui contra præfatas regulas peccant, quibus expunctis, remanent quinque modi legitimi, nempe: 1°, AAI; 2°, AEE; 3°, IAI; 4°, EAO; 5°, EIO; quos scriptores *Portus regii* hoc versu exprimunt :

Barbari, Calentes, Dibatis, Fespamo, Fresison.

Alii vero hoc modo :

Camentes, Dimatis, Fresamno, Bamalipton, Fresisomorum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Denique Gratry in sua *Logique*, Lib. III. Cap. III. § IV. hoc alio modo :

Camentes, Dimatis, Fresapmo, Bamalipton, Fresisonorum.

Manifestum est quod modi isti correspondent modis primæ figuræ indirectæ Scholasticorum : *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*, et solum differunt quoad inversionem seu situm *præmissarum*. Sed hæc differentia est solummodo materialis; nam cum in conclusione modorum primæ figuræ *indirectæ* convertantur termini, ita ut *prædicatum* figuræ directæ, fiat subjectum figuræ indirectæ, et vice versa, et consequenter ipsæ præmissæ invertantur, ita ut *major* fiat *minor* (32, VI), revera modi primæ figuræ indirectæ sunt ipsi modi quartæ figuræ. Unde non immerito Scholastici hanc quartam figuram prætermittebant, cum per primam figuram indirectam omnino suppleatur. Sint exempla :

Primæ figuræ indirectæ.

Celantes
Nullum animal est lapis (minor).
Omnis homo est animal (major).
Nullus lapis est homo.

Quartæ figuræ.

Camentes
Omnis homo est animal (major).
Nullum animal est lapis (minor).
Nullus lapis est homo.

Habemus nempe syllogismos identicos in *conclusione*, et sola materialitate dispositionis præmissarum differentes. Qua de causa tres figuras et versus antiquorum sine ulla immutatione retinemus.

IX. De reductione omnium modorum ad modos primæ figuræ. Convenit inter dialecticos, modos directos primæ figuræ naturali mentis nostræ ordini magis respondere quam modos secundæ et tertiæ figuræ, quia in prima figura valet maxime duplex principium illud quo tota natura syllogismi nititur : *dictum de omni, dictum de nullo;* ut supra (32, II) explicatum est. Quapropter si potest designari via reducendi omnes modos ratiocinandi ad unum ex quatuor modis primæ figuræ, designatur menti pronior et facilior via ad ratiocinandum. In id igitur obtinendum magna diligentia incubuere Scholastici, et quo pacto illud ipsum ob-

tineri possit indicarunt per *consonantes*, quæ in ipsis versibus et præcedunt et consequuntur vocales designantes propositiones. Et revera. Omnes voces, quibus designantur in versibus modi legitimi cujusque figuræ incipiunt a consonantibus B, C, D, F. — Regula igitur generalis est : *Modi aliarum figurarum, ut ad primam figuram reducantur, reduci debent ad illum modum qui incipit per eamdem consonantem.* Exempli gratia, *Baralipton* ad *Barbara; Celantes* et *Cesare* ad *Celarent; Dabitis* et *Datisi* ad *Darii; Fapesmo* et *Ferison* ad *Ferio;* et sic de reliquis.

Vix autem monere necesse est, quod in hac reductione servandæ sunt omnino duæ conditiones : 1ª legitimitas ratiocinii intacta remaneat; 2ª *conversio* (artic. 29) propositionum præmissarum fieri ita debet, ut syllogismi secundæ et tertiæ figuræ reducantur ad primam in qua medius terminus *subjicitur* et *prædicatur*. Quæritur igitur quo modo fieri debeat hujusmodi conversio, ut reductio habeatur et rectus ratiocinandi ordo servetur. Attende unice ad quatuor istas alias consonantes, quæ in vocibus eorum versuum occurrunt, nempe S, P, M, C. Duæ primæ designant quo pacto fieri debeat conversio propositionis designatæ per vocalem præcedentem. Nam *S* significat propositionem præcedentem convertendam esse *simpliciter* (29, II). — *P* significat propositionem convertendam esse *per accidens (ibid.)*. — Tertia vero, nempe M, designat, in reductione *minorem* syllogismi reducendi fieri debere *majorem*, et *majorem* fieri *minorem*. — C denique exprimit reductionem fieri non posse, sed probari rectitudinem illius syllogismi *per impossibile:* de qua re infra melius dicemus. Istæ regulæ hisce versibus continentur :

S vult *simpliciter* verti; P vero *per accidens*.
M vult *transponi;* C *per impossibile* duci.

Exemplo rem illustremus. Sit syllogismus :

a) Omne animal est substantia;
e) Sed nullus lapis est animal;
o) Ergo aliqua substantia non est lapis.

Est syllogismus primæ figuræ indirectæ in *Fapesmo; F* indicat quod reduci debet ad *Ferio; P* indicat *A* convertendam esse *per accidens*, scilicet : *aliqua substantia est animal; S* indicat *E* convertendam esse *simpliciter*, seu : *nullum animal est lapis; M* indicat invertendum esse ordinem præmissarum, ut quæ *major* est fiat *minor*, et *minor* fiat *major*. Unde habemus :

e) Nullum animal est lapis;
i) Sed aliqua substantia est animal;
o) Ergo aliqua substantia non est lapis;

qui est syllogismus primæ figuræ in *Ferio*. — Idem omnino processus est in ceteris modis, exceptis *Baroco* et *Bocardo*, ut indicatur per consonantem *C*. Etenim *reductio* fit mediante *conversione*, ut ex dictis est manifestum. Porro *A* in *Baroco* et *Bocardo*, quia convertitur *per accidens* (29, III), per conversionem fit *particularis* seu *disjunctiva*. *O* vero, quia nonnisi per *contrapositionem* converti potest, remanet, peracta conversione, in sua *particularitate*. Unde haberetur utraque præmissa particularis; ex qua nihil concludi potest (33, II).

X. De probatione syllogismorum. Contingit quandoque quod aliquis, concessis præmissis, inficiatur consequentiam syllogismi sive ex ignorantia sive ex protervia. Scholastici normas statuerunt quibus hujusmodi aut pervicaces aut imbecilles ad rationem reducantur. Prima regula est, ut syllogismi aliarum figurarum ad primam reducantur, eo modo quo supra explicavimus, et postea applicentur principia, *Dictum de omni*, *Dictum de nullo*. Secunda regula est *reductio ad impossibile*, seu cogere adversarium admittere simul contradictoria, si neget consequentiam, admissis præmissis : quod semper fieri debet quando agitur, ut jam diximus, de syllogismis in *Baroco* et *Bocardo*. Quid autem fieri debeat ut hæc reductio ad impossibile obtineatur, dicunt sequentes versus :

PRIMA *Minorem* adimit, facit e *Majore Minorem*.
CELANTES *Minor* est contradic.; *Min.* sede *Majoris*.
Majorem servat, variatque SECUNDA *Minorem*.
TERTIA *Majorem* variat, servatque *Minorem*.

Sit syllogismus in prima figura : *Omne animal est sensitivum; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensitivus.* — Si aliquis concederet præmissas, et negaret *consequentiam;* ita procederem contra ipsum. Sumo contradictoriam consequentiæ illatæ (et hæc contradictoriæ assumptio semper et in omnibus figuris locum habet), nempe : *ergo non omnis homo est sensitivus*, quam quidem ex legibus contradictoriarum (28, V) adversarius vi negatæ consequentiæ debet admittere ut veram. Hanc igitur contradictoriam pono *majorem*, et pro *minore*, ut lex inculcat, assumo *majorem* prioris mei syllogismi, *minore* seposita; et habeo sequentem syllogismum : *Non omnis homo est sensitivus;*

sed omne animal est sensitivum; ergo non omnis homo est animal. At adversarius concesserat quod *omnis homo est animal;* ergo debet concedere duas contradictorias propositiones, nempe, *Non omnis homo est animal; Omnis homo est animal,* esse veras. Quod est impossibile.

In syllogismo primæ figuræ indirectæ in *Celantes,* contradictoria non debet poni *major* sed *minor,* et *minor* prioris syllogismi poni pro *majori.* — Ut in hoc exemplo : *Nullum animal est lapis;* sed *omnis homo est animal;* ergo *nullus lapis est homo.* Si negetur conclusio, probatur hoc modo : *Omnis homo est animal;* sed *aliquis lapis est homo;* ergo *aliquis lapis est animal.* Quæ conclusio est contradictoria *majoris* concessæ in primo syllogismo. Pro ceteris modis primæ figuræ indirectæ, servanda est in probatione lex data pro modis primæ figuræ directæ.

In syllogismis secundæ figuræ contradictoria ponitur loco *minoris* prioris syllogismi, intacta servata ejus *majori.* Sit exemplum : *Omnis homo est rationalis;* sed *nullus equus est rationalis;* ergo *nullus equus est homo.* Si negetur consequentia, probatio juxta regulam fit hoc modo : *Omnis homo est rationalis;* sed *aliquis equus est homo;* ergo *aliquis equus est rationalis;* quæ est contradictoria *minoris* concessæ in primo syllogismo.

Denique in syllogismis tertiæ figuræ *contradictoria* ponenda est loco *majoris* syllogismi probandi, et *minor* non mutanda. Sit syllogismus in tertia figura : *Omne animal est sensibile;* sed *omne animal est substantia;* ergo *aliqua substantia est sensibilis.* — Hæc conclusio est legitima; at si, concessis præmissis, negaretur, probanda esset hoc modo : *Nulla substantia est sensibilis;* sed *omne animal est substantia;* ergo *aliquod animal non est sensibile;* — quod est propositio *contradictoria* majoris concessæ in primo syllogismo.

« Ceterum, concludam, usurpando verba Goudin, si tirones has reductionum regulas minus capiant, minime ob id conturbentur : nam vix earum ullus usus est, nisi forte reductionis ad impossibile. Sed cum in disputando negatur conclusio syllogismi in forma legitima existentis, assumpta contradictoria conclusionis, ipso naturali lumine satis obvia est præmissa, cum qua combinari debet, ut inferatur contradictoria alterius præmissæ concessæ. » — *Logic. min.* P. III. Artic. IV.

XI. De inventione medii. « Regulæ quæ tradi solent, inquit loc. cit. Artic. V. § I. ipse Goudin, de inventione medii, acutæ quidem sunt, sed id habent incommodi, ut difficiles sint, et fere nullius usus. » Unde eas (videri possunt Opusc. L., *De inventione medii,* inter *Opp.* S. Thomæ) auctor citatus prætermittit et

aliam viam minus subtilem sed planam et utilem aperire tentat. Sistendo igitur in principiis ontologicis syllogismi, *dictum de omni, dictum de nullo,* habemus duas formas principales syllogismorum, ex quibus alii procedunt a præmissis affirmativis ad conclusionem affirmativam, alii procedunt ab una præmissarum negativa ad conclusionem negativam.

Porro in affirmativis universalibus *(Barbara)*, ideo *prædicatum* affirmatur de *subjecto* in conclusione, quia in præmissis *medium* est universale quod *continetur* sub *prædicato* conclusionis, et insuper est universale *continens* sub se ipsius conclusionis *subjectum.* Sicut in hoc exemplo : *Omne animal est sensibile;* sed *omnis homo est animal;* ergo *omnis homo est sensibilis.* Cum prædicatum sit magis universale quam subjectum (20, IV), habetur quod medius terminus *animal* continetur sub suo universali *sensibile* in *majori;* et simul est *universale* continens sub se *homo in minori.* Unde argumentatio æquivalet huic : *Animal est sub sensibili;* sed *homo est sub animali;* ergo *homo est sub sensibili.* Habes nempe manifestam applicationem principii, *dictum de omni.* Ergo regula generalis pro affirmativis universalibus concludendis est : *Medium quæri debet, quod contineatur sub* prædicato *conclusionis, seu sub* majori extremo, *et contineat* minus extremum, *seu subjectum conclusionis.*

Ex opposito, ad concludendam propositionem universalem *negativam (Celarent)*, assumatur pro *medio termino* aliquid, *quod excludatur ab universalitate* majoris *extremi, et in sua universalitate includat* minus *extremum.* Sicut in hoc exemplo : *Nullum animal est lapis;* atqui *omnis homo est animal;* ergo *nullus homo est lapis.* — *Animal* excluditur ab universalitate majoris extremi, *lapis;* et includit in sua universalitate minus extremum, *homo.* Consequenter *homo* excluditur in conclusione ab universalitate ipsius majoris extremi, *lapis,* juxta illud : *dictum de nullo,* etc.

Hæ sunt regulæ generales de inventione *medii* quoad duos priores modos primæ figuræ *(Barbara, Celarent)*, qui principaliores sunt, et ad quos revocantur ceteri modi. At in his rebus plurimum valent leges, sed exercitium valet maxime (1).

(1) Syllogismus quem Auctor oratorium vocat (n. 36), dicitur etiam *informis* ex eo quod oratione soluta et absque artificiosa dispositione proponitur. « Hic modus syllogizandi familiaris fuit Aristoteli et Divo Thomæ; nam modus ille formatus pressa ac jejuna oratione arguendi nonnisi media ætate contra cavillatores invaluit. ». Lepidi, *loc. cit.*

Quamvis hæc subtilia sint et, *usu spectato,* non magni momenti, valent tamen ad structuram argumentationis penitius ac ple-

CAPUT SECUNDUM

DE SYLLOGISMI SPECIEBUS

Prologus. Consideratis natura, figuris et modis syllogismi, accedimus, juxta ordinem determinatum in prologo ad caput primum hujus libri, ad syllogismi species declarandas. Equidem, omnes syllogismi, cujuscumque speciei sint, ad simplicem syllogismum commode reduci queunt, imo debent, ut eorum veritas illico innotescat et error securius devitetur; attamen quia formâ ipsa sub qua proponuntur nova est, nec satis cognita tironibus via reducendi ad formam simpliciorem, ideo necessarium omnino est ut de speciebus syllogismi peculiaris sermo a nobis habeatur. Duobus autem articulis caput istud absolvitur : in *primo* dicemus de syllogismo simplici et composito; in *secundo* de aliis speciebus syllogismi.

ARTICULUS PRIMUS

(36)

De syllogismo simplici et composito.

I. Syllogismus scholasticus et oratorius. Syllogismus, cujus termini et propositiones eo ordine, quem vidimus in capite præcedenti, disponuntur, dicitur syllogismus *formatus :* qui et *scholasticus* apte dici potest, quia Scholastici eo potissimum usi sunt ad veritatem pressius indagandam et facilius inveniendam. — Quod si syllogismus non exhibeat formam dialecticam, sed eam implicite contineat (continere autem debet ut concludat), dicitur *oratorius*, quia oratores, qui non solum veritatem, sed et orationis leporem et ornatum ad persuadendum quærere etiam debent, eum adhibent. Ex. : *Cum ethnice vivas, sperare non potes eam salutem, quæ solis christiane viventibus est a Deo promissa.* Syllogismus

nius introspiciendam. Hæc verba Leibniz (*Nouveaux essais*, I, IV, cap. XVI) semper meminisse juvabit : — « Je tiens que l'invention de la forme des syllogismes est une des plus belles de l'esprit humain et même des plus considérables. C'est une espèce de mathématique universelle, donc l'importance n'est pas assez reconnue, et l'on peut dire qu'un art d'infaillibilité y est renfermé ».

iste oratorius continet syllogismum scholasticum : *Qui ethnice vivit, sperare non potest*, etc.; *atqui tu ethnice vivis; ergo sperare non potes*, etc.

II. Syllogismus simplex et syllogismus compositus. Syllogismus simplex ille est, cujus præmissæ sunt duæ simplices propositiones (23, I). Ex. : *Summum bonum est summe amandum; sed Deus est summum bonum; ergo Deus est summe amandus.*

Syllogismi compositi duplex genus distinguitur a dialecticis. Unum est, *cujus una propositio præmissarum composita est, atque insuper una ejus pars conclusionem comprehendit, et altera pars causam logicam ipsius conclusionis assignat.* Alterum vero est, *cujus una vel utraque* præmissa *est propositio composita, vel quod pluribus syllogismis simplicibus constat.* De prima specie syllogismi compositi dicam in præsenti articulo; de altero vero in sequenti.

III. Species syllogismi primo modo compositi. Syllogismi autem compositi primo modo tres species assignari solent, scilicet *conditionalis*, *disjunctivus*, *conjunctivus.* Revera enim in hujusmodi propositionibus compositis solummodo verificatur quod una earum pars conclusionem contineat, et altera ejusdem conclusionis causam assignet, ut ex mox dicendis liquido apparebit.

IV. Syllogismi conditionalis notio. Syllogismus conditionalis ille est, cujus *major* est propositio conditionalis, ac proinde *minor* est affirmatio *conditionis* vel negatio *conditionati*, et *conclusio* est vel affirmatio *conditionati*, vi affirmatæ conditionis in *minori*, vel negatio *conditionis*, vi negati *conditionati* in ipsa minori. — Istis enim syllogismis canones applicantur quos dedimus pro enuntiationibus conditionalibus (24, II). Ex. : *Si Petrus currit, Petrus movetur; atqui Petrus currit; ergo Petrus movetur...*; vel, *atqui Petrus non movetur; ergo non currit.*

Syllogismus conditionalis nullo negotio ad *categoricum* seu *absolutum* revocatur (*ib.*, I). Exemplum siquidem allatum æquivalet isti syllogismo : *Omne quod currit movetur; sed Petrus currit; ergo Petrus movetur.* Ac per hoc etiam ostenditur quid sit faciendum ut hæc reductio obtineatur; nam, ut in exemplo videre est, *major* habet pro subjecto *prædicatum* conditionis *(currit)* affectum signo universali, et ejus prædicatum est prædicatum conditionati, nempe *movetur.* — *Minor* vero permanet immutata in ipsa reductione. Qua in reductione statim etiam dignoscitur veritas syllogismi con-

ditionalis : namque si in conversione *major* universalis resultat *necessario* vera, vera erit *conditionalis;* si falsa, et ipsa *conditionalis* falsa erit.

V. Syllogismus disjunctivus. Syllogismus disjunctivus ille est, cujus *major* est propositio disjunctiva (24, III), *minor* affirmatio vel negatio unius vel plurium membrorum, quæ in *majori* dicuntur debere *disjunctive* subjecto convenire; *conclusio* negatio vel affirmatio membrorum quæ supersunt ex affirmatione vel negatione *minoris.* — Sequitur canones, quos statuimus cum sermo erat de propositionibus disjunctivis *(ib.).* Vide etiam ibidem exempla adducta.

Syllogismus disjunctivus ad conditionalem, ut diximus de propositione disjunctiva (*ib.*, III, seq.), reducitur : qua reductione deprehenditur utrum membra enumerata in majori sint completa. — Reducitur etiam immediate ad syllogismum simplicem hoc modo. Assumitur pro *subjecto* propositionis *majoris* subjectum aliquod universale quod conjungitur cum uno ex membris disjunctionis; et loco *prædicati* ponuntur alia membra in sensu opposito. *Minor* non mutatur. Sit syllogismus disjunctivus : *X aut est A, aut B, aut C,* etc.; *atqui X est C; ergo X non est A, non est B,* etc. Reduco hunc syllogismum disjunctivum ad simplicem cum hac immutatione : *Omne quod est C non est A, non est B,* etc.; *atqui X est C; ergo X non est A, neque B,* etc.

VI. Syllogismus conjunctivus. Syllogismus conjunctivus est ille, cujus *major* est propositio conjunctiva; *minor* affirmatio unius membri; *conclusio* negatio membri oppositi. — Vide quæ de propositione conjunctiva dicta sunt (24, VI), et de ejus reductione ad conditionalem.

Dixi quod *minor* est *affirmatio* unius membri, et conclusio *negatio* membri oppositi : nam in syllogismis conjunctivis : 1° ex affirmato uno membro valet illatio ad negationem alterius: at 2° ex negato uno membro non valet consequentia ad affirmationem alterius membri, nisi 3° membra ipsa *contradictorie* opponantur. Sint exempla juxta triplicem hanc regulam :

1° *Nemo potest servire Deo et divitiis;*
Atqui Petrus servit divitiis;
Ergo Petrus non servit Deo : (verus).

2° *Nemo potest servire Deo et divitiis;*
Atqui Petrus non servit divitiis;

Ergo Petrus servit Deo : (falsus : potest enim aliis cupiditatibus servire).

3° *Nihil, potest esse simul substantia et accidens;*
Sed anima humana non est accidens;
Ergo anima humana est substantia. (Legitima conclusio : quia inter substantiam et accidens non datur medium (6, IV), quia contradictorie opponuntur.)

ARTICULUS SECUNDUS

(37)

De reliquis syllogismi speciebus.

I. Reliquae syllogismi species. Aliæ syllogismi species, quæ communiter in scholis recensentur, sunt, *Enthymema, Epicherema, Dilemma, Sorites* et *Polysyllogismus.* De his singulatim dicam in præsenti articulo.

II. Enthymema. Enthymema est syllogismus, *cujus una præmissarum,* studio brevitatis, *reticetur, eo quod de facili ab omnibus subintelligitur.* Ut si dicerem : *Anima humana est substantia essentialiter spiritualis; Ergo est immortalis.* In hoc syllogismo reticetur *major;* nempe, *Omnis substantia essentialiter spiritualis est immortalis.* — Aliquando etiam integer syllogismus unica propositione enuntiatur, quæ ideo dicitur *sententia enthymematica;* ut si dicatur : *Justus Deus scelera ulciscitur.* In hac unica propositione enuntiatur *major,* scilicet, *justus scelera ulciscitur,* et *minor,* videlicet, *Deus est justus,* et conclusio, nempe, *Deus scelera ulciscitur.* — Unusquisque per se videt enthymema esse syllogismum simplicem, quamvis apparenter mutilatum, ac propterea regulis simplicis syllogismi absolute esse subjectum. — Propositio autem subintellecta ex conclusione de facili deprehenditur. In conclusione enim *extrema* comparantur inter se, quia in præmissis seorsim comparata sunt cum medio. Ergo propositio subintellecta in *antecedente* est illa in qua *extremum* conclusionis non est comparatum cum medio. Sicut in primo syllogismo, major subintellecta est : *Substantia essentialiter spiritualis est immortalis.*

A dialecticis, post Aristotelem et S. Thomam (I. *Poster. Analytic.,* lect. I, n. 12), enthymema strictius etiam sumitur

ut argumentatio differens a syllogismo non solum ratione formæ, sed etiam ratione *materiæ præmissarum*, quatenus nempe enthymema *a verisimilibus et signis*, non vero a principiis universalibus ac certis conclusionem elicit. De qua re consuli potest Sanseverino, *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata, Logic.*, P. I, Cap. III. Art. II, n. 146.

III. Epicherema. Epicherema est syllogismus, *cujus una vel utraque præmissa est propositio causalis.* Ex. :

Omne ens simplex est per se incorruptibile, — quia non habet partes in quas resolvi possit;
Atqui anima humana est ens simplex;
Ergo anima humana est per se incorruptibilis.

Notandum 1°, quod ratio adjuncta afficit propositionem, non vero *formam* syllogismi, ut talis est; 2° ergo ut bonitas Epicherematis dignoscatur, sumendæ sunt propositiones separatim a *causalibus*, et hoc modo comparandæ cum legibus simplicis syllogismi; 3° propositio tamen causalis in se continet integrum syllogismum; sicut in Epicheremate allato, *major* continet hunc syllogismum :

Quod in partes resolvi nequit, est per se incorruptibile;
Atqui ens simplex in partes resolvi nequit;
Ergo ens simplex est per se incorruptibile.

IV. Dilemma. Dilemma est *syllogismus, in quo præmissæ disjunctivæ utraque pars subsumitur atque ad propositum concludendum adhibetur.* Dicitur autem *trilemma*, si *major* disjunctiva habeat tria membra, *quadrilemma*, si quatuor membra, etc. — Exemplum dilemmatis habes in illa vulgatissima argumentatione Tertulliani contra Imperatorem Trajanum, qui lege sanciverat ne christiani inquirerentur, sed delati tamen pœna a judice mulctarentur. Hoc dilemmate Imperatorem perstringit Tertullianus :

Aut nocentes sunt Christiani, aut innocentes;
Si nocentes, cur inquiri prohibes?
Si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?

Conclusio generalis emergens ex assumpto utroque membro est : *Ergo leges latæ aut stultæ sunt aut iniquæ.* Al-

terum exemplum habes in verbis Christi Domini ad illum qui eum percusserat, quia Pontifici interroganti responderat :

Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo;
Si autem bene, quid me cædis? (JOANN., XVIII. 23.)

Conclusio generalis est : *Ergo injuste me percussisti.*

Nota quod quamvis *dilemma* præmissam disjunctivam habeat, tamen a syllogismo disjunctivo omnino distinguitur. Etenim conclusio disjunctivi syllogismi est affirmatio vel negatio unius vel plurium membrorum disjunctivæ præmissæ, ut dictum est (36, V); at contra in Dilemmate assumuntur omnia membra disjunctionis, et primo infertur illatio quædam immediata *(cur inquiri prohibes, cur delatis pœnam irrogas?)*, et insuper aut tacite aut expresse conclusio generalis.

V. **Leges dilemmatis.** Dilemma est argumentatio energica in sua forma, et terribilis contra adversarium : quia iste quocumque se vertat vulneratur : qua de causa S. Hieronymus, in Epistola ad Oceanum, dilemma vocat *cornutum syllogismum;* sed, hac de causa, hisce severioribus regulis ut subjiciatur necesse est.

REGULA PRIMA. *Membra propositionis disjunctivæ sint complete enumerata.* Hæc enim est lex disjunctivæ propositionis, quæ in dilemmate ut principium assumitur. Contra hanc regulam peccat sequens dilemma, quod morienti Socrati tribuitur :

Aut animus simul cum corpore perit, aut ipsi feliciter supervivit;
Si primum, nullus dolor est timendus;
Si secundum, animus vivet vitam feliciorem;
Ergo mors nulla ratione est timenda.

Falsa argumentatio, quia inter mortem animi et beatam vitam datur demigratio ad æterna supplicia.

SECUNDA REGULA. *Dilemma ita concludat, ut non possit ejus conclusio contra auctorem retorqueri :* quod esset procul dubio maximum inconveniens. Contra hanc legem peccat sequens dilemma, quod, teste Aristotele, cuidam objiciebatur, ut abstineretur a regimine reipublicæ suscipiendo :

Aut bene aut male rempublicam administrabis;
Si male, displicebis Deo;

Si bene, displicebis hominibus;
Igitur regimen reipublicæ non est suscipiendum.

Adversarius in auctorem ipsum retorsit dilemma hoc modo :

Aut bene aut male rempublicam administrabo;
Si male, placebo hominibus;
Si bene, placebo Deo;
Ergo regimen reipublicæ est suscipiendum.

Tertia regula. *Quod infertur separatim ex singulis membris sit cum ipsis necessario connexum.* Ponuntur enim propositiones conditionales, quæ, ut dictum est (24, II), veritatem non habent nisi necessario inferant conditionatum. Præterea, *conclusio generalis sit connexa cum singulis conclusionibus illatis ex membris reassumptis disjunctivæ propositionis.* Unde etiam ex hoc capite peccat ultimum dilemma : non enim suscipiendum esset regimen reipublicæ ad complacendum hominibus cum Dei offensa. Plura de dilemmate habet Auctor *De arte cogitandi*, P. III. Cap. XVI.

VI. De dilemmate complexo. Aliquando membra dilemmatis in alia membra subdividuntur, ut nullum effugium, nulla tergiversatio pateat adversario. Hoc est dilemma complexum, cujus exemplum ex Gellio refert Jacobus Facciolati in suis *Rudimentis Logicæ*, P. III. Cap. II. Est contra magicarum artium sectatores : — « Genethliaci, aut adversa ventura dicunt aut prospera : si dicunt prospera, et fallunt, miser fies frustra expectando; si adversa dicunt et mentiuntur, miser fies frustra timendo. Si vera respondent, eaque non sunt prospera, jam inde animo miser fies, antequam fato fias : si felicia promittunt, eaque ventura sunt, tum plane duo erunt incommoda; et expectatio te spei suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. » — Adduxi hoc exemplum ut facto ipso ostenderem naturam dilemmatis complexi : nam quoad veritatem multa in ipso desiderantur, ut ex legibus traditis facillime deprehenditur.

VII. Sorites. Sorites est *syllogismus constans pluribus propositionibus ita connexis, ut prædicatum præcedentis fiat subjectum sequentis, donec subjectum primæ propositionis*

et prædicatum ultimæ componant conclusionem totius syllogismi. Præclarum Soritis exemplum habemus in libro *Sapientiæ*, Cap. VI, v. 18 et seqq. :

Initium... illius (sapientiæ), *verissima est disciplinæ concupiscentia.*
Cura ergo disciplinæ, dilectio est;
Et dilectio, custodia legum illius est;

Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est;
Incorruptio autem facit esse proximum Deo;
Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

VIII. Leges Soritis. Sorites legitima est argumentatio et ad certam conclusionem deducit, ut in exemplo adducto videre est; sed quia multa congerit (unde *acervalis* a Tullio dictus est), exinde subrepere error potest, quin animadvertatur. Unde Julianus Jurisconsultus, *de Reg. jur.* Leg. LXV. hæc habet : « Ea est natura cavillationis quam Græci σωρείτην appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur. » Hoc autem scomma, quod sophistis vehementer arridet, ut vitetur, attendendum est ad sequentes leges.

Prima regula. *Omnes et singulæ propositiones sint veræ.* Ex congerie enim illarum conclusio deducitur; quocirca si vel una propositio falsa est, falsa necessario erit conclusio.

Secunda regula. *Termini qui soritem ingrediuntur eamdem omnino, cum repetuntur, retineant suppositionem.* — Ex hoc capite præcipue moliuntur sophistæ propria sophismata venditare : variant enim suppositionem terminorum, sed ita caute ut illa variatio non facile animadvertatur, ac proinde ad evidenter falsa concedenda incautos deducunt.

Tertia regula. *Sorites in syllogismos simplices resolvatur, binis propositionibus subjungendo statim immediatam illationem.* Hac ratione error, si quis est, statim detegitur. — Ex quo simul intelligitur Soritem regi legibus simplicis syllogismi.

IX. De polysyllogismo. *Polysyllogismus* est *argumentatio, in qua plures syllogismi inter se ita connectuntur ut prioris syllogismi* conclusio *fiat* præmissa *syllogismi sequentis.* Ex. :

Substantia cogitans est spiritualis;
Sed anima humana est substantia cogitans;
Ergo anima humana est substantia spiritualis.
Sed substantia spiritualis est immortalis;
Ergo anima humana est immortalis.

Nihil speciale de polysyllogismo est dicendum : in ipso enim exhibentur syllogismi integri, quorum bonitatem expendimus, leges simplicis syllogismi applicando.

CAPUT TERTIUM.

DE INDUCTIONE

Prologus. Ratiocinium, prout ab universalioribus ad particularia judicia formanda descendit, *syllogismus* dicitur; prout vero a particularibus ad universalia judicia ascendit *inductio* vocatur, ut in primo articulo hujus tertii libri notavimus. Peracto igitur tractatu de *ratiocinio* ut est syllogismus, nunc dicendum est de ipso ratiocinio, ut *inductionis* formam induit. De qua duo declarabimus : 1° *naturam et species;* 2° *leges* quibus ordinari debet.

ARTICULUS PRIMUS

(38)

De natura et speciebus inductionis.

I. Inductionis notio. *Inductionis* nomine significatur *argumentatio, in qua de tota specie vel de toto genere concluditur quod affirmatur vel negatur de singulis individuis vel singulis speciebus.* Unde inductio ex opposito syllogismi omnino procedit : hic enim a *dicto de omni* vel *dicto de nullo* procedit ad concludendum de particularibus subjectis : unde dicitur argumentatio *deductiva;* contra *inductio* a particularibus subjectis ad concludendum *de omni* vel *de nullo* sese attollit : unde dicitur argumentatio *inductiva.*

II. Inductio proprie argumentativa. Inductione, ut patet, mens transitum facit a cognitione *singularium* ad cognitionem *universalis,* quod in singularibus ipsis reperitur. At non omnis men-

tis transitus a singulari ad universale inductio argumentativa, de qua impræsentiarum nobis unice sermo esse debet, dici potest. Ita vi abstractionis in re singulari mens colligit ideam universalem; et non raro accidit ut ad declarandum aliquod principium analyticum sensibilia exempla discipulis proponamus, ut in illis quodammodo inspiciant principium universale quod eorum menti et explicare et infigere studemus. Imo postquam a principiis universalioribus aliquam particularem conclusionem deduximus, iterum quasi sensu inverso eamdem conclusionem resolvimus per analysim in sua principia, ita ut quæ fuerunt initium descensus syllogistici fiant terminus ascensus analytici, ut notat S. Thomas, Qq. Disp. *De veritate*, Qu. XV. *De ratione superiori et inferiori*, Artic. I. — In hisce omnibus mentis nostræ quasi motibus habetur utique quædam inductionis species, at non illa quam numero primo definivimus, et de qua modo agimus.

III. **Experientia, observatio, experimentum.** Singularia a quibus movemus ad inferendum per inductionem argumentativam *universale*, cognoscuntur *experientia*. Est autem *experientia, cognitio ope sensuum vel conscientiæ habita :* et dicitur *externa*, si ope sensuum externorum acquiritur et circa objecta sensibilia nobis extranea versatur; *interna*, si ope *sensus interni* seu *conscientiæ* habetur et facta animi nostri rimatur. Utraque dividitur in *observationem* et *experimentum*. — *Observatio* est attentio præstita facto quod sponte se nobis exhibet et est a nostra industria independens. — *Experimentum* est attentio præstita factis quæ nostra nobis industria procuramus. — Hinc dicimus *observationes* astronomicas, et physica *experimenta*.

IV. **Inductio Socratica et Rhetorica.** Hæc inductionis divisio non est nisi ex modo argumentandi. Etenim inductio *Socratica*, sic dicta a schola hujus nominis, quæ hac forma disputandi potissimum utebatur, est illa quæ per interrogationes et responsiones procedit. *Rhetorica* vero inductio illa dicitur, quæ generatim præfatis interrogationibus et responsionibus non utitur. Velim probare ad regimen reipublicæ assumendos non esse nobiles, ut nobiles sunt, sed peritos : et sic procedo socratice : « Cithara daturne pulsanda nobili viro, an perito citharædo? Perito citharædo. Clavus daturne gubernandus nobili viro, an perito nauclero? Perito nauclero. Valetudo committiturne curanda nobili viro, an perito medico? Perito medico. Ergo etiam ad reipublicæ regimen ad-

mittendi sunt, non viri nobiles, sed regendi periti. » — Tolle responsiones, et habebis exemplum inductionis oratoriæ.

V. Inductio completa et incompleta. Singularia insuper quæ experientia dignoscuntur, aut *omnia* tum quoad *locum* tum quoad *tempus* sunt enumerata eademque constanter reperta, atque exinde lege quadam gubernari concluditur; et habetur inductio *completa*. Aut non omnia experimur, sed plura eademque variata, secundum quod nobis possibile est; et habetur inductio *incompleta :* quæ correspondet argumentationi, quam veteres *analogiam* vocabant. — Anatomicus qui omnes partes corporis humani tum separatim tum in ordine ad totum examinat, inductione completa uti conatur ad leges universales et constantes organismi ejusdem corporis stabiliendas; at *physicus* nonnisi inductione incompleta seu analogia utitur ad corporei mundi phænomenorum leges definiendas (1).

VI. Processus inductivus. Interest plurimum ut natura processus inductionis plene atque perfecte dignoscatur, ne plus æquo exaggeremus hanc formam argumentationis (ut Baconi a Verulamio accidit, pluribusque aliis post ipsum), sed eam intra debitos limites, quoad conclusiones inferendas, contineamus. Porro naturam inductionis veræ, graphice, ut mihi videtur, post Aristotelem, describit S. Thomas, lect. XX in lib. II. *Posteriorum Analyticorum;* cujus verba hic transcribo. « Ex *sensu* fit *memoria*, in illis scilicet animalibus, in quibus remanet impressio sensibilis, sicut supra dictum est. Ex memoria autem multoties facta circa eamdem rem, in diversis tamen singularibus, fit *experimentum :* quia experimentum nihil aliud esse videtur, quam accipere aliquid ex multis in memoria retentis. Sed tamen experimentum indiget aliqua ratiocinatione circa particularia, per quam confertur unum ad aliud, quod est proprium rationis. Puta, cum aliquis recordatur quod talis herba multoties sanavit multos a febre, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa

(1) De valore inductionis completæ in philosophia, Cf. MERCIER. *Logique* p. 324. — De inductione incompleta is experimentalibus infra, ubi de methodo experimentali. Fundamentum autem hujus processus inductivi est sequens : *Natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur.* Quando vero multa facta congeruntur cum eorum relativa frequentia et reincidentia absque eo quod cognoscatur nexus causalis et finalis inter illa habetur *Statistica;* quæ ab inductione differt in hoc quod inductio ex repetitis effectibus ad leges generales seu causas assurgit, dum statistica in effectuum enumeratione sistit. Cf. MERCIER, *Logique*, n. 157.

febris. Ratio autem non sistit in experimento particularium, sed ex multis particularibus in quibus expertus est, accipit unum commune quod firmatur in anima, et considerat illud absque consideratione alicujus singularium, et *hoc commune accipit ut principium artis et scientiæ*. Puta quamdiu medicus consideravit hanc herbam sanasse Socratem febrientem, et Platonem, et multos alios singulares homines, est experimentum; cum autem sua consideratio ad hoc ascendit, quod *talis species herbæ sanat febrientem simpliciter*, hoc accipitur ut quædam regula artis medicinæ. » Eadem fusius Angelicus exponit, Lect. I. in I. *Metaphysicorum* Aristotelis. — Hæc præ mente habenda sunt : præcipue quia ex hisce verissimis animadversionibus S. Thomæ, facto ipso confirmatis, leges deduci debent processus inductivi, ut in sequenti articulo videbimus (1).

VII. Inductionis vis nulla est sine syllogismo. Baco a Verulamio tum in libro quem inscripsit, *De augmento scientiarum*, tum in alio quem *Novum organum* appellavit, diris devovit syllogismum, et in scientiis utendum esse dixit *inductione*. Porro *inductio baconiana* non est inductio positiva communiter accepta, et quam in præcedentibus numeris declaravimus, sed est *inductio negativa*, seu *exclusiva*, consistens in negandis gradatim proprietatibus determinatis de aliquo subjecto, ut concludatur ipsi subjecto aliquam aliam determinatam proprietatem convenire, eo ferme modo quem observandum diximus in syllogismis disjunctivis. Ita cum conamur assurgere ad cognitionem divinæ naturæ, frequenter utimur via negationis, dicendo Deum *non esse corpus, non esse compositum, non esse finitum*, etc., per quas negationes puriores fiunt cognitiones nostræ circa Deum.

Vix dici potest quot plausibus excepta fuerit hæc doctrina Baconis, quem veluti novæ scientiæ pontificem nonnulli sunt venerati, illi præsertim qui, Scholasticis infensi, occasionem omnem

(1) His verbis S. Thomæ ab auctore relatis jam patet inductionem scientificam Angelico ignotam non fuisse. Sed insufficientia mediorum quibus pro suo tempore instructus erat ad investigandam naturam et leges determinandas, non omnia ad perfectionis apicem adducere potuit. Theorias vero physicas et astronomicas coævas non certas omnino et demonstratas habuit, quinimmo futuras solutiones divinatione quadam prævidit. Veteres « sunt cum excusatione audiendi. Nulla res consummata est dum incipit; nova enim erant omnia primo tentantibus ». (Seneca, *Quæst. Natur.*, VI, 5). Cf. Præf. vol. 3o. Opera omnia S. Thomæ. — Leon. Edit.

libenti animo arripiebant maledicendi Scholæ. — Sed manifesta injuria. Nam inductione Scholastici omnes usi sunt, maxime vero S. Thomas, ut probe sciunt qui vel unum articulum *Summæ Theologicæ* legerint, præsertim ex tractatu *de homine*. Sed inductio, ubi syllogismus ipsi non opituletur, nullum scientificum exitum habere potest. Et revera. Per *inductionem*, legem aliquam generalem deducimus; at quo jure hanc scientificam deductionem mens facit? In assignando hoc jure tota nititur vis argumenti inductivi. Age vero : aut inductio completa est, aut incompleta. Si est completa, manifestum est ipsam in syllogismum resolvi; ut si dicerem : *Planeta A, planeta B, planeta C, etc., sunt omnes planetæ hactenus cogniti; sed hi omnes accipiunt lucem a sole; ergo omnes planetæ hactenus cogniti accipiunt lucem a sole.* Si vero est incompleta, non potest mens proprietatem quamdam in quibusdam individuis observatam omnibus et singulis individuis etiam non observatis certo tribuere, nisi vi cujusdam principii abstracti, quod jus præbeat ipsi menti universalizandi id quod per observationem et experientiam universale non est, sed singulare et proprium rerum expertarum. Secus conclusio illata latius pateret quam præmissæ inductionis; quod in quacumque argumentatione plane est illicitum. Hoc autem principium manifeste est : *eædem causæ physicæ eosdem constanter producunt effectus :* seu quod idem est : *leges naturæ sunt constantes.* Unde, quando ab expertis effectibus singularium causarum concluditur quod ceteræ causæ neque expertæ neque observatæ eosdem producunt effectus, concluditur vi hujus syllogismi : *Eædem causæ physicæ eosdem constanter producunt effectus; atqui singularia non experta neque observata sunt causæ ejusdem naturæ cum expertis et observatis; ergo et ipsa eosdem producunt effectus.* Vel : *Effectus constans rerum individuarum subaudit in ipsis legem constantem et independentem ab earum individuatione; atqui effectus in rebus expertis est constans; ergo supponit in ipsis legem constantem independentem ab earum individuatione, seu quæ in omnibus et singulis ejusdem naturæ individuis æque debet verificari.* — Hac ratiocinatione valent omnes conclusiones scientificæ, seu universales, quas inferimus ex rebus experimentalibus. Unde absurdum est, simulque ridiculum tantopere extollere *inductionem* contra *syllogismum*, cum inductionis nullum sit robur sine syllogismo.

Quæ omnia circa inductionem in genere dicta, multo magis animadverti possunt in methodum baconianam. Esto enim quod aliquando methodo exclusiva mens nostra procedat ad determinandam, quantum fieri potest, ideam alicujus rei, ut de no-

tione circa Dei naturam innuimus; id tamen semper fieri debere concludi non potest. Adde quod ut supra indicavimus, tota inductio baconiana syllogismo disjunctivo nititur, qui ad syllogismum simplicem reducitur, ut suo loco dictum est, Ergo extollere inductionem baconianam et simul syllogismum scholasticum reprobare, est manifesta contradictio, quam incurrere sine dedecore philosophus non potest. — Comes Josephus De Maistre, in suo opere quod gallico idiomate scripsit *(Examen de la philosophie de Bacon)*, fuse disserit de inductione baconiana, eamque omni argumentorum genere improbat. Novissime contra methodum Baconis scripsit etiam A. Vera tum in opusculo, *Ricerche sulla scienza speculativa e sperimentale*, tum in suis *Mélanges philosophiques*.

ARTICULUS SECUNDUS

(39)

De legibus inductionis.

I. Leges inductionis completæ. Distinximus inductionem in completam et in incompletam; unde utriusque leges sunt determinandæ. Sint igitur primo regulæ inductionis completæ.

Prima regula. Omnia et singula inferiora, nullo excepto, debent numerari et observari, ut jus habeatur concludendi judicium universale. Patet : hoc enim est in natura completæ inductionis. Unde recte ratiocinarer hoc modo : *Visus, auditus, olfactus, gustus et tactus aliquando nobis sunt erroris occasio. Ergo omnes sensus externi aliquando nobis sunt occasio errandi.* At nullum jus haberem inferendi hanc conclusionem, si unius solummodo sensus externi relatio non fuerit unquam errandi occasio.

Secunda regula. In omni inductione completa quidquid dicitur de individuis sive singillatim sive collectim sumptis, dici debet de universali, quod ab ipsis concluditur, et vice versa. — Quod principium est quasi *medium* inductionis completæ. — Et revera, quidquid concludo de occasione errandi in auditu, vel olfactu, vel in quinque sensibus externis, concludo pariter de sensu externo in genere; et vice versa, quidquid postea dico de sensu externo in genere, dico de peculiaribus sensibus externis.

II. Leges inductionis incompletæ. Leges inductionis incompletæ ad sequentes reduci queunt.

PRIMA LEX. Diligens adhibenda est experientia, a qua inductio exordium sumit; et attenta, repetita sæpius atque scrupulosa factorum observatio. — Si enim experientia desit, perit inductionis fundamentum, sicut si syllogismo deessent principia universalia; si desit attenta observatio, non scientifica, sed temeraria prorsus haberetur inductio : sicut revera accidit quibusdam physiologis nostræ ætatis, qui ex levi quadam similitudine perspecta inter homines et simias, primos ex secundis aut derivari, aut saltem illas nonnisi accidentali quadam perfectione excedere, pueriliter et absurde conclamant.

SECUNDA LEX. Facta, quæ singillatim considerantur, per experimenta aut observationes varianda sunt, ut non ex fortuita et accidentali quadam circumstantia, sed ex individuorum natura uniformiter et constanter profluere inveniantur, atque hoc pacto jus habeatur inferendi legem universalem communem etiam similibus rebus non observatis neque expertis. — Contra hanc regulam peccant, inter alios, *physiognomici* et *pathognomici*, qui vel ex systemate osseo corporis humani, vel ex ejusdem corporis mollibus partibus, putant deprehendi posse aut peculiares inclinationes et facultates quas ex nativitate homo contrahit *(physiognomici)*, aut passiones et habitus quæ homo ipse voluntate sua contraxit *(pathognomici)*. Hi enim facta quædam in medium afferunt, sæpe non severa analysi rationis, sed imaginationis vivacitate apprehensa; et exinde, ut Lavater hujus systematis facile parens (1741-1801) facit, principium universale inferunt, non considerando quod factis (si tamen facta sunt) facta alia opponuntur, quæ impediunt quominus leges illæ universales statuantur.

CAPUT QUARTUM.

DE SYLLOGISMO IN ORDINE AD MATERIAM

Prologus. Consideravimus hucusque ratiocinationem quoad suam *formalitatem* tantum, seu ut est quoddam mentis nostræ opus, quo ex principiis legitime possit inferri conclusio, quin tamen de *materiali* veritate ipsarum præmissarum aliquid attingeremus. Hoc tamen Logicæ est investigare et determinare, ut mens nostra dirigenda per ipsam Logicam in

cognitionem veritatis, nedum sciat qua ratione sit formandus syllogismus, sed etiam valorem præmissarum cognoscat, ut et de valore conclusionis dijudicare valeat. Juxta igitur ordinem præfixum in prologo ad hunc tertium Dialecticæ librum, de *syllogismo in ordinem ad materiam* in hac secunda ejusdem libri Sectione agere suscipimus. Quod argumentum ut omnibus numeris absolutum evadat, tria singillatim declarare oportet : 1° *de syllogismo demonstrativo;* — 2° *de syllogismo probabili;* — 3° *de syllogismo sophistico.* Namque mens aut veritatem certo, hoc est sine ulla errandi formidine tenet; aut eam non perfecte sed probabiliter ratiocinando consequitur; aut denique errorem pro veritate amplectitur. At tribus hisce articulis præmittimus alium circa diversos mentis status respectu consequendæ veritatis : id enim præcognoscere necesse est, ut natura hujus tractatus plene intelligatur.

ARTICULUS PRIMUS

(40)

De diversis mentis statibus respectu veritatis.

I. Quid sit veritatem consequi. Ex communi hominum sensu, tunc dicitur aliquis aut veritatem aut falsitatem proferre, cum res, de quibus ipse loquitur, sunt vel non sunt, sicut ipse dicit, ut alibi explicavimus cum sancto Thoma (21, VII). Unde veritas mentalis, de qua modo exclusive loquimur, et quæ proinde *logica* etiam dicitur, consistit in *adæquatione seu conformitate inter id quod de re mens dicit et id quod res ipsa est in se*, seu, ut veteres cum sancto Thoma aiebant : *Veritas logica est adæquatio intellectus cum re intellecta.* Ab hac definitione veritatis logicæ, utpote quæ et clara est, et a sensu communi hominum dictata, non est recedendum (1).

(1) Hæc notio licet a pluribus rejicienda existimetur vel mutanda, tamen dummodo recte intelligatur, vera et sapiens est. Nam experientia vitali intellectiva scimus veritatem logicam nihil aliud esse quam conceptum intellectualem prout in repræsentando est adæquans, conformis, licet non absolutæ, rei intellectæ. Veritati opponitur falsitas, quæ definiri potest : — Quædam dissonantia rei et intellectus, inter rem in se et judicium quod intellectus de re ipsa profert. Sicut si dicerem S. Thomam non esse italum. — Cf. Lepidi, vol. I, p. 94.

II. **Certitudinis notio.** Nomine certitudinis abstracte sumptæ intelligitur, *firmitas adhæsionis seu assensus mentis alicui cognoscibili sine ulla errandi formidine* (19, II). Etenim veritatem logicam tunc a nobis haberi dictum est, cum res ita revera se habet, sicut eam nos esse dicimus. Atqui sæpe accidit ut ita teneamus rem se habere sicut eam dicimus esse, ut aliter ipsam aut esse aut esse posse negemus omnino; sicut accidit in judiciis præsertim analyticis, et in his quæ tum sensu intimo tum sensatione externa percipiuntur. Status iste mentis nostræ vocatur *certitudo*.

III. **Certitudo subjectiva, et certitudo objectiva; immediata et mediata; metaphysica, physica et moralis.** Hic ad majorem rei claritatem damus divisiones certitudinis. — Certitudo in se sumpta est quid subjectivum, hoc est in mente existens et mentis affectio : est enim firma mentis adhæsio alicui cognoscibili, ut hic supra dictum est. Attamen usu venit apud philosophos, ut, præter certitudinem subjectivam, distingueretur etiam certitudo objectiva, quæ nihil aliud est quam, *objectum ipsum intelligibile menti præsens, et ad se trahens firmum mentis assensum.* Ex quo manifestum est certitudinem objectivam esse causam certitudinis subjectivæ, et hanc secundam veram non esse sed fucatam, nisi prima adsit (1). — Insuper, certitudo alia est *immediata*, alia *mediata*, secundum quod judicium mentis aut *immediatum* est aut *mediatum* : de quibus judiciis alibi dictum est (19, III, IV). — Denique, ut alibi pariter explicavimus (22, IV), nexus inter prædicatum et subjectum aut ex ipsa idearum natura pendet, aut ex naturæ physicæ legibus, aut ex hominum moribus; unde judicia *metaphysica*, vel *physica* vel *moralia*. Quia vero certitudo ex natura ipsa judicii pendet, hinc alia dicenda est certitudo *metaphysica*, alia *physica* alia *moralis*.

(1) Cum certitudo status sit mentis, videtur dividi perperam in subjectivam et objectivam. In omni enim certitudinis differentia debet reperiri quod est de genere eius, nempe quod sit *status mentis*. Status autem mentis semper est quid subjectivum; nulla igitur certitudo objectiva, nisi forsan quatenus est in causa, seu analogice, ut habet P. Hugon, vol. I, p. 258. — Certitudo haberi potest per deductionem et inductionem, quæ sunt duæ species ratiocinii, seu mediatæ cognitionis. In utroque processu tres termini : in deductivo primum probatur de tertio per medium; in inductivo prius probatur de secundo per tertium.

IV. De gradibus certitudinis. Solent hic philosophi quæstionem movere, utrum certitudo gradus admittat, seu utrum una certitudo alia major esse possit : cujus quidem quæstionis, meo judicio, facilis est solutio, si in certitudine distinguamus illud quod in ipsa est *positivum*, nempe *firmitatem assensus mentis*, ab eo quod est, ut ita dicam, *negativum*, scilicet *exclusio formidinis errandi*. — Certum est cuilibet certitudini communem esse assensum cum exclusione formidinis errandi, quam quidem formidinem si quælibet certitudo non totaliter excludat, certitudo nulla ratione est; consequenter ex parte *negativa* una certitudo non est altera major. — At respectu positivi seu *assensus*, nihil officit quominus unus altero sit *intensior*, ac proinde una certitudo sit major quam alia. Et revera quis non sentiat proprium intellectum magis ferri atque quodammodo subjici quibusdam judiciis quam aliis, ut puta judiciis *immediatis* quam *mediatis*, iis quæ aut sensibus externis aut conscientia experimur, quam iis quæ a personis etiam fide dignissimis referuntur? Quod quidem factum probatur ratione metaphysica, quam affert sanctus Thomas, *Qq. Disp.* De Virtutibus, Qu. II. *De charitate*, Artic. IX. ad 1 : « Objectum fidei est verum, unde secundum quod contingit esse aliquid magis verum, sic etiam contingit aliquid magis credere. Cum autem veritas consistat in adæquatione intellectus et rei; si consideretur veritas secundum rationem *æqualitatis*, quæ non recipit magis et minus, sic non contingit esse aliquid magis et minus verum; sed si consideretur ipsum *esse* rei, quod est ratio veritatis, sicut dicitur in II. *Metaphysicorum*, eadem est dispositio rerum in esse et veritate. Unde quæ sunt magis entia, sunt magis vera. Et propter hoc etiam in scientiis demonstrativis magis creduntur principia quam conclusiones. » — Hinc sequitur certitudinem *metaphysicam*, hoc sensu, potiorem esse certitudine exclusive *physica*, et hanc certitudine exclusive *morali* (cf. P. I. Qu. LXXXV. Artic. VII).

V. Ignorantia. Omnes quotidie experimur non omnia a nobis cognosci : hæc autem *carentia cognitionis in subjecto ipsius cognitionis capaci* dicitur *ignorantia*. — Dividi solet in *negativam* et *privativam*. Prima, quæ etiam *nescientia* nuncupatur, est illa quam modo definivimus; ignorantia privativa est *carentia cognitionis eorum quæ homo secundum suam naturam aut vitæ statum et potest et debet cognoscere*. Hinc in infantibus est *nescientia;* sed in judice qui nesciat ea quæ legis sunt, est ignorantia *privativa;* quæ ideo in illo est culpabilis : quia, ut recte dicit S. Augustinus,

ignorantia judicis sæpe fit calamitas innocentis. Sed de his ad theologos moralistas. — Deinde ignorantia alia est *totalis*, alia *partialis*, prout mens aut omnium aut quarumdam rerum cognitionibus caret : quæ partialis ignorantia et minuitur et augetur secundum quod augetur vel minuitur rerum cognitio, aut unius ejusdemque rei clarior aut distinctior cognitio a mente habetur.

VI. Ignorantia radicaliter in nobis oritur vel ex limitatione intellectus cognoscentis, vel ex ipsa objecti obscuritate. Pertinet ad facti evidentiam, ignorantiam partialem, etiam respectu unius ejusdem objecti cogniti, quamvis non sub eadem ratione considerati, in nobis dari. Quæritur ergo, undenam hæc ignorantia *radicaliter* in nobis proveniat. Cui quæstioni respondemus propositione enuntiata, quæ hac ratione sancti Thomæ probatur. In iis quæ important habitudinem ad aliud, impedimentum contingere potest vel ex uno vel ex alio. Sed veritas mentalis dicit habitudinem ad objectum, sicut ad propriam causam, ut sæpe dictum est. Ergo impedimentum quominus mens veritatem consequatur, et consequenter in ignorantia versetur, non aliunde esse potest nisi vel ab ipsa mente cognoscente vel ab objecto cognoscendo, seu, ut loquitur sanctus Doctor in Lib. II. *Metaphysicorum*, Lect. I. *potest contingere quod veritas sit difficilis ad cognoscendum, vel propter defectum qui est in ipsis rebus, vel propter defectum qui est in intellectu nostro.* — Major argumenti exemplis ab ipso Angelico declaratur. Nam si lignum non comburitur, hoc contingit, vel quia ignis est debilis, vel quia lignum non est bene combustibile; et similiter oculus a visione impeditur vel quia est debilis, vel quia visibile est tenebrosum.

VII. Error. Error veritati opponitur, unde oppositam etiam definitionem poscit : nempe error est, *discrepantia inter id quod mens judicat et rem de qua judicatur.* Quibus autem modis id contingere possit, diximus agendo de qualitate propositionis (21, VII). — Manifestum est autem errorem ab ignorantia provenire sicut a causa : nam, ut in IV. *Metaphysicorum*, Lect. VI. recte notat Angelicus, *homines non decipiuntur nisi circa ea quæ ignorant*, et S. Augustinus in Lib. LXXXIII. *Qq.*, Qu. XXXII. docet : *Quisquis ullam rem aliter quam ea res est intelligit, fallitur : et omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter quam est intelligit, non eam intelligit.* Quæ Augustini verba Angelicus tangit P. I. Qu. XVII. Artic. III.

ad 1. — At quamvis error ab ignorantia proveniat, tamen in se sumptus ab ignorantia distinguitur; etenim ignorantia ex se dicit carentiam cognitionis; sed error esse nequit nisi adsit aliqua rei, circa quam erratur, cognitio.

VIII. Opinio Haud raro contingit ut alterutri propositionum oppositarum mens adhæreat (19, II), at non plane in sui judicii veritate quiescat, nec asserat, sicut in certitudine, oppositum judicium omnino falsum esse. Status iste mentis vocatur *opinio*, quæ proinde definiri potest : *Adhæsio mentis uni parti contradictionis cum formidine oppositæ :* quæ ultima verba sunt differentia specifica, qua *opinio* dividitur a *certitudine*. Hinc sapienter notat S. Thomas, in I *de Anima*, Lect. IV *(circa finem)*, quod, *opinio est de uno ad duo : est enim de principiis ad conclusionem cum formidine alterius; et sic sunt ibi tria, principium et duæ conclusiones, et una conclusa, et alia formidata.* Habet itaque mens, opinando, non cognitionem objecti perfectam, quæ in certitudine solummodo reperitur, sed imperfectam, hoc est quadam ignorantia respersam.

IX. Dubitatio. Denique, si mens, re diligenter inspecta, hæsitat circa ipsam judicium proferre, utrum hoc vel alio modo sit, seu hoc vel illud ipsi conveniat vel non conveniat, habetur dubitatio, quæ est, *status mentis in neutram contradictionis partem declinantis, propter errandi formidinem.* — In dubitatione igitur imperfectior habetur rei cognitio quam in opinione; attamen non parva sapientiæ pars est in rebus incertis scire dubitare : *melius est enim*, inquit sanctus Augustinus, *dubitare de occultis quam litigare de incertis.* — *De Genesi ad litt.* Lib. VIII, Cap. V, n. 9.

X. Dubitatio positiva et dubitatio negativa Si statera nullo pondere deprimitur, in neutram partem deflectit; et in neutram partem similiter deflectit si æquali pondere ex utraque parte premitur. Hoc materiale exemplum menti applicatum duplicem dubitationem distinguit : non quidem ut dubitatio *hæsitatio* est (hæc enim eadem semper manet), sed ex parte *rationum* seu *motivorum* quæ talem hæsitationem in mente producunt. Etenim, si mens circa rem aliquam judicium suspendit, id non aliunde esse potest nisi, aut quia rationes adsunt quæ respectu ipsius mentis æque militant tum pro affirmatione tum pro negatione, aut quia neque pro affirmatione neque pro negatione adsunt rationes sufficientes, quæ potius in unam quam in alteram contradictionis partem valeant mentem inflectere. In primo casu habetur dubitatio

positiva in secundo dubitatio *negativa*. — Dixi rationes *sufficientes*, scilicet tales quibus animus *prudens* commoveatur : leviores enim rationes non viros prudentes sed pusillanimes commovent.

XI. Corollarium. Ex quibus infertur deliberatam dubitationem supponere in mente dubitante judicium sive tacitum sive expressum. Ideo enim a judicando abstinemus, quia vel tacite vel expresse determinamus, aut non adesse rationes sufficientes pro alterutra contradictionis parte, aut adesse quidem sed æqualis ponderis. Porro determinare sufficientiam rationum, manifeste est judicare vel tacito vel expresso modo. Igitur dubitatio deliberata judicium subaudit, tacitum vel expressum. — Et hac ratione colligitur etiam quod, dubitatio ab errore quidem distinguitur, quia in errore judicium de re profertur, dubitatio vero est judicii de re ipsa negatio; sed tamen dubitatio ratione judicii, quod subaudit, erronea esse potest. Judicium enim potest esse falsum, declarando insufficientes rationes, cum forte sufficientes sint; ac proinde dubitatio quæ judicium illud, veluti effectus suam causam, sequitur, erroris judicii particeps esse potest.

XII. Conclusio generalis articuli. Ex omnibus hucusque declaratis statuere possumus sequentes conclusiones : 1^{m} cognitio perfecta, seu veritas plene atque perfecte habetur per certitudinem; — 2^{m} secundo loco venit opinio, quæ est imperfecta quidem rei cognitio, sed tamen judicium de re ipsa importat; — 3^{m} deinde venit dubitatio, quæ aliquam rei cognitionem præ se fert, sicut opinio, sed tamen imperfectiorem, et talem quæ judicium prohibet; — 4^{m} ignorantia *negative* cognitioni opponitur; — 5^{m} error vero *positive* opponitur veritati et veræ certitudini.

ARTICULUS SECUNDUS

(41)

De syllogismo demonstrativo.

I. Demonstrationis notio. Demonstrare, si vim nominis spectes, idem est ac rem monstrare, hoc est eam ob oculos ponere ita ut videatur. In Logica vero, *demonstrationis* nomine intelligitur, *argumentatio quæ ex certis ac evidentibus præmissis conclusionem deducit.*

II **Corollaria**. Hinc inferuntur nonnulla corollaria scitu dignissima.

Corollarium primum. Demonstratio a cæteris argumentationibus *formaliter* non differt, sed tantummodo *ratione materiæ* quia nempe *formæ* argumentandi, quam communem habet cum aliis argumentationibus, addit necessario *certitudinem* præmissarum, a qua certitudine forma syllogistica abstrahit. *Licet*, inquit S. Thomas post Aristotelem, I. *Poster. Analytic.* Lect. IV, *syllogismus non requirat præmissas conditiones in propositionibus ex quibus procedit* (quod nempe sint ex certis, etc.) *requirit tamen eas demonstratio.*

Corollarium alterum. Demonstratio semper et necessario procedit sive mediate sive immediate a præmissis indemonstrabilibus, seu quarum veritas menti innotescit ex sola idearum comparatione (19, IV), et quæ *dignitates, principia indemonstrabilia, axiomata,* aliisque nominibus similibus in scholis designantur (31, III). Probat Angelicus, *Lect. cit.*, veritatem hujus secundi corollarii hac perfacili ratione : « Detur... quod aliquis demonstrator syllogizet ex demonstrabilibus, sive mediatis. Aut ergo habet illorum demonstrationem, aut non habet. Si non habet, ergo non scit præmissa, et ita nec conclusionem propter præmissa. Si autem habet, cum in demonstrationibus non sit abire in infinitum *(secus enim non haberetur principium primum unde mens in demonstrando moveret, et sic impossibilis evaderet quælibet demonstratio)*, tandem erit devenire ad aliqua immediata et indemonstrabilia. Et sic oportet quod demonstratio ex immediatis procedat, vel statim vel per aliqua media. »

III. **Scientia**. Rectissime docet Aristoteles, I. *Poster. Analytic.* Cap. IV. quod demonstratio est *syllogismus apodicticus, id est faciens scire.* Etenim, ut explicat Angelicus, *ib.*, Lec. IV. *scire est finis syllogismi demonstrativi sive effectus ejus : cum scire nihil aliud esse videatur, quam intelligere veritatem alicujus conclusionis per demonstrationem.* Et S. Augustinus, *Retractat.* Lib. I. Cap. XIV. n. 3 : *Proprie quippe*, inquit, *cum loquimur, id solum scire dicimus, quod mentis firma ratione comprehendimus.* Scientia igitur, non prout late sumitur pro quacumque cognitione, sed strictiori ac veriori sensu accepta, est, *cognitio certa veritatis per demonstrationem deducta.* —. Dicitur *cognitio*, quia revera *scire* est *cognoscere*, quamvis non omnis cognitio sit *scientia :* additur *certa*, quia est effectus demonstrationis seu præmissarum certarum, atque ideo causæ propriæ certitudi-

nem participat; dicitur, *per demonstrationem deducta*, quia scientia est non de principiis, quorum cognitio certa vocatur proprius *intelligentia*, sed de *conclusionibus*, iisque demonstrative deductis, ut dictum est.

IV. Corollaria. Ex qua scientiæ definitione hæc sequuntur corollaria.

Corollarium primum. Omnis scientia acquiritur vi præcedentis cognitionis, principiorum nempe, ex quibus conclusio scientifica infertur. Quod corollarium, ut principium non levis momenti, inculcatur ab Aristotele, *Poster. Analytic.* Lib. I. Cap. I.

Corollarium alterum. Principia ex quibus infertur conclusio, nobis notiora sunt conclusione ipsa : nam conclusio nobis certo innotescit vi certitudinis principiorum; ergo principia conclusione et notiora et certiora esse debent (31, VI).

Corollarium tertium. Scientia nostra, sumpta in sensu jam definito, est de rebus necessariis et universalibus, quæ scilicet aliter esse non possunt. Scientia enim non datur ubi firmitas adhæsionis non est; firmitas autem adhæsionis, hoc est assensus uniformis, constans et universalis, ex firmitate objecti necessario pendet : nam, ut recte notat Angelicus, in I. *Poster. Analytic.* Lect. IV. *quod autem contingit aliter se habere, non potest aliquis per certitudinem cognoscere.* Sed aliter non se habere proprium est necessarii et universalis, saltem respectu nostri.

V. De propositionibus PER SE NOTIS et PRIORIBUS quoad se et quoad nos. Diximus scientiam haberi per principia conclusionibus notiora, et quæ vel mediate vel immediate esse *per se nota* in secundo numero hujus articuli probavimus. Sed Scholastici cautissime distinguebant propositiones hujusmodi in propositiones *per se notas quoad se* seu *simpliciter*, et in propositiones *per se notas* etiam *quoad nos* seu etiam *secundum quid*. Propositio per se nota, ut pluries dictum est, dicitur illa, cujus prædicatum includitur in ipsa ratione subjecti. At propositio dari potest, cujus prædicatum includitur in ratione seu definitione subjecti, ita tamen ut illa inclusio alicui non innotescat, quia latet ipsum subjecti definitio. Sit, exempli gratia, hæc propositio : *Omnes anguli recti sunt æquales;* propositio, quantum est in se, est per se nota, sive immediata, quia æqualitas cadit in definitionem anguli recti : sed non omnibus est per se nota, quia non omnes sciunt definitionem anguli recti. Quod si propositio per se nota in se, nobis pariter innotescat, ut nempe sciamus de sub-

jecto *quid sit*, seu definitionem, et ideo videamus prædicatum in ipsius natura subjecti includi, dicitur propositio per se nota et quoad se et quoad nos. Hujusmodi sunt propositiones quarum termini sunt in notitia omnium hominum, sicut *ens*, *unum* et alia quæ sunt entis in quantum est *ens*.

Deinde in ipsis propositionibus per se notis est quædam subordinatio, ita nempe ut alia alia certior sit (40, IV) et prior. *Prius* autem similiter dicitur *simpliciter et in se* et *secundum quid et quoad nos*. — *Simpliciter* prius illud est quod, in se consideratum, aliud aliquo modo præcedit; sicut causa prior est effectu; — *secundum quid* et *quoad nos* prius est illud, quod nobis prius et magis innotescit, et est nobis ratio cognoscendi *aliud*, quod, esto in se sit principium, tamen in ordine nostræ cognitionis est conclusio; hoc sensu effectus communiter notior nobis est sua causa, et ratio cognoscendi causam. — De his fuse S. Thomas in I. *Physic.*, Lect. I. et alibi *passim*.

VI. Demonstratio PROPTER QUID **et** QUIA. Interest plurimum ut sciamus diversas demonstrationum species, quia ab illis valor intrinsecus scientiæ nostræ determinatur. Antiquos hac in re sequimur, sicut et in multis aliis, quorum vocabula si auribus delicatioribus displiceant, non curamus : non enim barbara vocabula horremus, si aptiora sint ad significanda quæ scientiis provehendis magis sunt accommoda, electuri, si inveniantur, puriora simul et aptiora ideis nostris exprimendis. In antecessum igitur dividimus demonstrationem in demonstrationem *propter quid* et demonstrationem *quia*. Prima est *quæ procedit a principiis, quæ sunt non solum per se nota, sed etiam quæ sunt priora simpliciter, et sunt propria, immediata et adæquata ratio conclusionis demonstratæ*; ut si demonstrarem Dei æternitatem ex ejus essentiali immutabilitate. — Demonstratio *quia* est illa quæ aut non procedit a prioribus simpliciter, sicut quando ex effectibus concludimus de causa, quæ est illis simpliciter prior; — aut non assignat rationem propriam, immediatam et adæquatam conclusionis demonstratæ, quamvis eamdem conclusionem certo inferat : ut si demonstrarem æternitatem Dei ex eo quod Deus est Ens a se.

VII. De discrimine inter demonstrationem PROPTER QUID **et demonstrationem** QUIA. Quæ de utraque demonstratione attigi in numero præcedenti, fusiori calamo explicat Auctor pluries citatus *Summæ totius logicæ Aristotelis*, Opusc. XLVIII. inter

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Opuscula S. Thomæ, *Tractatus de syllogismo demonstrativo*, Cap. XI. cujus verba hic in gratiam tironum transcribo. « Videndum est quid significetur per hoc quod dicitur *propter quid*, et quid per hoc quod dicitur *quia*. Notandum quod de re quatuor scire possumus, scilicet, *quid est*, *an est*, *quia est*, et *propter quid est*. Ad quæ intelligenda sciendum est quod, cum scientia non sit nisi *verorum*, *verum* autem et *ens* convertantur, de *esse* ergo erit scientia. Ut autem dictum est in tractatu de *prædicamentis*, duplex *esse* invenitur in rebus, scilicet *esse essentiæ* et *esse actualis existentiæ*: et quia esse essentiæ dicitur *quidditas*, seu *quid est res*, ideo cum scimus esse *essentiæ* alicujus rei, dicimus scire *quid est* de ipsa. — *Esse* autem *actualis existentiæ* aliter se habet in *substantia* et aliter in *accidente*. Quia enim accidentis *esse* est *inesse*, scire autem *esse* actualis existentiæ subjecti est solum scire quod *actu* sit, et hoc est scire de ipso *an est* : sed scire de accidente *esse actualis existentiæ* est scire de ipso *quia est*. Unde scire *quia est*, nihil aliud est quam scire *hoc inesse huic*. Et quia aliquando aliquid inest alicui propter aliquam causam, ideo *scire illam causam* est scire *propter quid*. Patet ergo quod scire *quia est* de aliqua re est scire ipsam inesse alicui *ignorando causam quare insit;* scire autem *propter quid* est scire aliquam rem inesse alicui et *scire causam quare sibi insit*. Demonstratio ergo *propter quid* est illa, *in qua manifestatur causa, quare prædicatum inest subjecto* in conclusione. Demonstratio vero *quia* dicitur illa, *in qua concluditur aliquid inesse subjecto alicui, non tamen assignatur causa* (immediata) *quare sibi inest*. » Hæc omnia perspicua sunt, et quam maxime inserviunt ad vocabula technica Scholasticorum intelligenda. Dignus est qui legatur integer iste tractatus in quo præcitatus Auctor, præmissa in primo capite definitione Demonstrationis, quod videlicet sit syllogismus *procedens ex veris, necessariis, per se, primis, propriis, per se notis, immediatis* et *causis conclusionis*, in sequentibus capitulis singulas partes hujus definitionis explicat, quam *potissimæ* demonstrationi, nempe *propter quid* solummodo convenire recte animadvertit et probat. Deinde tria ostendit : 1° quod potissima demonstrationi, nempe *propter quid*, solummodo convenire recte figuræ et in primo ejus modo *(Barbara);* 2° quod secunda figura, ut strictioris demonstrationis naturam præ se ferat, debet esse in secundo modo *(Camestres);* 3° quod demonstratio *quia* aut ab effectibus ad causam, aut a causis *remotis* ad effectum procedit. — Docet præterea. Cap. XII. quo pacto in demonstratione sint præcognita aliqua ante conclusionem et alia conclusione ipsa demonstrata. — Insuper, Cap. XIII, disserit de ma-

iori ac minori certitudine scientiarum, secundum diversas demonstrationum species. — Denique, Cap. XIV, sermo illi est de unitate formali scientiarum, quam dicit desumendam esse ab unitate formali objecti secundum rationem scibilis. Quæ omnia consona sunt iis quæ Angelicus habet in suis *Commentariis* in II. *Posterior, Analytic.*

VIII. Demonstratio A PRIORI **et** A POSTERIORI. Demonstratio *a priori* procedit a causis ad effectus, ab universalibus ad particularia; et est demonstratio *propter quid*, vel *quia*, secundum diversa priora principia, propria et immediata, vel remota et mediata, ex quibus procedit (sup., n. VI; inf., n. XII). — Demonstratio *a posteriori* contrariam prorsus viam init, et ab effectibus assurgit ad causam, a particularibus ad universalia *(ib.)* (1).

IX. Demonstratio DIRECTA **et** INDIRECTA Præterea demonstratio alia est *directa*, alia *indirecta*. *Prima* rem esse vel non esse demonstrat ex principiis positivis; *indirecta* vero, quæ et *apagogica* dicitur, concludit rem ita esse vel non esse, quia secus sequerentur *absurda :* unde etiam dicitur demonstratio *ad absurdum* et *ad impossibile*. — Demonstratio *directa* (quæ et *ostensiva* dicitur) potior est, quia manifestat menti nostræ rem in se, in qua videmus ejus veritatem; *indirecta* autem non præbet visionem veritatis rei in se ipsa, quamvis excludat errandi formidinem vi absurdi illati : et ideo non totaliter quietat intellectum, qui ad rei visionem aspirat (*inf.* 55, II. seq.).

X. Demonstratio PURA, EMPIRICA **et** MIXTA. Supra (19, III) judicia nostra ex parte objecti distinximus in analytica seu rationalia, et in synthetica seu experimentalia. Igitur *præmissæ*, quæ assumuntur in demonstratione, 1° aut sunt *omnes* rationales, et habetur demonstratio *pura*, ut sunt demonstrationes mathematicæ; sicut cum dicitur : *Summæ æquales, detractis partibus æqualibus, remanent æquales; atqui summa angulorum in triangulo est æqualis duobus rectis; ergo summæ angulorum in duobus vel pluribus triangulis æquales remanent, subtracto eisdem æquali angulo;* — 2° aut *præmissæ* sunt *omnes* experimentales seu empiricæ, et habetur demonstratio *empirica;* ut si quis, ex eo quod *ignis*

(1) Hæ expressiones *a priori* et *a posteriori* non sumuntur hic secundum prioritatem vel posterioritatem logicam, sed ontologicam; idest non secundum quod prius vel posterius a nobis intelligitur, sed prout una res altera prior vel posterior in facto est.

comburit, concluderet *hunc* ignem *comburere;* — 3° aut denique una præmissarum est *rationalis* et altera *empirica*, et habetur demonstratio *mixta;* ut si dicas : *Impossibile est existere seriem causarum efficientium subordinatarum sine existentia causæ primæ* (propositio *pura* seu *rationalis*); *sed in mundo existit series causarum efficientium subordinatarum* (propositio *empirica*); *ergo necesse est ut existat causa prima efficiens.* — In hoc tertio genere demonstrationis exprimitur in *majori* veritas idealis, non realitatem absolute enuntians, sed hypothetice; in *minori* autem asseritur realis verificatio conditionis; et consequenter in *conclusione* recte et necessario concluditur veritas realis existentiæ expressa in conditionato. Nemo autem non videt quantæ sit utilitatis hæc demonstratio mixta; nam per ipsam jus habemus applicandi ordini reali veritates ordinis idealis.

XI. Demonstratio absoluta et demonstratio relativa, seu ad hominem. Prima est illa, *quæ procedit a* præmissis, *quarum veritas a nobis admittitur et assumitur ad aliquid absolute inferendum :* ut cum demonstramus realem Dei existentiam ex contingentia creaturarum, et alia hujusmodi. Demonstratio *relativa* seu *ad hominem* est illa, *quæ procedit a principiis admissis ab adversario et a nobis assumptis ad ipsum refutandum, abstractione facta ab eorum veritate;* ut si quis principia assumeret admissa a materialistis vel a rationalistis, ad ipsos convincendos de falsitate eorum doctrinæ (1).

XII. Quo pacto omnis demonstratio reducatur ad demonstrationem PROPTER QUID vel QUIA. Veteres, quod ego sciam, nonnisi demonstrationem *propter quid* et *quia* expresse recense-

(1) DEMONSTRATIO A SIMULTANEO. — « Certains auteurs ont ajouté à cette division un troisième membre la démonstration *a simultaneo* ou *quasi a priori*. Cette dæmonstration trouve sa place dans les cas où il s'agit de démontrer, l'une par l'autre, deux choses qui, dans la réalité, ne sont pas distinctes, mais dont l'une se conçoit nécessairement comme devançant l'autre. Un exemple bien connu, dans l'histoire de la philosophie, d'une preuve *a Simultaneo*, est celle au moyen de laquelle saint Anselme croyait pouvoir démontrer l'existence de Dieu, en partant de l'idée de l'Etre le plus grand, parfait ». MERCIER, *Logique*. 137.

Alii addunt etiam *demonstrationem circularem* quæ definiri potest : Argumentatio qua mens postquam ab effectibus ad causam ascendit, ex causa jam cognita descendit ad effectus eosdem penitus inspiciendos et ad alias novas qualitates detegendas.

bant, nec immerito : nam nihil est medium inter assignare causam propriam, proximam et adæquatam rei, quod facit demonstratio *propter quid;* et illam causam non assignare, sed rem ipsam demonstrare aut per alias causas aut per effectus, quod facit demonstratio *quia*. Quocirca, demonstratio *a priori*, si fiat per causas proximas, immediatas et adæquatas, est ipsamet demonstratio *propter quid;* si fiat per causas remotas, est ipsamet demonstratio *quia* (sup., n. VI). — Demonstratio vero *a posteriori* reducitur ad demonstrationem *quia :* quæ idcirco subdividi potest in demonstrationem *a priori* et *a posteriori*. — Præterea, demonstratio directa potest esse vel *a priori* vel *a posteriori*, *propter quid* et *quia*, ut per se est manifestum. — Similiter, demonstratio indirecta est *propter quid*, si absurdum deducat a causa rei immediata, propria et adæquata; est demonstratio *quia*, si absurdum aliunde inferat. — Cf. *Summa philosophica* patris Roselli, Ord. Præd., P., I. Qu. XXVIII. artic. II. *per totum*. Videsis etiam *Schema*, quod de omnibus demonstrandi modis damus in *nota* 7 ad lectionem XXV. S. Thomæ in Lib. I. *Posteriorum Analytic.* (Ed. Leon. Opp. Tom. I. pag. 239).

ARTICULUS TERTIUS

(42)

De syllogismo probabili.

I. Descriptio triplicis processus rationis humanæ ex Divo Thoma. Ut prologum ad hunc articulum præmitto doctrinam S. Thomæ, quæ ob oculos ponit triplex genus processus rationis humanæ. « Est proprium rationis... discurrere ab uno in aliud, ut per id quod est notum deveniat in cognitionem ignoti... Attendendum est autem quod actus rationis similes sunt quantum ad aliquid actibus naturæ. Unde et ars imitatur naturam in quantum potest. In actibus autem naturæ invenitur triplex diversitas. In quibusdam enim natura ex necessitate agit, ita quod non potest deficere. In quibusdam vero natura ut frequentius operatur, licet quandoque possit deficere a proprio actu. Unde in his necesse est esse duplicem actum : unum qui sit *ut in pluribus*, sicut cum ex semine generatur animal perfectum; alium vero *quando natura deficit* ab eo quod est sibi conveniens; sicut cum ex semine generatur aliquod monstrum, propter corruptionem alicujus principii. — Et hæc etiam tria inveniuntur

in actibus rationis. — Est enim aliquis rationis processus *necessitatem inducens*, in quo non est possibile esse veritatis defectum; et per hujusmodi rationis processum *scientiæ certitudo acquiritur*. Est autem alius rationis processus, in quo *ut in pluribus* verum concluditur, *non tamen necessitatem habens*. Tertius vero rationis processus est in quo ratio *a vero deficit* propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum. » Hæc egregie Angelicus, in Lib. I. *Poster. Analytic.* Lect. I. De primo rationis processu, nempe *demonstrativo*, actum est in præcedenti articulo; de tertio, seu *sophistico*, sermo erit in sequenti : nunc ergo de secundo, videlicet *probabili*, est dicendum.

II. **Probabilitatis notio.** Probabilitas, a qua menti ingeneratur opinio (40, VIII), definiri potest, *accessus judicii ad veritatem*, seu *ad conformitatem cum re judicata*. Statuimus enim veritatem logicam, seu cognitionis, in adæquatione, seu conformitate mentis cum re cognita consistere (40, I). Igitur nonnisi per accessum ad illam conformitatem probabilitas potest definiri, ita ut major vel minor probabilitas ex majori vel minori accessu ad eamdem conformitatem sit omnino desumenda. Audiatur iterum Angelicus eodem exemplo rerum naturalium rem nostram explicans, *loco citato* : « Sicut autem in rebus naturalibus, in his quæ ut in pluribus agunt, gradus quidam attenditur (quia quanto virtus naturæ est fortior, tanto rarius deficit a suo effectu), ita et in processu rationis qui non est cum omnimoda certitudine gradus aliquis invenitur, secundum quod magis et minus ad perfectam certitudinem acceditur. Per hujusmodi enim processum quandoque quidem, etsi non fiat scientia, fit tamen fides, vel opinio, propter probabilitatem propositionum ex quibus proceditur : quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius. »

III. **De gradibus probabilitatis.** Quando cum S. Thoma asserimus *probabilitatem* vel opinionem in accessu ad veritatem et certitudinem consistere, et *improbabilitatem* in recessu a veritate et certitudine ipsa, nolumus cum Genuensi, aliisque ad minus incautis philosophis, certitudinem aut veritatem considerare ut quoddam compositum gradibus probabilitatis, quorum major numerus cognitus magis conferat ad integrandam certitudinem : hæc enim explicatio nimis materialis est, et omnino a veritate absona. Etenim tum veritas tum certitudo, quæ ex perspecta causatur conformitate inter judicia nostra et res, de quibus ju-

dicamus, in indivisibili consistunt, nec possunt in frusta dividi : unde congerantur rationes probabiles in indefinitum, si probabiles remaneant omnes (et nequeunt non remanere nisi ipsam naturam probabilitatis exuant), nunquam certitudinem parient. Ergo seponamus hanc veritatis et certitudinis compositionem. ex gradibus, dicamusque cum Angelico, probabilitatem et opinionem in accessu ad veritatem et ad certitudinem essentialiter consistere : qui accessus major, minorque dicendus erit, secundum quod momenta seu rationes prolatæ a nobis majori vel minori pollent efficacia ad veritatem persuadendam.

IV. Syllogismi probabilis notio. Hinc jam dicere possumus syllogismum probabilem illum esse, *cujus utraque, vel saltem una præmissarum est probabilis*, et cujus proinde conclusio limites probabilitatis excedere nequit. — Explicatur definitio. Et imprimis, si ambæ præmissæ sint probabilis veritatis, patet quod a probabilitate ipsarum præmissarum et naturam et nomen sortitur syllogismus; cujus conclusio nonnisi probabilis esse potest : quia conclusio nequit certitudine excedere præmissas, a quibus, ut a causa efficiente, profluit. — Manifestum est etiam quod si ambæ præmissæ sint certæ, jam non syllogismus probabilis, sed demonstrativus habetur. — Videamus potius quo pacto syllogismus procedat cum una præmissarum *certa* et altera *probabili*.

Lex dubia non obligat;
Atqui lex X est dubia;
Ergo lex X non obligat.

Posito quod *lex X est dubia*, sit propositio certa et quod *certa* sit *major* syllogismi, *lex dubia non obligat;* certa quoque esse debet conclusio, *lex X non obligat.* — At in hypothesi quod *major* ejusdem syllogismi non sit certa sed solummodo probabilis, *non obligatio* nonnisi probabiliter convenit *omni legi dubiæ;* ergo et nonnisi probabiliter debet convenire legi X, quæ, ut dicitur in *minori*, est dubia : juxta illud principium, in quo omnis syllogismus fundatur : *dictum de omni; dictum de nullo* (32, II). — Præterea duo termini comparantur inter se in conclusione eo *preciso* modo quo cum tertio fuerunt comparati in *præmissis*, juxta alia syllogismi principia (32, IV). Sed *non obligatio* fuit comparata solummodo comparatione probabili cum lege universaliter accepta in *majori;* ergo et nonnisi probabiliter potest comparari in

conclusione cum *lege X.* — Igitur si vel una præmissarum est probabilis, syllogismus probabilem solummodo conclusionem habet, valetque etiam in hoc casu illa lex quam de propositionibus dedimus : *Pejorem sequitur semper conclusio partem.* Dico autem quod conclusio est probabilis per se et absolute loquendo; at potest etiam dici *certa* hypothetice, sicut *certus* hypothetice dici potest syllogismus ipse probabilis, *si* nempe *certa esset utraque præmissa.* Cf. quæ ex Divo Thoma diximus de veritate propositionis hypotheticæ (24, II, seqq.) (1).

V. **Monitum adolescentibus.** Quæ præcedenti numero dixi, intellectu facillima sunt, omnibusque explorata : sed in praxi tamen non pauci ea negligunt, et ad conclusiones demonstrativas se pervenisse conclamant, cum vix ac ne vix quidem probabilitatem concludere eis jus sit. Equidem a principiis certissimis quandoque procedunt, sed in processu ratiocinationis (præsertim cum ratiocinationes protrahuntur, ut accidit in dirimendis quæstionibus, quæ longiorem sermonem exigunt) subrepit aliqua propositio, ut minus dicam, probabilis, quæ aut inadvertentia, aut ignorantia, aut etiam malitia, assumitur ab illis ut certa : quæ quidem propositio *probabilis* sufficit ut valor demonstrativus cuilibet ratiocinationi adimatur. Assuescant ergo adolescentes rigori scientifico, et tum in legendo auctores tum in scribendo singulas propositiones, quæ artificium ratiocinationis constituunt, sedulo considerent, ut apprime sciant utrum certæ vel probabiles sint, et hoc modo sapienter de sapientia loquantur; sapienter autem loquimur quoties certa certo, probabilia probabiliter judicamus.

---

(1) Argumentis dialecticis vel probabilibus ab auctore positis adiungi potest :

a) Analogia, qua unum ab alio infertur ob similitudinem inter ea existentem. Liquet hoc argumentum nonnisi leviter assensum intelligentiæ trahere.

b) Hypothesis, quæ est suppositio causæ nondum certo cognitæ ad facta quædam explicanda. Potest esse physica, moralis vel logica (hermeneutica) secundum quod explicat vel phenomena naturæ, vel actiones humanas, vel librorum sententias.

Leges hypothesis sunt : 1) quod sit possibilis; 2) non repugnet certæ experientiæ; 3) facta *recte* explicet; 4) quo melius et quo plura phenomena bene explicat et difficultates solvit eo maior est probabilis et fere thesis.

ARTICULUS QUARTUS

(43)

De syllogismo sophistico.

I. Syllogismi sophistici notio. In superiori articulo, n. I. diximus cum Divo Thoma, esse quemdam rationis processum, in quo ratio a vero deficit propter alicujus principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum. Hujusmodi principii defectus vocatur *fallacia*, et syllogismus fallacia affectus dicitur *sophisma*, græcum vocabulum, quod fallacem argumentationem significat, ut Tullius notat, lib. IV. *Academ.* Cap. XXIV. Qua in re audiatur Augustinus, qui sophismatum naturam et scopum ob oculos ponit, Lib. secundo *De Doctrina Christiana*, Cap. XXXI. « Sunt enim, inquit, multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens ei cum quo loquebatur : *Quod ego sum, tu non es.* At ille consensit : verum enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit : *Ego autem homo sum.* Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens : *Tu igitur non es homo.* Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco (*Eccli.*, XXXVII. 23), ubi dictum est : *Qui sophistice loquitur odibilis est.* »

II. Divisio generica syllogismi sophistici. In omni syllogismo duo a nobis distincta sunt, *forma* nempe et *materia ;* ergo ex duplici capite oritur argumentatio sophistica, vel quia non servat debitam formam syllogismi, vel quia peccat in materia, procedens ex falsis. « Et est, inquit Angelicus, I. *Poster.*, lect. XXII. differentia inter hos modos duos, quia ille qui peccat in materia, syllogismus est, cum observentur omnia, quæ ad formam syllogismi pertinent. Ille autem qui peccat in forma, syllogismus non est sed *paralogismus*, id est *apparens syllogismus.* » — Fallaciæ, præter formam, sunt vel in *dictione* vel extra *dictionem.*

III. De fallaciis ex parte dictionis. Fallacia *in dictione* attenditur penes voces : quia scilicet propter unitatem vocis creditur unitas rei significatæ per vocem ipsam, cum illa rei unitas minime habeatur ; et ob hanc causam exsurgit syllogismus sophisticus. Sex præcipue recensentur hujus generis

fallaciæ : *æquivocatio, amphibologia, compositio, divisio, accentus* et *figura dictionis*. Dicamus pauca de singulis.

Æquivocatio est unius ejusdemque vocis usurpatio in diversa significatione. — Fides, e. g., significare potest *firmam opinionem, virtutem theologalem, conscientiam*. Hinc Baius hoc sophismate deducto ex fallacia æquivocationis, quam vel ipse non animadvertebat, conabatur persuadere actiones omnes infidelium esse peccata. *Omne*, inquit Apostolus, Roman. XIV. 23, *quod non est ex fide peccatum est. Atqui*, subsumebat Baius, *actiones omnes infidelium non sunt ex fide. Ergo*, concludebat, *actiones omnes infidelium sunt peccata.* — Est æquivocatio in vocabulo *fides;* nam in *majori* ex Apostolo sumitur aut pro *conscientia*, aut pro fide non *negative*, sed *contrarie* accepta; at in *minori* sumitur pro virtute theologali et *negative*. — Unde sunt quidem tres termini voce, sed re tamen sunt quatuor in syllogismo allato.

Amphybologia ἀμφιβολογία si verbum verbo reddas, idem est ac *sermo dubiam sententiam indicans*. Differt ab æquivocatione, quia hæc in *verbo*, illa in *sententia* multiplicem significationem præ se fert. Amphibologiæ exemplum habes in illa responsione Apollinis ad Pyrrhum, quam Ennius refert, sed quam Tullius, lib. II. *De divinatione*, inter fabulas amandat : *Aio te Æacida Romanos vincere posse :* quæ sententia æque significat Romanos a Pyrrho, et Pyrrhum a Romanis vinci posse. — Vitium *amphibologiæ* a nobis, plus quam credimus, incurritur : 1° sive ex eo quod oratio per se plura significet; — 2° sive ex constructione grammaticali; — 3° sive ex eo quod præter significationem propriam oratio trahi potest, nisi forte debeat, ad significationem metaphoricam. Exemplum primi habes ex iis quæ circa corporum resurrectionem de Origenistis refert S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium et Oceanum : « Credimus, inquiunt *(Origenistæ)*, resurrectionem futuram *corporum*. Hoc si bene dicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt cœlestia, et terrestria; et aër iste, et aura tenuis, juxta naturam suam corpora nominantur; *corpus* ponunt non *carnem;* ut orthodoxus, *corpus* audiens, *carnem* putet, hæreticus *spiritum* recognoscat. Hæc est eorum prima decipula, quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos. » — Exemplum secundi de semetipso affert sanctus Augustinus, in libro I. *Soliloquiorum*, Cap. I. scripserat : *Deus cujus regnum est totus mundus, quem sensus ignorat* quæ verba retractans in libro I. *Retractationum*, Cap. IV. hæc notat : « Si Deus intelligendus est, addenda fuerant

verba, ut diceretur *quem mortalis corporis sensus ignorat.* Si autem mundus dictus est, *quem sensus ignorat,* ille recte intelligitur, qui futurus est in cœlo novo et terra nova : sed etiam hic addenda erant illa verba, ut diceretur : *mortalis corporis sensus.* » — In exemplum tertii affero illud Christi apud Lucam, X. 4 : *Neminem per viam salutaveritis :* quod quidem dictum non proprie est accipiendum, sed metaphorice, quatenus designat maximam celeritatem in itinere conficiendo. — Quando amphibologia assumitur ut *antecedens* syllogismi, distinctione adhibita diluitur, quia non tres termini, sed quatuor significatione deprehenduntur.

Compositio et *divisio*, quæ etiam fallacia *sensus compositi* et *sensus divisi* communius in Scholis audit, habetur : 1° quando in oratione conjunguntur quæ separari debent; 2° quando separantur, quæ sunt conjungenda; 3° quando ex sensu *diviso*, quo diversa et contraria prædicata possunt *successive* convenire vel etiam de facto conveniunt subjecto, concluditur ea simul convenire, vel saltem convenire posse eidem subjecto; vel contra ex sensu *composito*, quo duo vel plura prædicata simul conveniunt subjecto, concluditur ea posse etiam separatim convenire. Exemplum 1ⁱ : *Numerus quinque componitur ex numeris* 2 *et* 3; *atqui* 2 *et* 3 *sunt numeri pares et impares ergo et numerus* 5 *est simul par et impar.* Hic componuntur in 5, nempe in $2+3$, prædicata *paria* et *imparia*, quæ nonnisi divisum numeris 2 et 3 conveniunt. Est igitur fallacia compositionis. — Exemplum 2ⁱ : *Quæcumque sunt duo et tria sunt, duo; sed quinque sunt duo et tria; ergo duo sunt quinque*, vel, *ergo quinque sunt tria.* Est fallacia *divisionis ;* quia duo et tria *conjunctim* prædicantur de *quinque* et conjunctim sumuntur in *minori.* Sed in conclusione *duo et tria* separatim prædicantur de *quinque.* — Exemplum 3ⁱ : *Qui habet rationem potest ratiocinari. Atqui infans carens usu rationis habet rationem. Ergo puer carens usu rationis potest de facto ratiocinari.* Concluditur a *sensu diviso* ad *sensum compositum*, si a mera potentia ratiocinandi concluditur actuale in puero ratiocinandi exercitium. — Ut sophismata ista devitemus adhibendæ sunt relativæ distinctiones, concedendo quod in sensu diviso verum est, et negando quod est falsum, et vice versa, ut, distincto *antecedente*, jus omne auferatur adversariis concludendi falsum.

Fallacia accentus est modus diversus pronuntiandi aliquam dictionem, quæ ideo diversa significat; ut, *occidit* et *occidit.* — Hæc fallacia omnino puerilis est ridicula, ut si

quis diceret : *Qui occidit peccat; atqui sol occidit ergo sol peccat.* Attamen error, quia non abhorret neque a puerilitate neque a ridiculo, mirum esse non debet, si ad hanc etiam recurrat fallaciam.

Fallacia figuræ dictionis est deceptio proveniens ex eo quod aliqua dictio similis alteri videtur eumdem modum significandi habere, cum tamen non habeat. — Hæc fallacia sic definitur in opusculo. *De fallaciis* seu *de syllogismo sophistico*, inter opuscula S. Thomæ, XXXIX. Cap. VII. Ex. : *Omnis substantia colorata albedine est alba; sed vir est substantia colorata albedine; igitur vir est alba.* Variatur in conclusione genus masculinum in femininum. Hæc fallacia magis etiam puerilis videtur quam fallacia *accentus* : insidiosa tamen est, quando in dictione variatur *suppositio* terminorum (11, IV, seq.); ut cum sophistice syllogizatur : *Homo est species; Petrus est homo; ergo Petrus est species.*

IV. De fallaciis ex parte rerum, seu extra dictionem. Sicut fallacia *in dictione* attenditur penes *voces*, ita fallaciæ *extra dictionem* ex parte *rerum* proveniunt. « Sicut enim in fallaciis *in dictione* deceptio provenit ex eo quod unum nomen plura significans, accipitur ac si significaret unum; ita in fallaciis *extra dictionem* deceptio provenit ex eo, quod aliquæ res aliquo modo convenientes vel differentes, accipiuntur ut eædem simpliciter vel diversæ. » Hæc S. Thomas in opusculo præcitato, Cap. VIII. Septem præcipuæ hujus generis fallaciæ enumerantur : 1ª, fallacia *accidentis;* 2ª, *a simpliciter ad secundum quid* et *a secundum quid ad simpliciter;* 3ª, *contradictionis*, seu *ignorantia elenchi;* 4ª, *petitio principii;* 5ª, *consequentis;* 6ª, *non causæ ut causæ;* 7ª, *interrogationis.* Divisio hæc consequitur diversas generales entium conditiones, ex quibus accipiuntur fallaciæ extra dictionem, sicut ex mox dicendis erit manifestum.

Fallacia accidentis, ut vocabulum ipsum indicat, est variatio suppositionis terminorum syllogismi, ab eo quod convenit *per se* ad id quod convenit *per accidens* et vice versa. Ex. : *Animal est genus; homo est animal; ergo homo est genus.* In *majori* medius terminus *animal* accipitur in suppositione seu significatione *logica* et *per accidens* (non enim *esse genus* est *per se*, scilicet, de essentia *animalis*, cujus definitio essentialis est esse *vivum sensitivum*), in *minori* in significatione reali (*ibid.*, V) et *per se ;* est enim *animal* de essentia hominis. — *Animal est bipes; sed bos est animal; ergo bos est bipes.* — *Bipes* non convenit animali nisi

accidentaliter, et consequenter disjunctive; et tamen concluditur de *bove*, ac si conveniret *per se* et *distributive*. — Hujus generis fallaciæ sunt propemodum infinitæ.

Fallacia a simpliciter ad secundum quid, et e contra. Nota quod *simpliciter* dicitur quod nullo addito dicitur, ut: *Petrus est albus; — secundum quid* dicitur quod aliquo addito dicitur, ut : *Petrus est doctus in metaphysica.* Ergo fallacia supradicta est, *deceptio proveniens ex eo quod dictum simpliciter* verum *assumitur ad concludendum etiam ut* verum *secundum quid;* vel *ex eo quod dictum secundum quid* verum *assumitur ad concludendum* verum *simpliciter.* Exemplum 1ⁱ : *Arma sunt restituenda domino; sed Petrus furiosus vel quærens Paulum ad necem est dominus armorum; ergo arma sunt Petro restituenda.* Exemplum 2ⁱ : *Arma non sunt restituenda Petro furioso; atqui Petrus est dominus armorum; ergo arma non sunt restituenda domino.*

Ignorantia elenchi est deceptio proveniens ex eo *quod non observantur ea, quæ sunt necessaria ad definitionem elenchi* seu ad definitionem syllogismi et veræ contradictionis; ex quo fit quod ignoratur aut ignorari fingitur *punctum* quæstionis, circa quod disputatur et cujus unice quæritur solutio. Ex qua ignorantia provenit quod argumenta vagantur extra quæstionem, et aerem, ut dici solet, verberant, adversariisque affiguntur absurda fictitia et contradictiones imaginariæ. Non immerito a S. Thoma in præcitato opusculo, *De fallaciis*, cap. XI. notatur omnem fallaciam ad ignorantiam *elenchi* reduci posse, sicut ad generalem, quia in qualibet fallacia defectus accidit propter hoc quod aliquid omittitur de vera contradictionis definitione. Quapropter hæc fallacia ab eodem S. Auctore vocatur etiam fallacia *contradictionis*, quia per ipsam a sophista concluditur contradictio ubi contradictio nulla est. Ex. : *Officinæ aperiuntur diebus ferialibus et clauduntur diebus festivis. Ergo officinæ simul clausæ sunt et apertæ.* Concluditur contradictio, quia prætermittitur determinatio seu ordo temporis positus in *antecedente.*

Fallacia petitionis principii est deceptio proveniens ex eo quod *idea* assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo, seu assumitur in disputatione ut *certum* id quod præcise est probandum. Dicitur autem argumentum *petere principium*, quia adversarius sub aliis verbis petit a nobis sibi concedi, aut assumit ut principale propositum et quasi principium certum, quod præcise nos illi negamus, vel ipse probare debet. Ex. : *Animal rationale totum perit; sed homo*

est animal rationale; ergo homo totus perit. Nego hominem totum perire : et consequenter sophista *petit principium*, cum assumit *majorem* ut certam, quæ a me absolute negatur (nam *animal rationale* idem est ac *homo*) quamque ipse probare deberet. — Ad petitionem principii potest reduci *circulus vitiosus*, quo unum per aliud vicissim probatur; ut si probaretur A per B et B per A; e. g., si probaretur animæ humanæ immortalitas ex ejus spiritualitate, et postea spiritualitas ejusdem ex immortalitate.

Fallacia consequentis est deceptio proveniens ex eo quod concluduntur ut convertibilia, quæ convertibilia non sunt (30, I, seq.). Ex. : *Qui currit movetur, sed Titius movetur; ergo Titius currit.* Hæc consequentia infertur vi principii falsi, quod sicut *qui currit movetur*, ita *qui movetur currat :* quasi scilicet hæc duo essent convertibilia, cum tamen convertibilia non sint.

Fallacia non causæ ut causæ est deceptio proveniens ex eo quod aliquid assignatur ut causa alicujus effectus, quod revera causa non est. Etenim *præmissæ* propositiones in syllogismo dicuntur esse causa conclusionis. Hæc igitur fallacia habetur quando inter præmissas, ex quibus infertur conclusio, ponitur aliqua, quæ nihil ad conclusionem operatur et sic non est causa ejus. Ex. : *Inebriari est malum; sed vinum inebriat; ergo vinum est malum. — Turbare ordinem publicum est malum; sed propter ingerentiam catholicæ Ecclesiæ turbatur ordo publicus; ergo ingerentia catholicæ Ecclesiæ est mala.* — Sunt sophismata : non enim vinum, sed ejus abusus inebriat; nec ordo publicus propter ingerentiam Ecclesiæ turbatur, sed propter pessimam ambitionem et præpotentem nequitiam gubernantium, qui, ut tyrannice gubernent, Ecclesiam insequuntur. — Distinctione diluitur hoc sophisma.

Fallacia interrogationis est deceptio proveniens ex eo quod de oppositis quis simul interrogat, ut ex concessione vel negatione aliquid falsi simper concludat. Ex. : *Virtus et vitium suntne bona vel mala?* Si respondetur *mala;* sophista infert : *ergo virtus est mala.* Si respondetur *bona;* sophista concludit : *ergo vitium est bonum.* — Fallacia ista devitatur distinguendo in responsione membra interrogationis.

Et hæc satis de fallaciis, et forsitan plus quam satis. Qui plura cupit adeat citatum Opusculum *De fallaciis*, in quo S. Thomas quindecim capitibus rem istam minutim et dilucide explicat. In sophismatibus autem practice vitandis ac

diluendis multum valent quidem explicationes traditæ, maxîme vero recta applicatio legum syllogismi et sensus communis (1).

(1) Baco, Malebranche et Logica Portus-Regalis diversam sophismatum classificationem inducunt, quæ licet legitima, non videtur perfectior. His ergo posthabitis, quædam de *recentiori sophi tica* delineabimus, duce Rmo. P. Lepidi, *Elem. Phil. Chr.*; vol. I, p. 329.

a) Sophisma Inductionis, cum quis ex particularibus non sufficienter enumeratis vel leges ac effata universalia deducit, vel ea repræsentat ut absolute necessaria; cum tamen quæ de inductione pura inferuntur nonnisi ordinem actualem factorum respicere possint.

b) Sophisma analogiæ, cum quis ex aliquali dumtaxat similitudine inter duo comperta, quidquid uni convenit et alteri convenire infert. Ita e. g. positivistæ ex aliquali similitudine hominis ad simiam inferunt illum ab ista provenire.

c) Sophisma hypotesis, cum quis ex præsumptione aliquorum, quæ nulla solida experientia possunt probari, quæque plerumque cum ratione pugnant, deducit conclusiones quæ proprio præconcepto systemati favent.

d) Sophisma tripodis, cum quis ex *divinatione quadam* infert rem ita forte contigisse, e. g. : Renam plurima miracula Christi, hoc sophismate naturaliter explicare conatur.

e) Sophisma auctoritatis, cum quis infert ab auctoritate non vera, sed apparenti, confirmationem alicuius doctrinæ. Auctoritas non vera est auctoritas plebis, vel hominis ingeniosi, opulenti aut potentis, sed in re de qua quæritur non periti; e. g. : Si quis contra Religionem afferret auctoritatem Carducci.

f) Sophisma locutionis, quæ tota fucata, dulcedine sua animos rapit, vel ubertate sententiarum elevat; ut sic ab ipsa decepti, tanquam ex facie externa, judicent imbecilles verum esse, quod sophistæ asserunt : *jacet enim sensus*, dicit Tertullianus, *ubi laudantur verba.*

g) Sophisma eruditionis, cum quis copiam eruditionis ostendit ad pompam et apparatum, ut sic facilius suæ auctoritati credatur

h) Sophisma fulgoris, quando aliquibus verbis generalibus, brevi ac forti sententia, falsum ut verum asseritur, vel e converso; relinquendo sic tanquam probatam sententiam, quæ est sophistica, veluti explosam, quæ est vera; cum tamen de ipsa nihil fuerit revera probatum.

i) Sophisma sœtarii, quando ea dumtaxat de re dicuntur quæ propriam sententiam non adversantur; cœtera vero, quæ proprium possent turbare intentum, radula raduntur. Hoc fit pluries in opinionibus adversariorum exponendis, in ephemeridibus quotidianis, ecc.

l) Sophisma distractionis, quando vera et falsa, certa et incerta, varia ac disparata inter se, diffusa ac tortuosa oratione

CAPUT QUINTUM.

DE METHODO PHILOSOPHANDI (1)

Prologus. Consideravimus ratiocinationem quoad suam formam, et quoad materiam seu principia quæ mens assumit ut *præmissa*, et ex quorum valore certitudinem vel probabilitatem vel falsitatem conclusionis metitur. At vero multa sunt principia ex quibus mens movet in ratiocinando : nam per *syllogismum* a principiis abstractis et universalioribus ad magis composita et particularia quodammodo descendit; et per *inductionem*, quæ ordine inverso procedit, a concretis ad abstracta, a singularibus ad universalia conscendit. Nemo autem non videt quantum intersit, ut mens recto ordine disponat sua cogitata, quo facilius ac securius ad veritates conclusionum perveniat. Ordo iste *methodus* græce dicitur, a μετὰ, *cum*, et ὁδός *via*, et definiri potest : *Modus ordinate procedendi in cognitionem veritatis.* Ad complementum itaque tractatus de ratiocinatione, reliquum est ut in hoc ultimo capite Dialecticæ, de *methodo* dicamus : et 1° *de methodo in genere;*

---

simul miscentur; ex quo animus distractus virtute minuitur, confusus inde efficitur et impar ad judicandum; ac sensim sine sensu a falsitate capitur, ejusque veneno inficitur.

m) Sophisma ad ignorantiam quando in disputationibus, sophistæ, qui certandi ac vincendi studio disserunt, modo adversarium provocant ut probet oppositum asserti, ut sic ab inscitia ipsius in favorem suum concludere possint.

n) Sophisma ad verecundiam quando quis ad *indebitam* auctoritatem provocat cui nonnisi invitus alius resistere potest.

o) Sophisma ad odium, quando quis ex dictis adversarii doctrinas multitudini odiosas, vel cum veritate pugnantes apparenter infert.

p) Sophisma abusus, quando quis destructionem rei alicujus vult, quia abusus illius detestabiles sunt. E. g. : Socialistæ, qui proprietatem privatam abolendam censent, quia eius abusus multa mala produxit. — Hoc sophisma forsitan reduci posset ad aliud *causæ non causæ.*

(1) *Scriptores methodologiæ* qui utiliter consuli possunt :
MERCIER. — Logique.
LEPIDI. — Elem. phil. christ., vol. I, p. 392.
HUGON. — De methodo. Logica Major, p. 461.
ROSMINI. — Ideologia e Logica, vol. 4, sez. IV.
A. CONTI. — Evidenza, Amore e Fede, vol. I.
PESCH. — Inst. logicales, vol. 1, cap. IV.

2° *de methodo addiscendi per se et docendi alios;* 3° *de methodo disputandi,* cujus usus in scholis invaluit (1).

ARTICULUS PRIMUS

(44)

De methodo in genere.

I. Methodi divisio. Quid sit methodus diximus in Prologo, nempe *modus ordinate procedendi in cognitionem veritatis,* seu *in scientiis.* Duplex distinguitur a philosophis, *synthetica* et *analytica.* — Methodus *synthetica* est illa, quæ a simplicibus ad composita, ab universalioribus ad minus universalia procedit : *σύνθεσις (synthesis)* enim græce idem sonat ac *compositio* latine, a verbo *συντίθημι* quod est *componere.* — Methodus *analytica* est illa, quæ a compositis ad simplicia, a minus universalibus ad universaliora procedit : *ἀνάλυσις (analysis)* enim græce *resolutionem* latine sonat, a verbo *ἀναλύω* quod est *resolvere.* Hinc *syllogismus* synthesim, *inductio* vero analysim sequitur. Exemplis rem illustremus. Procul dubio prius homines eloquentes extiterunt quam ars eloquentiæ ab hominibus ipsis scriberetur. Sed qua ratione scripta est ars eloquentiæ? Nempe observarunt nonnulli, ut Tullius dicit in Lib. I. *de Oratore,* §. XXXII, *quæ sua sponte homines eloquentes facerent,* eosque compararunt cum aliis ineloquentibus : ex qua comparatione quid egerint alii ut eloquentes fierent, quid defuerit aliis qui ineloquentes habebantur collegerunt; atque exinde ex factis ipsis observatis leges generales eloquentiæ statuerunt. Sicque factum est ut, *non eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum sit.* En methodus analytica a factis ad leges universales statuendas ascendens. Item analytice processit Aristoteles in libris tum *Perihermeneias* tum *Priorum* et *Posteriorum Ana-*

(1) Hic tria sedulo distinguere oportet :
Dialecticam, quæ docet *rectum usum* trium operationum mentalium.
Methodologiam, quæ est scientia regularum quibus intellectus. recte utens *illis operationibus,* in diversis disciplinis ad scientiam comparandam progreditur.
Pædagogiam, quæ est scientia regularum quibus *logice* et *methodice* disciplina instituitur ad hominem secundum totam suam naturam educandum. Unde pædagogia respicit non tantum intellectum, sed etiam omnes animæ facultates et ipsum corpus.

lyticorum ad stabiliendas leges syllogismi; et analytice procedit physicus quando ex phænomenis mundanis attente observatis et comparatis principia generalia conatur stabilire. — Contra methodus *synthetica* est cum orationem aliquam ad leges oratorias comparando, eam perfectam vel imperfectam dicimus, vel aliquem syllogismum verum aut falsum pronuntiamus ex sola applicatione legum traditarum pro recto syllogismo, vel denique quoties per syllogismum stricte dictum, hoc est per principia *dictum de omni*, *dictum de nullo*, procedimus (32, II) ad aliquam peculiarem veritatem demonstrandam. Methodo synthetica præcipue utuntur *geometræ*, qui aliquo axiomate ut principio utuntur ad demonstranda propria theoremata.

II. Regulæ methodi in genere. Non omnia hic præcepta tradere methodi in genere animus est : id enim instituto nostro absonum esset, cum brevitati studeamus, atque insuper hac in re industria mentis practice plus valeat quam theoria. Generalibus igitur legibus contenti erimus.

Prima regula. A facilioribus, notioribus ac proximioribus semper est incipiendum; ut per faciliora ad difficiliora, per notiora ad obscuriora, per proximiora ad remotiora scientiæ mens veluti manu ducatur. — Hanc regulam ipsius naturæ instinctus dictat : si enim adolescens in addiscenda musicæ arte addiceretur statim ad abstrusiora harmoniæ principia mente comparanda et manibus exequenda, terreretur ejus animus et horreret ipsam artem; idem haberetur si magister inciperet docere jejunos mathematicæ a principiis calculi sublimis vel geometriæ analyticæ; idem si ad demonstrandam aliquam veritatem semper inciperet a natura principiorum transcendentalium explicanda, vel a mundi creatione : hoc est, ut dicitur, *ab ovo*. Aliquando enim ad ultima principia est assurgendum, sed ridiculum esset in omni demonstratione id requirere.

Secunda regula. Gradatim procedatur et non per saltum; neque ad conclusiones remotiores fiat transitus, nisi antea plene atque perfecte perspectæ habeantur conclusiones immediatæ. — Et revera, si per saltum procedatur, nexus non clare perspicitur, ac præterea cognitiones non corpus connexum efformant. Si vero antea priores conclusiones non clara atque perspectæ quoquoversus habeantur, fieri non potest ut confusio non sit in conclusionibus remotioribus, et ut certæ istæ non habeantur, cum forte ne probabilitatem quidem attingant.

Minima enim incertitudo præmissarum admit certitudinem illationibus.

TERTIA REGULA. Eadem certitudo exigenda non est in omnibus scientiis; etenim, ut recte jam notaverat Aristoteles, I. *Ethic.*, cap. I. ad hominem bene disciplinatum pertinet ut tantum certitudinis quærat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. Hæc regula maximi est momenti, qua posthabita, multi insaniunt et se sapientes reputant. Procul dubio, certitudo est quærenda, qua parte excludit errandi formidinem, sed insulsum est eamdem certitudinem semper exquirere qua parte intensitatem adhæsionis importat, cum ex hoc capite una sit alia major (40, IV). Qua de causa nescio utrum magis ridiculi quam absurdi dicendi sint illi, qui omnia mathematico more metiri affectant, et in omnibus mathematicam evidentiam irrationabiliter exigunt. Quæ omnia egregie S. Thomas post Aristotelem explanat, lect. V. in libr. II. *Metaphysicorum*, cujus præclara verba hic transcribimus. « *Quidam, inquit, non recipiunt quod eis dicitur, nisi dicatur eis per modum mathematicum.* Et hoc quidem convenit propter consuetudinem his qui in mathematicis sunt nutriti, et quia consuetudo est similis naturæ. Potest etiam hoc quibusdam contingere propter indispositionem, illis scilicet qui sunt fortis imaginationis, non habentes intellectum multum elevatum. » Sed præter hos defectus alios non minus capitales et funestos notat idem S. Doctor. Audiamus iterum ipsum ibidem prosequentem; sunt enim aurea ejus verba. « Alii vero sunt, qui nihil volunt recipere, nisi proponatur eis aliquod exemplum sensibile *(quia certitudinem similem certitudini sensuum in scientiis vellent)*, vel propter consuetudinem, vel propter dominium sensitivæ virtutis in eis, et debilitatem intellectus. Quidam vero sunt qui nihil reputant esse dignum ut aliquid eis inducatur absque testimonio poetæ vel alicujus auctoris. Et hoc etiam est vel propter consuetudinem vel propter defectum judicii : quia non possunt dijudicare utrum ratio per certitudinem concludat; et ideo quasi non credentes suo judicio, requirunt judicium alicujus noti. Sunt etiam aliqui qui omnia volunt sibi dici per certitudinem, id est per diligentem inquisitionem rationis. Et hoc contingit propter bonitatem intellectus judicantis, et rationis inquirentis : DUMMODO NON QUAERATUR CERTITUDO IN IIS, IN QUIBUS CERTITUDO ESSE NON POTEST. Quidam vero sunt qui tristantur, si quid per certitudinem cum diligenti discussione inquiratur : quod quidem potest contingere dupliciter. Uno modo propter impoten-

tiam complectendi : habent enim debilem rationem, unde non sufficiunt ad considerandum ordinem complexionis priorum et posteriorum. Alio modo propter *micrologiam*, id est, parvorum ratiocinationem. Cujus similitudo quædam est in certitudinali inquisitione, quæ nihil indiscussum relinquit usque ad minima. Imaginantur autem quidam, quod sicut in symbolis conviviorum non pertinet ad liberalitatem, quod debeant etiam minima computari in ratiocinio, ita etiam sit quædam importunitas et illiberalitas, si homo velit circa cognitionem veritatis etiam minima discutere. » (Ed. P. fol. 26, col. 1.) — Cf. etiam lect. III. in I. *Ethicorum*.

Præter regulas traditas præ mente habeantur oportet ea quæ diximus tum de mediis ad ideas nostras perficiendas (13), tum de recto terminorum usu (12, VI), tum de definitione ac divisione (14 et *seqq.*), tum denique omnia, ut uno verbo dicam, quæ circa triplicem mentis operationem in toto Dialecticæ opere tradidimus : qui enim Logicam apprime non callet, difficillimum est, ne dicam impossibile, ut expedite et tuto in scientiis proficiat.

III. Regulæ methodi syntheticæ. Methodus synthetica considerari potest tum in quæstionibus proponendis tum in modo eas solvendi. Utrumque considerando, sit :

Regula prima. In proponendis quæstionibus incipiatur semper ab universalioribus. Patet. Est enim methodus synthetica illa, quæ utitur syllogismo stricte sumpto, id est quæ ab universalioribus ad minus universalia procedit. Hujus methodi exemplum splendidissimum in ordinanda scientia theologica primus dedit S. Thomas in sua *Summa theologica*, in qua de Deo in prima parte agens, prius de natura Dei, deinde de attributis, tertio de divinis Personis, quarto de actionibus Dei ad extra disserit, et sic de reliquis; hoc est, incipitur constanter ab universalioribus, ab essentia ad attributa, a causis ad effectus. Nisi id in methodo synthetica fiat, *idem dicitur frequenter*, ut ipse S. Thomas ait in I. *de Anima*, lect. I, in princ.

Secunda regula. In definiendis quæstionibus sumatur exordium a principiis per se notis, sive abstractis sive experimento habitis, sive aliunde certis, et a definitione rei de qua est quæstio. Hæc secunda regula pariter ex natura syntheticæ methodi sua sponte fluit.

IV. Regulæ methodi analyticæ. Methodi analyticæ leges sunt :

Regula prima. Subjectum considerandum in partes divi-

datur atque subdividatur, servatis rigorose legibus divisionis (15, II, III), atque partibus postmodum diligentissime consideratis, judicium de toto feratur.

Regula secunda. Cum methodus analytica a particularibus ad universalia progredi nitatur, omnia et singula servanda sunt quæ ad *inductionis* scientificæ naturam pertinere alibi declaravimus (38 et 39); ad quæ lectorem remittimus ne actum agamus (1).

ARTICULUS SECUNDUS

(45)

De methodo addiscendi per se et docendi alios.

I. **Methodus scholastica.** Postquam opera Baconis a Verulamio in Anglia, et Renati Cartesii in Gallia, reformandæ scientiæ philosophiæ, animi, novitatum amatores sese addixerunt, Scholasticos insectati sunt, eosque ut scientiarum corruptores, nescio utrum majori injustitia vel impudentia designarunt, quasi ipsi omni rerum experientia et analysi posthabita, per inanes abstractiones et subtilitates fuerint vagati. Nec defuerunt catholici ipsi scriptores qui his calumniosis vocibus plausus excitare solerent. Hinc factum est ut methodus *experimentalis* seu *analytica* præ mæthodo *synthetica* in

(1) Methodo analytica maxime utuntur scientiæ experimentales adiumento *experientiæ*, *hypothesis* et *observationis*.

Post Stuart Mill « in hoc operandi genere adhibetur methodus quam vocant *eliminationis*, quæ duplex esse potest. Aut enim per *methodum congruentiæ*, observatis iis in quibus res sub mutatis conditionibus conveniunt, eliminantur ea omnia quæ effectus, de quo agitur, causæ esse non possunt, et hoc modo causa vera detegitur. Aut per *methodum differentiæ* instituuntur experimenta quibus appareat qua ratione aliquis processus differat ab eventibus finitimis; qua differentia manifestatur qui sit nexus inter causam quamdam et affectum. Accedit quæ vocatur *methodus residuorum* secundum quam certo processui subtrahuntur causæ notæ et effectus noti, et jam causa residua ad effectum residuum pertinebit. Vel adhibetur methodus quæ dicitur *variationum concomitantium* per quam appareat, quinam effectus in aliquo processu alicui causæ, quæ ex processu eliminari non potest, adscribendus sit ». (Pesch, *Inst. log.* I, p. 549).

Unio harum viarum dicitur *methodus composita*. Fusiorem explicationem et exempla vide apud Mercier, *Logique*, p. 307 et sqq.

De analysi et synthesi ad invicem comparatis. Cf. Hugon, *Logica Major* pp. 463-467.

scholis fere apud omnes invaleret. Nostro autem hoc sæculo quidam scriptores, traditionalismo addicti, quos inter Bonnetty, methodum scholasticam ut minime congruentem doctrinæ catholicæ explicandæ atque defendendæ, imo vero ut rationalismo acatholico aperte faventem insimularunt. Sed hæc satis. Nunc Scholasticos magistros a calumnia vindicemus.

II. **Scholasticorum vindiciæ.** Et in antecessum solemne erat Scholasticis philosophiam ortam fuisse ab admiratione rerum naturalium; quæ admiratio ut tolleretur, philosophi naturam ipsam *observatione* lustrarunt, ut causas determinarent, quarum ignoratio in admirationem primitus eos rapuerat, ut explicavimus in principio hujus operis, *De philosophia in genere*, n. VI. Qua de causa inter axiomata illud Aristotelis Scholastici acceptabant : *Per experientiam ars et scientia hominibus efficitur.* Quod principium late explicat Angelicus, lect. II. in I. *Metaphysicorum :* qui etiam Lib. III. lect. I. notat de Aristotele quod, *ipse... incipit a sensibilibus et manifestis, et procedit ad separata, ut patet infra, in septimo. Alii vero intelligibilia et abstracta voluerunt sensibilibus applicare.* (Ed. P. fol. 27, col. 1.) Sed experimentum, unde ars et scientia nobis generantur, attentam minutissimamque rerum sensibilium observationem, comparationem, analysim exigit, ut cum ipso sancto Thoma alibi descripsimus (38, VI). Quæ quidem principia duplici ratione Scholastici potissimum probabant : 1° quidem, quia omnis nostra cognitio cum a sensu procedat, primitus et magis cognita nobis sunt singularia quam universalia, cognitione generice accepta; — 2° quia objecta propria et immediata intellectus humani, pro statu conjunctionis animæ nostræ cum corpore organico, sunt naturæ rerum sensibilium, quæ experimentis et analysi cognoscuntur. Hinc analysim, tanti faciebant, ut illam designarent nomine *methodi inquirendi* et *inveniendi* veritatem, quando aliquis proprio marte scientiam quærit (1).

(1) Dupliciter acquiritur scientia ab homine. « Unus (modus) est quando naturalis ratio per seipsam devenit in cognitionem cognitorum, et hic modus dicitur *inventio;* alius quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur *disciplina* », seu doctrina. — S. Thom. Quæst. disput., q. II, *De veritate*, a. 1.

Primus modus dicitur *methodus inventiva*, alius dicitur methodus *disciplinaris*.

Methodus vero didascalica est recta ratio docendi veritatem eos qui eam *primo* addiscunt.

Ast, dicet fortassis aliquis, facta dictis responderunt? Nonne oscitantiæ et negligentiæ, hisce non obstantibus, in naturæ studio jure accusantur Scholastici? Nonne in vanissimas abstractiones abierunt? Respondeo mihi animum non esse quorumdam Scholasticorum vitia defendere : ea enim vehementer improbo; sed dum improbo vitia, simul exigo ut Scholam et Scholasticos, qui hoc nomine digni sunt, quos inter eminet Scholæ magister S. Thomas, mihi vindicare liceat. Sumamus *Summam Theologicam*, et tractatum *de homine* paulisper percurramus : undenam quæso principia omnia tum anthropologica, tum psychologica, tum ideologica asseruntur ac probantur? Numquid *a priori?* Minime gentium; sed ope rigorosæ analysis circa facta conscientiæ. Ita conceptus vitæ et animi immaterialitas, subsistentia, spiritualitas, ceteraque ejus attributa, de quibus agitur. P. I. Qu. LXXV et seqq., nonnisi post analysim statuuntur. Quod si ad tractatum pergimus de *passionibus* in prima *secundæ partis*, facile erit ostendere S. Thomam præ omnibus mortalibus intimas cordis humani latebras fuisse scrutatum. Quam veritatem fatetur Carolus Jourdain, in Opere quod inscripsit, *Philosophia S. Thomæ*, tom. I. §. IV, pag. 175, quamvis methodi analyticæ auctorem faciat Baconem a Verulamio. At nihil tribuendum est Baconi, nisi excessum, et ideo usum perversum methodi analyticæ, ut supra dixi, et mox iterum probabo exponendo methodum S. Thomæ. — Doctores autem Scholasticos a calumnia rationalismi vindicavit Ecclesia ipsa Catholica. Inter propositiones enim, quas Sacra *Indicis* Congregatio subscribendas Bonnetty mandavit, et quibus iste libenter subscripsit, est quarta tenoris sequentis : « Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos Scholastici, non ad rationalismum et pantheismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas modernas philosophia in naturalismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint. » Et in *Syllabo* SS. Pii Papæ IX damnatur sequens propositio, quæ est XIII : « Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt. »

III. **Methodus D. Thomæ.** Quod analysi usus S. Thomas fuerit, quod ipsam ut veram methodum sequendam in scientiarum inventione proclamaverit, abunde, ut puto, probavimus; unde a compositis ad simpliciora, a particularibus

ad universalia sese attollit, et sive res, sive ideas dividit et subdividit, usque dum ad transcendentales ideas et prima principia omnium judiciorum perveniat. At vero sapiens nemo est qui veritates sine ordine atque nexu teneat : etenim connexæ sunt veritates, et sapientia non est aliud quam prægrande ædificium, cujus pulchritudinem connexio et unitas partium constituunt. Hæc igitur unitas danda est veritatibus per analysim habitis : et ad hanc unitatem consequendam sese vertit Aquinas. Sed quodnam erit fundamentum? Id nempe quod est firmum, stabile, universale denique : scientiæ enim firmitas a firmitate objecti tota est, et firmitas objectis universalibus inest; nam contingentia mutabilia sunt, et, ut talia, objectum scientiæ nostræ esse nequeunt. Inter universalia vero unum ab altero logice pendet, et unum alterum subaudit et includit ut jam ex dictis colligi potest, et ex dicendis in Ontologia magis patebit. Ergo ut corpus scientiæ, apte quoquoversus perfectum habeatur, ab universalioribus exordiendum est, ac gradatim, ad particularia veniendum, ut hæc secunda multitudinem, illa vero unitatem et lucem conferant : et sic universalia ad quæ *inventione* seu *analysi* pervenitur, sint prima in ordine *synthetico* seu *compositionis*, seu *doctrinæ* (hæc enim idem sonant Scholasticis), atque scientia ex analysi simul et synthesi perbelle resultet. Id peregit Angelicus tali profunditate, perspicuitate, nexuque idearum, ut ex doctissimorum hominum consensu nemo melius fecerit, nemo melius sit facturus. Contra Baco a Verulamio in analysi sistit, et ideas relinquit sine unitate, sine ordine, sine scientia. — Quod vero in disponendis quæstionibus methodo synthetica rigorosa fuerit semper usus Angelicus, atque in iis definiendis syllogismum adhibuerit, ratio est quia non solum ædificium scientificum elevare intendebat, sed etiam et alios docere. In *doctrina* vero *tradenda*, a simplicioribus et facilioribus est incipiendum, nempe a primis principiis, quæ nemo ignorat. Attamen nunquam analysim prætermittit, ut jam diximus, sed sapientissime quæstiones methodo *mixta* solvit, nempe modo *synthetica*, modo *analytica*, prouti natura ipsius quæstionis patitur. Videant igitur cordati homines si diris devovenda erat methodus thomistica, cum ipsa tum ordini scientifico, tum processui rationis humanæ *addiscentis* vel *docentis* tam apte respondeat (1).

(1) Cur et qualiter S. Thomæ studere debeamus, Cf. Berthier, *L'étude de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin*. Friburg, 1893.

IV. Methodus Wolfiana. Merito scripsit Genuensis quod S. Thomas *Theologicam suam Summam* scripsit *methodo ferme Euclidea* : quam sane S. Thomæ methodum, supra explicatam, sequendam esse nemo sanus inficiabitur. Attamen verba Genuensis non ita sunt accipienda quasi methodus S. Thomæ conveniat cum methodo mathematica, quam Alanus Lillensis adhibuit sæculo XIII, quam Spinoza turpissime imitatus est, et quam Wolfius secutus est in suis operibus conscribendis. Methodus enim mathematica rebus mathematicis convenit; aliis non convenit, quia non omnia mathematica evidentia possumus demonstrare, ut ex ipso S. Thoma in articulo præcedente audivimus. Defectus vero gravissimos, quos methodus mathematica præ se fert in scientiis philosophicis, ob oculos ponit doctissimus Daniel Concina O. P., in Dissertatione Prolegomena ad suum Opus, *De jure naturæ et gentium*, Cap. VI. n. III. cujus verba hic transcribo, tum quæ methodum S. Thomæ commendant, tum quæ methodi Wolfianæ defectus demonstrant. « Scholasticorum docendi ratio, si non corticem et superficiem ejusdem, sed medullam et spiritum spectes, eadem apud omnes semper fuit. Est quippe forma ratiocinandi ipsi intellectui veluti ingenita. Quid, amabo te, discriminis inter S. Thomæ articulum et orationes Demosthenis, Marci Tullii Livii? Non sane aliud, nisi quod illi methodum, in oranda causa servatam, verborum elegantia, figurarum apparatu, eloquentiæ ubertate vestiunt, ornant venustamque efficiunt; contra Scholastici his ornamentis et lenociniis causam suam exutam proponunt. Ceterum tam in oratione Tulliana, quam in articulo S. Thomæ hæc servatur ratio. Primum status quæstionis clare proponitur. Quæ faciliori causæ intelligentiæ viam aperiunt, puta principia certa, de quibus disputatio nulla est, quid declinandum, quid summopere advertendum, ut punctum controversiæ intelligatur, præmittuntur; quæ omnia unico verbo *prænotanda*, seu *præsupposita*, Scholastici vocant. Deinde rationes pro causa suscepta oratione simplici, perspicua, cujusque artificii vacua adducunt. Post objecta adversariorum resolvunt. Hanc insistit viam S. Thomas, Scholasticorum facile princeps. Hæc ipsa ratiocinandi forma elucet in orationibus Demosthenis, Marci Tullii, omniumque Rhetorum ». Hæc de Scholasticorum methodo. Quoad vero methodum Wolfianam scribit, *Op.* et *loc. cit.* n. IX : « Wolfiana methodus suapte natura eo spectat, ut adolescentum cerebra perturbet eorumque fibras disrumpat, ut in eorum mentes non scientiam, non eruditionem, sed stultitiam, si vellent sedulo illarum propositionum connexionem comprehendere, inducat. Quod si neges, dicas velim, quænam sit melior tractandæ scientiæ, suadendæque veritatis

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

methodus. Illa dubio procul quæ facilius, expeditius, clariusque in hominum mentes veritatem defert. Quemadmodum ea locutio dicitur nobilior, excellentior, quæ paucioribus verbis, et majori perspicuitate cogitationes meas alteri communicat. Atqui methodus Wolfiana per ambages et circuitus veritatem ad hominum mentes defert. In quinquaginta propositiones dividit methodus hæc doctrinam quæ unica et ad summum duabus propositionibus plenissime exhauriri poterat... Ut probet propositionem trigesimam, modo te remittit ad decimam, modo ad quinquagesimam. Illuc pergis, et continuo aliam citationem offendis quæ te mittit ad philosophiam moralem. Arripis iter, et illuc cum perveneris, quasi lætus de invento demonstrationis promissæ arcano, en tibi obviam alia citatio, quæ te remittit ad *Logicam :* et hæc te iterum ad *Noologiam:* et hæc quoque iterum te in gyrum agit ad *Psychologiam :* et hæc te circumagit ad *Cosmologiam :* hinc revocaris ad *Theologiam* naturalem : et tandem hæc te denuo ad *jus naturæ* amandat, ut continenter per hunc te rotes circulum. » Hæc forte exaggerato stylo a Concina dicta sunt, sed nemo prudens negabit Wolfianam methodum revera mentes sine causa et sine fructu defatigare (1).

---

(1) *Methodus eclectica* designat quamdam selectionem veritatum quæ plus minusve inveniuntur in omnibus systematibus et in quolibet auctore.

Eclectismus absolutus (qui dicitur etiam syncretismus) asserit nullum posse dari errorem purum, cum omnis error sit veritas incompleta, quæ per indefinitum humanæ rationis progressum postulat compleri per diversas theorias et systemata.

Eclectimus temperatus judicat non omnia vera et perfecta in omnibus systematibus inveniri, sed in omnibus, licet maxime erroneis, veritatem aliquam semper commisceri : philosophi has veritates debent seligere et ex his ædificium scientiæ componere. Prima forma docetur a transcendentalibus Germanis, alia præsertim a Cousin.

Fundamentum Eclectismi sive proximum sive remotum est negatio distinctionis verum inter et falsum, ita ut falsum sit inchoata veritas.

Ista methodus sub utraque forma est rejicienda : 1° quia in multis systematibus veritas fere nulla invenitur; 2° quia error necdum tollit perfectionem, sed naturam et essentiam veritatis; 3° quia *selectio* veri a falso in qualibet disciplina *supponit* præcepta, instrumenta, media, idest *methodum;* ergo non est methodus; 4° quia methodus debet esse *scientifica,* dum e contra eclectismus est tantum historicus. — Cf. de iis HUGON, *Logica Maior,* p. 472. — PESCH, *Inst. Logicales,* vol. 3, p. 501.

ARTICULUS TERTIUS

(46)

De methodo disputandi.

I. Methodus disputandi describitur. Usus in scholis invaluit, ut bis aut ter in hebdomada disputationes instituantur, quæ *circuli* communiter audiunt. A respectivæ facultatis Professore *thesis* stabilitur quæ discipulo, a quo est defendenda, traditur. Die præstabilita, in publica schola, discipulus *defendens* cathedram, quam Professor ipse moderatur, conscendit, thesim stando enuntiat, ac brevi dissertatione ipsam probat. Qua demonstratione finita, alius discipulus, qui *arguens* propterea dicitur, contra thesim probatam a *defendente* insurgit, illique opponit *contradictoriam*. Non necesse est ut defendens repetat hanc contradictoriam sibi ab arguente oppositam : imo inutilis est hæc repetitio, et est temporis jactura. Unde arguens *contradictoriam* thesi oppositam statim probet. Probatio vero debet fieri syllogismo non epicherematico, et qua fieri potest breviori forma. — *Defendens* imprimis integrum syllogismum *arguentis* repetit; deinde eumdem syllogismum assumit, non integrum sed per partes. Nempe : 1° assumit *majorem*, ut circa ipsam judicium proferat, eam *concedendo*, aut *distinguendo*, aut *transmittendo* (si ad rem non faciat), aut *negando* (quo in casu, nisi aliqua præmissa fuerit distincta, propositionem præmissam negatam a *defendente* tenetur *arguens* probare); 2° assumit *minorem* et eodem modo judicium enuntiat de ipsa; 3° assumit conclusionem, et si opus est, eam distinguit, secus dicit : *Nego consequens et consequentiam, et explico distinctionem*, vel, *distinctiones datas*. Atque hic *defendens* uberiori sermone explicat distinctiones *scholastice*, hoc est, verbis brevissimis datas resumendo *antecedens*. — Postea vero *arguens* subsumit, hoc est probandam generatim suscipit de syllogismo primitivo illam propositionis partem, quam distinguendo negavit *defendens*, aut saltem (sed id rarius accidit) ex parte concessa conatur inferre illationem thesi oppositam : quod subsumptum ipse *defendens* repetit et negat, et arguens alio syllogismo probat; circa quem se gerere debet *defendens* sicut circa primum dictum est, atque ita porro circa alia *subsumpta*, aliosque syllogismos *arguentis*. Hæc summatim sunt,

quæ in disputationibus scholasticis aguntur, quæque usu magis dignoscuntur.

II. Leges servandæ in disputationibus scholasticis. Sed in hisce disputationibus leges nonnullæ sunt exacte observandæ, ne quod per se ordinatur ad majorem veritatis dilucidationem, in scurrilitates et jacturam temporis et ingenii, ut non raro accidit, degeneret.

REGULA PRIMA. Quæstio definienda sit gravis, talis nempe ut aliquid emolumenti adolescentes percipiant ex discussione. Quæstiones enim quæ nonnisi subtilitatem præ se ferunt, vanæ sunt et stultæ, hoc est, non ducentes ad veritatem sed ad litem, ut recte notatur a S. Thoma, *Commentar.* in caput II. Epistolæ S. Pauli ad Timoth. II. lect. III. super illud Apostoli : *Servum Dei non oportet litigare.* Qua in re audiatur etiam Melchior Canus, Lib. IX. *De locis theologicis*, cap. VII: « Alterum enim est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quo in genere multos etiam e nostris peccasse video; ut eas quoque quæstiones latissime persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed in hac re prudens tamen, ut Platonis Aristotelisque discipulum possis agnoscere, qui nec quicquam nisi opportunis et loco et tempore tractaverunt, nec quæstiones ullas persecuti sunt, quæ juvenum ingenia obruerent, non juvarent. »

REGULA SECUNDA. Disputatio incipiat et prosequatur non libidine vincendi adversarium, sed amore magis magisque declarandi veritatem. Non enim scholæ exercitatio est pugilatus aut arena gladiatorum, quibus victoria propria et mors aut confusio adversarii finis est; sed est pacifica palæstra ad juvenum ingenia exercenda pro veritatibus dilucidandis, ut postea valeant captiosas hominum, verorum nempe adversariorum, argumentationes agnoscere, ac detegere ubi veritas, ubi error consistat. « Disputationis disciplina, inquit Augustinus in secundo Libro *De Doctrina Christiana*, cap. XXXI. n. 48, ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet : tantum ibi CAVENDA EST LIBIDO RIXANDI, ET PUERILIS QUAEDAM OSTENTATIO DECIPIENDI ADVERSARIUM. »

REGULA TERTIA. Hinc omnino cavendum est arguenti a sophismatibus : hæc enim dum usurpantur non animum sapientem, sed ostentatorem sapientiæ vanæ et ridiculæ demonstrant. Objectiones ergo quæ thesi opponuntur, non in captione so-

phismatis, sed a re ipsa vim apparentis veritatis desumant. Tantum licitum esse tunc existimo sophisma, quando ab aliquo sophista, contra veritatem prolatum, famosum est et ad fucum faciendum imperitis aptum : quo in casu citandus est sophista, ut finis per quem sophisma proponitur omnibus sit perspectus.

Regula quarta. Disputatio intra limites quæstionis propositæ contineatur ab arguente in opponendis difficultatibus et subsumendo : secus enim neque rixæ pueriles vitantur, neque definitur quæstio. A quo vitio non satis cavent qui subsumunt partem *generalem*, atque ad eam probandam insistunt tali nisu, ut post primum aut secundum *subsumptum* extra quæstionem prorsus excurrant, et nihil ejus definiatur, quod definiendum fuerat susceptum.

III. Utilitas disputationum scholasticarum. Quibus præceptis aliisque quæ prudentia unicuique suggerit, si attendatur, nemo est qui non videat quantæ utilitatis sint scholasticæ disputationes ad ingenia exercenda. Etenim vexatio, quæ tum defendentem tum arguentem exagitat, mentem attentam reddit, ingenium acuit, promptius reddit, et veritas ipsa veluti cribrata atque exuta omnibus difficultatibus, magis magisque elucet (1).

---

(1) *Schema generale* juxta quod fit processus in quæstione aliqua dialectice solvenda :

I. Dubia exponuntur;

II. Status quæstionis :

1. Definiantur obscura,

2. Quæstio juxta illas definitiones determinetur et ponatur *thesis*,

3. Thesis historia.

III. Thesis probatio :

1. Indirecta : *a)* argumento negativo (imprudentia dubii); *b)* retorsione; *c)* argumento per absurdum.

2. Directa : *a)* propria experientia vel ratione (evid. interna) sive a priori, sive a posteriori, ex causa remota vel immediata et propria; *b)* ex aliorum experientia i. e. ex auctoritate (ev. externa).

IV. Responsio ad dubia :

Hæc, est ordinatio argumentorum schematice proposita, qualiter in pulchra et a scholasticis nobis commendata methodo invenitur. Hic prospectus a D. Reinstadler *(Elem. phil. sch.)* olim discipulo in coll. Div. Thomæ Aq. de Urbe desumpsimus.

Cf. Hugon, t. I, pp. 474-483.

FINIS PRIMAE PARTIS LOGICAE

LOGICÆ

PARS ALTERA

SEU

CRITICA

Prologus. Egimus in prima Logicæ parte, quæ *Dialectica* audit, de instrumentis quibus mens humana utitur ad acquirendam veritatem; nunc accedimus ad designanda et vindicanda principia seu media, quibus nititur ipsa humana mens ad rerum certitudinem capessendam. Nisi enim firmissima et extra omnem dubitationis aleam sint hujusmodi principia, nihil certi in cognitionibus nostris constitui potest. Hoc officium ad *Criticam* pertinet, quæ nempe edisserit ac judicat de validitate mediorum, quibus homo naturaliter est instructus ad veritatem consequendam, et quæ etiam de *Locis philosophicis* jure merito dici potest, quia locos unde philosophus argumenta ducat ad veritates confirmandas et adversariorum sententias refellendas explorat atque designat (1). — Quem vero ordinem duco esse sequendum paucis accipito. Quoniam Logica pro officio habet mentem dirigere in cognitionem veritatis, præprimis contra Scepticos stabiliendum est mentem nostram posse cum omnimoda certitudine veritatem contingere : ut enim sapienter Augustinus scribit in lib. II. *contra Academicos*, cap. IX. n. 23, *nisi... prius tam*

(1) CRITICA (a voce κρινειν = discernere) vel *Logica Maior*, ab hodiernis consuevit appellari *criteriologia* (a κριτηριον et λογος) quia objectum ejus principale sunt criteria seu motiva certitudinis; aut etiam *Epistemologia* (επιστημη = scientia) i. e. scientia certitudinis. Problema igitur quod solvendum proponitur in Critica est scire an objectum cognitionis nostræ sit ens *reale* vel *fictum*, i. e. an in nobis vel extra nos. Propterea *critica* vocari etiam posse ***scientia de locis philosophicis.***

mihi persuasero verum posse inveniri, quam sibi illi (Academici) *non posse persuaserunt, non audebam quærere, nec habeo aliquid quod defendam.* Statuta possibilitate consequendæ certitudinis, edisserendum venit de *mediis*, quibus ad illam mens nostra pervenit. Quia vero media ista multa sunt, de *ordine* atque de præeminentia inter illa dicemus. Tribus igitur libris totum argumentum secundæ partis Logicæ absolvam.

LIBER PRIMUS

DE POSSIBILITATE CONSEQUENDI CERTITUDINEM

Prologus. Sceptici, a σκέπτομαι hoc est *consulere, quærere*, dicti sunt, quia nempe veritatis investigationem sibi propositam habent, sed nunquam veritatem ipsam inveniunt, imo nec posse inveniri contendunt. Ideo in omnibus assensum sustinent, ac de omnibus dubitant. Hæc Diogenes Laertius in vita Pyrrhonis. Qui vero certitudinem veritatis contra Scepticos admittunt, *dogmatici* appellantur. — Sceptici dividuntur in *sensistas*, *subjectivos*, *ontologos* et *morales*, prout in dubium vertunt aut unum aut alium certitudinis fontem. Quam divisionem non improbo, sed, ut nimis intricatam haud sequor, ratus scepticismum et melius et clarius dividi posse in *generalem* et *partialem*, prout nempe vel universaliter proclamat nihil certo sciri ab homine posse, vel solummodo veracitatem sive sensuum, sive intelligentiæ, sive alterius criterii impugnat. De generali scepticismo assumo disputandum in primo isto libro; de partiali scepticismo erit sermo, cum singulorum criteriorum firmitatem vindicabimus in secundo libro. Hoc pacto, ni fallor, nedum claritati consulitur, sed etiam impositæ brevitati, quia earumdem rerum repetitio devitatur.

CAPUT UNICUM

DE SCEPTICISMO

Prologus. Ut ex prologo præcedenti liquet, nobis quæstio cum Scepticis est. Scepticismus autem universalis alius est absolutus, cui dogma est *nihil certi* a mente nostra co-

gnosci posse, sed omnia dubia esse; alius est hypotheticus, qui scilicet vult omnia in dubium esse revocanda, non ut in dubitatione persistat, sed ut experiatur num aliqua supersit veritas de qua dubitare menti humanæ sit impossibile, quæque præbeat fundamentum ad scientiæ ædificium solidius contra Scepticorum absolutorum tentamina extruendum. De utroque igitur scepticismo est dicendum : et 1° *de scepticismo absoluto;* 2° *de scepticismo hypothetico.* His præmitto articulum, *de actibus, quibus mens veritatem consequitur.*

ARTICULUS PRIMUS

(47)

De actibus quibus mens nostra veritatem consequitur (1).

I. Veritas logica per simplicem apprehensionem : 1° a mente habetur quidem ; 2° sed imperfecto modo. Veritatem mentalem seu logicam jam diximus (40, I) consistere in adæquatione inter intellectum et rem, quatenus scilicet id quod mentaliter in mente nostra exprimimus revera respondet rei ipsi. Quia vero mentaliter aliquid dicitur tum simplici *apprehensione* tum *judicio*, affirmamus : 1° per simplicem apprehensionem veritatem haberi; — 2° sed imperfecto modo.

Probatur prima pars conclusionis. Veritas, de qua impræsentarium exclusive loquimur, est veritas cognitionis, ut ex ejus definitione est manifestum. Sed cognitio, eo ipso quod est cognitio, ordinem seu relationem essentialiter importat (sicut ad proprium terminum) ad objectum cognitum : quo sublato, perit ipse cognitionis conceptus. Ergo ubicumque invenitur cognitio, ibi aliqua ratione esse debet veritas logica, quæ intime connectitur cum relatione, seu ordine cognitionis ad cognitum. Atqui simplex apprehensio est vera et proprie dicta cognitio : per ipsam enim scimus, aliquo saltem modo, quid res sit, antequam varia attributa de re ipsa per judicium affirmemus vel negemus. Igitur mens per simplicem apprehensionem veritatem logicam consequitur. — Attamen imperfecto modo; nam :

Probatur secunda pars conclusionis. Simplex apprehensio in nobis ordinatur ad judicium : quia, cum apprehenden-

(1) Hic sunt recolenda quæ supra ab Auctore tradita sunt de diversis mentis statibus respectu veritatis. *Dialect.* Lib. III, cap. IV.

do quid sit res, non ex hoc ipso quæ rei insunt intelligimus, sed divisim et successive, necesse est ut quæ seorsum per simplicem apprehensionem intelligimus, in unum compositum logicum redigamus; quod fit per judicium. Ergo simplex apprehensio se habet ad judicium, sicut cognitio imperfecta se habet ad perfectam; et quia veritas logica sequitur cognitionem, patet veritatem in simplici apprehensione non esse nisi imperfecto et inchoato modo.

II. Objectio solvitur contra secundam partem conclusionis. Dices : Deus omnia cognoscit non judicio, sed simplici intelligentia; et tamen perfectissimam habet rerum omnium veritatem. Cur ergo in nobis simplici apprehensioni veritas perfecto modo inesse nequit?

Respondeo nos denegare simplici apprehensioni perfectam rationem veritatis, non qua cognitio est, sed qua in nobis cognitio imperfecta est. In Deo autem simplex intuitus dicit absolutissimam et perfectissimam cognitionem. Unde paritas assumpta in objectione non tenet. Audiatur S. Thomas : « Sicut *(Deus)* scit materialia immaterialiter..., ita scit enuntiabilia non per modum enuntiabilium, quod scilicet in intellectu ejus sit compositio vel divisio enuntiabilium, sed unumquodque cognoscit per *simplicem intelligentiam*, intelligendo essentiam uniuscujusque : sicut si nos hoc ipso quod intelligimus *quid est homo*, intelligeremus omnia quæ de homine prædicari possunt. Quod quidem in intellectu nostro non contingit, qui de uno in aliud discurrit, propter hoc quod species intelligibilis sic repræsentat unum quod non repræsentat aliud. Unde intelligendo *quid est homo*, non ex hoc ipso alia quæ ei insunt intelligimus, sed divisim secundum quamdam successionem. Et propter hoc ea, quæ seorsum intelligimus, oportet nos in unum redigere per modum compositionis vel divisionis, *enuntiationem* formando. Sed species intellectus divini, scilicet ejus essentia, sufficit ad demonstrandum omnia. Unde intelligendo essentiam suam, cognoscit essentias omnium, et quæcumque eis accidere possunt. » P. I. Qu. XIV. Artic. XIV. — Cf. III. *Contra Gentiles*, Lib. III. Cap. CVIII. n. 4; et *Commentar.* Dominici Bannes in Qu. XVI. artic. II. *Summæ Theol.* P. I.

III. Mens nostra simpliciter apprehendens : 1° est semper vera PER SE; **2° at** PER ACCIDENS **potest ipsi inesse falsum.** Loquimur, ut patet, de veritate eo modo imperfecto, quo veritas apprehensioni simplici inest, ut probatum est.

Probatur prima pars conclusionis. Per simplicem appre-

hensionem mens nostra aut rem cognoscit aut non cognoscit. Si primum, apprehensio eo ipso vera est, quia conformis. Si secundum, rem non apprehendit, sed ejus cognitione caret, et aliam loco illius apprehendit; et consequentur respectu secundæ vera erit apprehensio. Quocumque igitur modo consideretur apprehensio, *per se*, seu ut est sola apprehensio, aut nulla est, aut vera *per se* est. Cf. Opusc. XLVIII inter Opusc. S. Thomæ, *Tractatus De interpretatione seu enuntiatione*, Cap. V. (Ed. P., fol. 25, col. 2), et P. I. Qu. XVII. Art. III, et Qu. LXXXV. Artic. I, ad 1. Quæ omnia ex secunda conclusionis parte magis patescent. Unde :

Probatur secunda pars conclusionis. Hanc secundam conclusionis partem demonstrat S. Thomas, P. I. Q. XVII. Artic. III. hisce verbis : « Per accidens *(nempe quatenus simplici apprehensioni aliquid aliud conjungitur)* etiam in operatione intellectus, qua cognoscit *quod quid est*, potest esse falsitas, inquantum ibi compositio *(nempe judicium)* intellectus admiscetur. Quod potest esse dupliciter. Uno modo, secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri; ut si definitionem circuli attribuat homini : unde definitio unius rei est falsa de altera. Alio modo, secundum quod partes definitionis componit ad invicem, quæ simul sociari (8, VII) non possunt. Sic enim definitio non est solum falsa respectu alicujus rei, sed est falsa in se; ut si formet talem definitionem, *animal rationale est quadrupes*, falsus est intellectus sic definiendo, propterea quod falsus est in formando hanc compositionem, *aliquod animal rationale quadrupes*. Et propter hoc in cognoscendo *quidditates simplices* non potest esse intellectus falsus, sed vel est verus vel totaliter nihil intelligit. » — Cf. etiam Qq. Dispp. *de veritate*, Qu. I. Artic. III; et III, *contra Gentiles*, Lib. III. Cap. CVIII.

IV. Veritas vel falsitas logica plene et perfecte habetur per judicium. Hæc conclusio est imprimis corollarium primæ conclusionis demonstratæ in hoc articulo. Duæ enim sunt mentis operationes, simplex apprehensio et judicium. Sed veritas logica plene atque perfecte non est in apprehensione simplici; ergo aut in nulla mentis operatione esse potest, quod est absurdum, aut esse debet in judicio. — Deinde : In omni *propositione* absolute et perfecte veritas vel falsitas invenitur : nemo enim est qui, solius ductu sensus communis, audiens has duas propositiones : *circulus est rotondus; circulus est quadratus*, non dicat primam esse absolute veram, alteram

absolute falsam. Sed propositio est ipsum judicium voce vel scripto expressum (20, I). Ergo in judicio absolute et perfecte veritas aut falsitas invenitur. — Confirmatur denique ex ipsa natura judicii et veritatis logicæ. Hæc enim, ut sæpe dictum est, in conformitate inter intellectum et rem consistit. In omni autem judicio aliquod prædicatum rei alicui, seu subjecto, aut tribuitur aut denegatur (10, per tot.). Porro, aut prædicatum revera subjecto convenit, sicut intellectus affirmat, aut non convenit. Si primum, habetur plena atque perfecta conformitas inter intellectum judicantem et rem judicatam, et consequenter plene atque perfecte veritas logica. Si secundum, habetur plena atque perfecta difformitas inter unum et aliam, et consequenter plene logica falsitas. Stat igitur veritatem aut falsitatem logicam plene atque perfecte inesse judicio. — De his fuse Angelicus. Qp. Dispp. *de Veritate*, Qu. I. Art. III. — Quia vero propositio est signum instrumentale judicii, sicut terminus oralis vel scriptus est signum instrumentale conceptus mentalis, et judicium et simplex apprehensio sunt signa *formalia* rei apprehensæ vel judicatæ (1, VII; 10, II et IV); hinc Scholastici aiebant veritatem logicam esse in propositione sicut in signo *instrumentali*; in judicio autem sicut in signo *formali*.

V. De Conformitate requisita ad veritatem logicam. Quod veritas logica conformitatem importet intellectus cognoscentis cum re cognita sæpe dictum est; sed hic exscribere lubet articulum II, quem habet S. Thomas P. I. Qu. XVI, illumque declarare, ne ibi inveniatur occasio errandi, ubi contra est doctrina profundissima. Ad quæstionem igitur. *Utrum veritas sit tantum in intellectu componente et dividente*, seu judicante (18, IV), sic respondet : « Verum, sicut dictum est *(artic. præced.)*, secundum sui primam rationem est in intellectu. Cum autem omnis res sit vera, secundum quod habet propriam formam naturæ suæ; necesse est quod intellectus, inquantum est cognoscens, sit verus, inquantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma ejus, inquantum est cognoscens (1, IV). Et propter hoc per *conformitatem intellectus et rei* veritas definitur. Unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem, quæ est inter rem visam, et id quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest : sed tamen non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo *quod quid est*. Sed quando

judicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo *cognoscit* et *dicit verum*. Et hoc facit *componendo* et *dividendo*. Nam in omni propositione aliquam *formam significatam* per *prædicatum*, vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea. Et ideo bene invenitur quod sensus est verus de aliqua re, vel intellectus cognoscendo *quod quid est*, sed non quod cognoscat aut dicat verum. Et similiter est de vocibus incomplexis. Veritas igitur potest esse in sensu, vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re vera, non autem ut *cognitum* in cognoscente : quod importat nomen veri. Perfectio enim intellectus est verum, *ut cognitum*. Et ideo proprie loquendo veritas est in intellectu componente, et dividente, non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est. » — Hucusque S. Thomas, cujus illa verba, *conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem*, superficie tenus accepta, significare videntur veritatem non haberi a mente nostra nisi per solam cognitionem reflexam (9, III) : nam cognoscere conformitatem sui ad rem judicatam ad reflexivam cognitionem pertinere videtur. Attamen absurdum omnino est a cognitione directa ablegare veritatem.

Doctissimus itaque Cajetanus, inter S. Thomæ commentatores facile princeps, exponens verba citata, animadvertit intellectum cognoscere conformitatem sui ad rem cognitam, dupliciter intelligi posse, nempe in *actu signato* et in *actu exercito*. Vocabula lector non abhorreat, quæ statim explico. In actu *signato* cognoscere conformitatem, idem est ac intellectionem terminari ad ipsam conformitatem, ut ad objectum intelligibile, eo modo quo in aliis intellectionibus ad alia intelligibilia mens terminatur; ut si dicerem, intelligo *meam conformitatem*, sicut dico, intelligo *meam intellectionem*. In actu *exercito* cognoscere conformitatem idem est ac aliquid mentaliter judicare de objecto *intellecto* quod ipsi revera sit *conforme*, seu est scire et affirmare objectum in se esse sicut a nobis et in nobis mentaliter exprimitur. Ut cum mente dico : *homo est doctrinæ capax*, scio et affirmo objectum mei conceptus objectivi (1, VII) revera in se esse sicut est in meo conceptu formali, seu prouti a me exprimitur et affirmatur : quo in casu, ut quisque per se videt, non *conformitas* est objectum mei judicii, sed *homo :* quem, quia assero in se esse sicut est in meo conceptu, simul scio et enuntio *conformitatem* inter meum conceptum *formalem* hominis, et hominem ipsum. « Cognoscere conformitatem *in actu signato*, inquit Cajetanus, est cognitionem terminari ad relationem conformitatis; co-

gnoscere vero conformitatem *in actu exercito* est cognoscere aliquid in se, ut conforme cognito. »

Porro verba sancti Thomæ citata non sunt accipienda de cognitione conformitatis in *actu signato*, sed in *actu exercito* : etenim sexcentis in locis inculcat in quocumque intellectus judicio inveniri veritatem vel falsitatem; judicium vero non circa *conformitatem* ut *objectum* semper versatur, ut quisque facile concedit. At certum tamen est quod quoties intellectus judicat, ideo judicat quia scit se aliquid exprimere quod est conforme rei. Unde sæpe sæpius homines dicentes audimus : *Non ita se res habet, sicut tu dicis, sed sicut ego affirmo :* quod est cognoscere et asserere *conformitatem* inter *dictum* a mente et rem expressam *dicto* illo. Minime autem requiritur reflexio proprie dicta (9, III), ut mens *aliquid* per judicium *dicat* conforme rebus, in quo diximus consistere conformitatis cognitionem *in actu exercito :* etenim, ut recte notat Dominicus Bannes in Commentario ad articulum supracitatum, in respons. ad 4, ad hoc ut mens dicat de rebus ita se habere, sicut ipsa de ipsis rebus judicium format, non requiritur quod reflectatur, sed satis est ut actu directo judicium de re exerceat, et tunc dicitur cognoscere conformitatem suam *in actu exercito*. — Ex quibus pariter infertur ad rationem veritatis logicæ nullo pacto requiri ut mens sibi dicat : *ego conformor rebus;* hoc enim judicium est reflexum, quod aliud judicium directum subaudit in mente cognoscente rem esse vel non esse et consequenter ipsam veritatem logicam (1).

(1) In philosophia quæ dicitur « nova » veritas definitur ut quid subjectivum, relativum ad dispositiones psycologicas et semper mutabile. « La vérité n'a rien de statique. Ce n'est pas une *chose*, mais une *vie* : c'est moins un terme qu'une croissance. Ce qu'il y a de stable en elle, c'est, avant tout, une orientation, un sens de développement ». Le Roy, *Correspondance de l'Union pour la vérité*, 1906, p. 98. — Cf. De Tonquédec, *La notion de vérité dans la philosophie nouvelle*, 1908, Paris.

Manifeste nimis hæc conceptio veritatis favet subjectivismo et magis elucet veritas doctrinæ scholæ in qua docetur : « Judicium esse verum si consonet rebus, cum intellectus judicat esse quod est vel non esse quod non est. » (S. Thom. *Periherm.*, I, 3). « La définition traditionnelle : *veritas est adæquatio rei et intellectus*, est donc irréprochable, mais il faut bien l'entendre. Appliquée à la vérité objective, elle signifie : la conformité d'une chose perçue avec son type idéal. Appliquée à la vérité *logique*, elle signifie : L'accord d'un jugement avec la convenance ou la répugnance objective des deux termes du rapport sur lequel porte le jugement ». MERCIER. *Critériologie générale*, chap. I.

ARTICULUS SECUNDUS

(48)

De scepticismo absoluto.

I. De certitudine vulgari et philosophica Si mens de re judicando, et veritatem logicam vi ipsius judicii consequendo, firma adhæsione, quæ excludat omnem errandi formidinem, teneat subjecto cuicumque convenire prædicatum quod ipsi illa tribuit, habetur *certitudo*, ut alibi fuse explicavimus (40, II, *seqq.*). Atqui pro intelligentia quæstionis definiendæ contra scepticos, notandum est certitudinem dispesci in *vulgarem* et *scientificam*. — Certitudo *vulgaris*, quæ etiam *directa*, *simplex*, *facti*, *historica*, *naturalis* a nonnullis, quamvis non semper proprie, appellatur, est *mentis firma adhæsio alicui cognoscibili sine ulla errandi formidine* (id enim est essentialis conditio certitudinis), *quin tamen reflexione mens secum ipsa definiat* motivum *seu criterium quo intelligibili objecto verum assensum præbuit aut actualiter præbet*. Hac certitudine, respectu plurium tum principiorum tum conclusionum, omnes singulique homines usum rationis habentes, potiuntur. — Certitudo *philosophica*, quam etiam *reflexam*, *juris*, *scientificam*, *logicam*, *demonstrativam* aliisque similibus vocabulis appellant, est eadem prorsus cum certitudine *vulgari* qua parte importat firmitatem adhæsionis, et errandi formidinem excludit; sed differt in hoc quod per ipsam explicite scitur et assignatur *motivum* seu *criterium* quo mens veritati cognitæ firmiter adhæret : seu, ut verbis utar S. Augustini, mens per certitudinem philosophicam *scit scire*. Quibus præmissis, ad scepticismi absoluti examen accedimus.

II. Quæstionis definiendæ natura. Quæstio definienda inter nos et scepticos non est de certitudine vulgari sed de scientifica : non enim una cum scientifica certitudine sceptici negarunt vel negant certitudinem vulgarem. Quocirca nomine scepticismi intelligitur, *systema quo affirmatur certitudinis vulgaris nullum motivum esse vel cognosci a ratione posse;* atque ideo negatur certitudinem philosophicam a sapientibus haberi. Theodorus Jouffroy, e castris rationalistarum, discipulus Victorii Cousin, scepticismo addictissimus, quamvis dogmatismum affectet, in suis *Miscellaneis philosophicis*, gallico idiomate conscriptis, postquam statuit erro-

nec fidem cæcam quamvis ineluctabilem in veracitatem rationis esse totius humanæ certitudinis fundamentum, hæc de scepticismo addit : « Ratio absolute declarat quod homo sine *motivo* credit, seu, quod in idem recidit, non habet jus credendi... Homo *instinctu* credit et *ratione* dubitat... Credimus scepticismum invincibilem, quia tenemus scepticismum ut ultimum pronuntiatum reflexionis rationis humanæ supra seipsam. » Hæc Jouffroy, op. cit. *Historia philosophiæ*, §. III. *De Scepticismo :* quæ consentanea sunt placitis veteris scepticismi. Ut enim post Tullium narrat Augustinus, Lib. II. *contra Academicos*, Cap. V. et Ep. CXVIII (al. 56) ad Dioscorum, Cap. III, de *motivo*, seu *criterio* quo verum a falso disterminaretur, tota sicut apud recentiores ita et apud veteres philosophos erat quæstio; consequenter non de certitudine vulgari sed scientifica.

III. Nonnulla historice de antiquis Scepticis. Ut vero aliquo ordine de scepticismo loquamur, ipsum dividimus in *pyrrhonicum* et *academicum*.

Pyrrhonismus. Pyrrhon Eleus (*ante Chr.* 380-288), Plistarchi filius, antea pictor erat, Drysonemque Stilponis filium, audivit, deinde Anaxarchum ubique sequutus est, sic, ut cum Gymnosophistis et cum Magis in India congressus fuerit. Quamvis autem Theodosius, in *Scepticis capitibus*, Scepticam neget vocari *pyrrhoniam* oportere et a Pyrrhone primum Scepticam fuisse inventam; communiter tamen Pyrrho habetur ut antiqui Scepticismi auctor, saltem quoad formam, ut ita dicam, scientificam. Nihil scriptum reliquit; ejus tamen discipulus Timon, et post ipsum, Ænesidemus, Numenius et Nausiphanes doctrinam magistri scriptis commendarunt, ad quæ Diogenes Laertius lectores remittit. Scepticismi vero scopus negativus omnino est, nempe evertere *dogmatistarum* asserta, quin decretum aliquod ipse proferat. Unde Pyrrhonis principium fuit *nihil esse quod percipi possit;* atque ideo assensus retentionem in philosophiam induxit. Nihil enim neque pulchrum, neque turpe, neque justum, neque injustum, ceterisque in rebus omnibus similiter, *nihil esse quod vere esset*, sed lege et consuetudine homines omnia agere aiebat. Huic opinioni vita ejus consentiebat, cum nihil quidquam vitaret, omnia subiret. Verum sceptici solam *objectivitatem realem* rerum aut inficiabantur aut in dubium vocabant, non autem *apparentiam* in nobis seu earumdem rerum subjectivitatem. « *Quod enim apparet*, aiebant, *hoc ponimus; non tamen sic ut revera tale sit.* Et ignem quidem urere sentimus; an vero urendi vim habeat, as-

sensum sustinemus. Atque etiam moveri quempiam, et corrumpi videmus; sed quomodo hæc fiant, ignoramus. » — Cf. Diogenes Laertius in vita Pyrrhonis. — Scholæ pyrrhonicæ præcipuos defensores enumerat ipse Laertius in Vita Timonis, qui Pyrrhonis auditor fuerat : « Hujus *(Timonis)*, ut Menodotus ait, successor nemo extitit, sed ea disciplinæ ratio *(Sceptica)* tamdiu intermissa est, donec eam Ptolomæus Cyrenæus renovaret. Verum, ut est apud Hippobotum et Sotionem, illius Dioscorides Cyprius et Niolochus Rhodius, Euphranor Seleucensis et Praylus e Throade auditores fuerunt... Euphranorem autem Eubulus Alexandreus audivit, cujus Ptolomæus Ptolomæi, Sarpedon et Heraclides auditores fuerunt. Heraclidis Ænesidemus Gnossius discipulus fuit, qui Pyrrhonios sermones octo libris conscripsit, a quo est Zeuxippus Polites, a Zeuxippo Zeuxis..., quem Antiochus Laodicensis ex Lyco audivit. Antiochi Menodotus Nicomediæ natus, medicus empiricus et Theodes Laodicensis auditores extiterunt. Menodoti vero Herodotus Ariei filius Tarsensis discipulus fuit. Herodotum Sextus Empiricus *(vixit circa finem II et initium sæculi III Æræ Christianæ)*, audivit cujus de Scepticis decem libri... feruntur, Sexti Saturninus Cythenæus, et ipse empiricus, auditor fuit. »

Academici. Speusippum, sororis filium, Plato philosophiæ quasi heredem reliquit. Speusippus autem et Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque susceperant, et post hos Polemo et Crates unaque Crantor, in Academia congregati, diligenter ea, quæ a superioribus acceperant, tuebantur. Jam Polemonem audiverant assidue Zeno et Arcesilas. Sed Zeno (*ante Chr.* 360-263) quum Arcesilam anteiret ætate, valdeque subtiliter dissereret et peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam *Academiæ* platonicæ. Hæc Tullius, Academicorum placitis addictissimus, *Academic. poster.*, Lib. I, Cap. IV, et IX. Zeno iste, Cittitus, est parens Stoicorum, qui ita dicti sunt a στοά *porticus*, quia Zeno philosophiam suam docuit in Porticu, quam Polygnotus gratuito pinxerat Athenis, et quæ a varietate picturæ *Poecile* dicta est. Zenonis itaque novitatibus strenue sese opposuit Arcesilas secundæ *Academiæ* fundator. Inter alia autem quæ Zeno docebat erat definitio *criterii*, nempe, *id verum tunc percipi solummodo posse*, aiebat, *quando ita esset animo impressum ex eo unde esset, ut esse non posset ex eo unde non esset:* seu *verum*, ut comprehendatur, talia debet præ se ferre signa, quæ *falsum* habere nullatenus possit. Porro Arcesilas, ut fundamentum Stoicismi subverteret, illud criterium a nobis haberi posse inficiatus est; ex quo consequebatur omnia incerta et dubia sapienti esse. Hoc modo nempe *dubio* inducto, Arcesilas sibi persuaserat

novas Zenonis doctrinas ab animis satis pelli posse. « Inde, inquit S. Augustinus, in II *Contra Academicos*, Cap. V, n. 11, dissensiones philosophorum, inde sensuum fallaciæ, inde somnia furoresque, inde pseudomeni et soritæ in illius causæ patrocinio viguerunt. »

Carneades (*ante Chr.* 215-125), qui quartus ab Arcesila fuit, et tertiæ *Academiæ* parens, in eadem Arcesilæ ratione permansit, ut Tullius ait, *Op., cit.*, Cap. XII, sed principium scepticum, *nullum verum* certo *sciri ab homine posse*, aliquatenus, verbis saltem, mitigavit, concedens *verisimile* comprehendi a nobis posse. Ut autem sanctus Augustinus addit, « Et Academicis placuit, nec homini scientiam posse contingere earum dumtaxat rerum, quæ ad philosophiam pertinent, nam cætera curare se Carneades negabat » *(Ib.)*

Nonnulli tenuerunt tum Arcesilaum Carneadem non vere sed ficte dubitasse, ut scilicet per dubium saltem turbam in stoicas opiniones pronam, continerent, et simul aurum platonicum sub terra tegerent potius quam insipientibus traderent, ut sese exprimit ipse Augustinus *Contra Academicos*, Lib. III, Cap. XVII et seqq. — Qualibet ætate, ut ex relato Theodori Jouffroy testimonio videre est, et ex dicendis magis erit manifestum, extiterunt homines, qui Scepticismo plus minusve adhæserunt; præcipue vero veterum academicorum et pyrrhonistarum patrocinium suscepit Petrus Bayle (1664-1706). Sit ergo conclusio (1) :

IV. Scepticismus absolutus est intrinsece absurdus. Probatur. Illud est intrinsece absurdum quod naturæ aperte adversatur, et contradictionibus manifestis implicatur. Atqui scepticismus absolutus naturæ aperte adversatur, et contradictionibus manifestis implicatur. Ergo scepticismus absolutus est intrinsece absurdus. — *Major* certissima est. Probatur *minor* per partes.

Scepticismus absolutus naturæ aperte adversatur, seu est *naturaliter* vel *physice* impossibilis. Etenim in confesso est apud omnes, et unicuique vivide conscientia refert, quod homines naturaliter scire desiderant : hoc principium neque ipsi sceptici negant, quippe qui nobis concedunt certitudinem vulgarem. Et dico *scire*, non utcumque, sed rigorose accep-

(1) Ad scepticismum temperatum vel *partialem* reduci poterunt omnes hodiernæ theoriæ quæ valorem objectivum cognitionis minuunt et vires naturales intellectus humani plus æquo debilitant. et quæ sub forma et nomine *criticismi*, vel *positivismi*, etc., proponuntur.

tum, nempe pro *scientia*, seu cognitione habita per demonstrationem (41, III). Atqui scepticismus absolutus ita contrariatur huic naturali sciendi desiderio, ut ipsum absurdum prorsus ac ridiculum reddat : namque absurdum est ponere quod ratio humana dictet ad veritatem scientifice cognoscendam se natam esse, et quod ipsa simul de veritate certo cognoscenda dictet omnino esse desperandum. Ergo scepticismus absolutus aperte naturæ ipsi rationali adversatur. — Sed insuper :

Scepticismus absolutus manifestis contradictionibus implicatur, seu est etiam *metaphysice* impossibilis. Et revera. Principium a scepticismo proclamatum, *nihil certo a nobis cognosci posse*, vel *de omnibus esse dubitandum*, aut est certitudine scientifica verum, aut est falsum. Si verum, ergo saltem principium illud *certo* certitudine scientifica tenendum est, *de omnibus dubitandum esse;* si falsum, ergo falsum *certo* est scepticorum principium *de omnibus dubitandum esse.* Hoc dilemmate egregie utitur S. Augustinus *contra Academicos*, Lib. III. Cap. IX. n. 18 : « Negant, inquit S. Doctor, Academici sciri aliquid posse. Unde hoc vobis placuit, studiosissimi homines, atque doctissimi? Movit nos, inquiunt, definitio Zenonis. Cur quæso? Nam si vera est, nonnihil veri novit, qui vel ipsam novit. Sin falsa, non debuit constantissimos commovere. » Hoc dilemma urget etiam contra scepticos Lactantius, Lib. III. cap. VI. *Divinarum Institutionum* (1).

Dices : Esto principium illud, *de omnibus esse dubitandum*, concedatur ut verum a scepticis; sequitur solummodo illud ipsum principium ut certum esse tenendum : quo concesso, non propterea scepticismus confutatus est. — Sed contra, et urgetur magis præcedens argumentum. Etenim, principium illud, *de omnibus est dubitandum*, non est principium per se notum seu immediatum (40, III, 41, II), ut per se patet, et sceptici ipsi ultro libenterque concedunt. Est ergo illud principium *mediatum*, seu per ratiocinationem illatum a principiis aliis in omni ratiocinatione necessario suppositis; quæ quidem principia ut certissima præsupponere et admittere debet scepticus, si conclusionem illam suam scepticam

(1) Possumus hic referre etiam verba clarissima S. Thomæ, P. I, q. II, a. 1. « Veritatem esse est per se notum; quia qui negat veritatem esse, concedit veritatem esse. Si enim veritas non est, verum est veritatem non esse : si autem est aliquid verum, oportet quod veritas sit. »

uti certam sustinere præsumit : secus nonnisi stultissime ut certa daretur conclusio, quæ dubiis nititur principiis. Consequenter, nonnisi per apertam contradictionem scepticus suum principium, de omnibus est dubitandum, ut unice certum sustinet, cum certum esse principium illud nulla ratione possit, nisi alia principia uti certissima præsupponantur. — Adde quod ad inferendam illam scepticam conclusionem, necesse omnino est ut principia seu fontes unde nobis cognitiones proveniunt, analysi rigorosissima considerentur, expendantur, intimaque eorum natura pervadatur : quæ principia seu fontes sunt, *sensus*, *conscientia*, *mens*, *principia* ipsa *per se nota*, *processus rationis* tum *inductivus* tum *deductivus*, aliaque hujusmodi. Ergo imprimis existentia horum fontium sceptico debet esse certissima : secus quid certo stabiliret esse dubitandum de proprietatibus rei dubie existentis? Deinde cum proclamat fontes illos vitiatos esse, atque ad certam veritatis cognitionem haud posse deducere, aut vitium illud sibi probe habet demonstratum, aut non : si primum, principia suarum demonstrationum, ut certa concedit, valoremque insuper scientificum ipsarum demonstrationum, ac proinde *non de omnibus esse dubitandum;* si alterum, nonnisi ausu plane temerario et stulto, vitium illud quoad fontes nostrarum cognitionum affirmat. Nempe scepticismus absolutus universalis aut contradictionem aut stultitiam incurrit manifeste.

V. Cum sceptico absoluto universali nulla logice institui potest disputatio. Probatur. Omnis disputatio debet proficisci a principiis, quæ ut certa et indubitata a disputantibus teneantur : secus, undenam quæso exordiretur et ad quem exitum duceretur disputatio? Atqui scepticus absolutus universalis, vi systematis, omnia in dubium vertit, nec principium quo firmiter consistat admittit. Ergo cum sceptico absoluto universali nulla logice institui potest disputatio. — Quod si forte cum homine, qui scepticismum universalem affectat, sermonem habere necessitas ipsa compellat, hoc in casu hæc vel alia similis via tentari potest. Quæratur in antecessum ab ipso utrum verbis quibus utitur aliquid significare intendat, an secus. Si nihil intendit significare, sibi ipsi relinquatur, helleboro potius curandus quam audiendus rationibusque convincendus, nam *derisibile est*, inquit S. Thomas, *quærere aliquam rationem ab illo, qui nulla utitur ratione. Talis enim in hac disputatione, qui nihil significat, similis erit plantæ. Animalia enim bruta etiam significant ali-*

quid per talia signa. (In IV. *Metaphysicor.* Lect. VI). — Consequenter, « talis non habebit propositum nec secum, nec cum alio : unde superfluum erit cum eo disputare... *Si autem* hoc dederit (*verbis scilicet aliquid velle* significare), jam statim erit demonstratio contra eum. Statim enim invenitur aliquid definitum et determinatum, quod per nomen significatur, distinctum a suo contradictorio, » hoc est, scepticus in hac hypothesi distinguit certo rem per vocabulum designatam ab alia re; consequenter ponit certo unam rem non esse aliam, et sic ponit *ut certum* principium contradictionis contra ipsum scepticismum. (*Ib.* Lect. VII).

Sed inquies : Si scepticus revinci non potest, causa pro ipso contra nos dicta est; ac insuper, si ita est ut dicimus, non est ratio cur adlaboremus ad refutandam scepticorum absurditatem. — Ad primam partem difficultatis dico scepticum haud posse revinci, non impotentia nostra sed irrationabilitate sua : neque enim cum amentibus disputatio institui potest; numquid ab amentibus ratione vincimur? Deinde, si nos a disputatione cum sceptico, ob rationem assignatam, abstinemus, ipse nullam disputationem instituere potest vera impotentia : nam disputatio principia certa subaudit, quibus admissis, scepticismus perimitur. — Ad secundam difficultatis partem respondeo, nobis in animo haud esse retrahere ab insania voluntaria scepticos, sed adolescentes instruere et præmonere, ne incaute paralogismis sophistarum commoveantur ac irretiantur.

VI. Solvuntur scepticorum objectiones. Reliquum nunc est ut scepticorum objectionibus satis faciamus.

Objectio prima. Illa doctrina in recta methodo philosophandi retinenda est, quæ maxime remota est ab omni errandi periculo. Atqui scepticismus absolutus universalis maxime remotus est a periculo errandi. Ergo scepticismus absolutus universalis est retinendus.

Resp. Distinguo *majorem :* Illa doctrina in recta methodo philosophandi retinenda est, quæ maxime remota est ab omni errandi periculo et simul certiori via ducit ad veritatis consecutionem, *concedo;* et simul præcludit viam ad veritatem, *nego.* — Nego autem *minorem;* et nego *consequens* et *consequentiam.* — Quid sibi vult scepticismus? Nempe, ut ab errandi periculo caveat, errorem maximum et pessimum proclamat, mentem adigendo ad contradictiones, eamque a veritate plane avertendo; similis stulto qui, ut vitaret periculum sumendi venenum, ab omni cibo potuque abstinendum esse censeret.

Objectio secunda. Qui semel et iterum et sæpe fallitur, aut nul-

lam aut dubiam solummodo fidem meretur. Atqui humana ratio, unde scientia acquiritur, et semel et iterum et sæpe fallitur. Ergo aut nullam aut dubiam solummodo fidem meretur in scientiis.

Resp. Imprimis retorqueo argumentum : Qui semel et iterum et sæpe fallitur, aut nullam aut dubiam solummodo fidem meretur. Atqui humana ratio, unde scientia acquiritur, et semel et iterum et sæpe fallitur, juxta scepticos. Ergo aut nullam aut dubiam fidem meretur in asserendo scepticismo. — Respondeo secundo, dist. *maj.* : Qui semel, etc..., fallitur *per se*, non meretur fidem concedo *majorem;* qui semel, etc..., fallitur *per accidens*, nego *majorem.* Et contra distinguo *minorem :* humana ratio, etc., fallitur *per se*, nego; fallitur per accidens, concedo *minorem*, et nego *consequens* et *consequentiam.* — Rationem humanam natura sua, hoc est *per se* tendere ad veritatis consecutionem nemo sanus negat; omnes enim, ut Tullii verbis utar, trahimur cupiditate sciendi. Est autem prorsus contradictorium quod id quod natura sua ad veritatem tendit, *natura sua* seu *per se* errori sit obnoxium. Non fallitur igitur humana ratio *per se.* At fallitur quandoque *per accidens*, vi nempe causæ sibi extrinsecæ, quæ ipsi est impedimento quominus explicet naturaliter seipsam : eo ferme modo quo aliæ causæ naturales effectum *per se* producunt propriæ naturæ consentaneum, sed quandoque a recta operatione deficiunt *per accidens*, ob aliquod scilicet impedimentum eis ab extrinseco proveniens.

Objectio tertia. Subsumes : Atqui humana ratio fallitur *per se.* Ergo nulla data distinctio. Probatur *subsumptum.* Ratio humana *per se* est fallibilis. Ergo *per se* fallitur et fallit.

Resp. Nego *minorem subsumptam.* — Ad ejus probationem distinguo *antecedens :* Ratio humana *per se* est fallibilis *actu, nego;* est fallibilis *potentia, subdistinguo :* quoad aliqua intelligibilia, *concedo;* quoad omnia, *nego.* Et nego *consequens* et *consequentiam.* Ratio humana quia infinita non est, potest a veritate deficere, sicut homo potest mentiri; at sicut ex hoc nonnisi inique infertur quod homo semper *actu* sit mendax et *per se*, ita inferri non potest quod mens semper erret ex eo quod quandoque errat, vel, cum errat, quod erret *per se.* Similiter ex eo quod ratio nostra natura sua sit finita, sequitur quod *potentia* sit *per se* fallibilis, sed non quoad omnia intelligibilia. Sunt enim quædam, ut puta, prima principia per se nota, circa quæ tam impossibile est quod ratio fallatur, quam impossibile est quod ratio humana simul apprehendat et non apprehendat obiectum : hoc enim apprehenso statim et simul apprehenditur prædicatum aliquod ipsi convenire vel repugnare necessario. Unde error est impossibilis.

Objectio quarta. In confesso est igitur rationem humanam quan-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

doque falli et fallere. At ratio cognoscitne se falli cum fallitur? Quod cognoscat est impossibile, quia in hoc casu seipsam a fallacia retraheret. Non cognoscit ergo se falli; et hoc dato, de ejus testimonio semper esse debemus suspecti : quod est præcise scepticorum dogma.

Resp. Imprimis nego *consequentiam*, quæ nonnisi sophistice infertur. In *antecedente* enim adversarius loquitur solummodo de aliquibus casibus, in quibus humana ratio fallitur, et non *per se* sed *per accidens;* et concludit de ipsa ratione humana *per se* et in omnibus casibus. Quamvis enim ratio humana, cum fallitur, nesciat se falli; asserimus tamen rationem humanam necessario et infallibiliter cognoscere se non falli, cum certa est de pluribus rebus, seu sit certa se certo scire, si ita loqui fas est. Hanc secundam partem non considerat scepticus, vel callide prætermittit ut incautos sophismate seducat. — Respondeo secundo quod mens cum fallitur, etsi fallaciam suam non animadvertat, potest tamen animadvertere aut saltem suspicari de fallaci ratiocinatione, et prudenter cohibere judicium (1).

---

(1) *Aliæ rationes* quæ in favorem scepticismi adduci solent. sunt :

α) *Relativismus* exaggeratus, qui sub alio aspectu est effectus scepticismi. De hoc loquemur infra in Ontologia ubi de *relatione*

β) Negatio valoris demonstrationis proprie dictæ, quæ demonstratio a scepticis consideratur uti *circulus vitiosus* vel *progressus* in *infinitum.*

γ) Influxus voluntatis in assensum intellectus, quæ voluntas cum sit *deambulatoria*, sicut a S. Thoma appellatur, efficit, quod in ordine philosophico nihil sit firmum, deficiat *ubi consistam*, i. e. fundamentum et *motivum* certitudinis. Huic considerationi suffragatur universa historia philosophiæ, humanis opinionibus, erroribus et deliramentis contexta.

Respondetur cumulative :

1°) Hæc omnia ad nihilum redigi decursu tractatus criteriologiæ et psichologiæ; 2°) objectiones istas evanescere per prima principia indemonstrabilia. « Si enim omnia demonstrarentur, cum idem per se ipsum non demonstretur, sed per aliud, oporteret esse *circulum* in demonstrationibus. Quod esse non potest, quia sic idem esset *notius* et minus *notum*. Vel oporteret procedere in infinitum, sed si in infinitum procederetur non esset demonstratio, quia quælibet demonstrationis conclusio redditur *certa* per reductionem ejus in primum demonstrationis *principium*. Quod non esset si in infinitum demonstratio rursum procederet. Patet igitur quod non omnia sunt demonstrabilia ». (S. Thomas, in XII Met. IV, sect. 6). Et hoc; 3°) quia prima principia demonstrari non *indigent* et non *debent*, cum *luce* abundent et *characterem intuitivum* veritatis in seipsis contineant. Sunt ipsa veritas

ARTICULUS TERTIUS

(49)

De scepticismo universali hypothetico (1).

I. Quæstio. — Scepticismi absoluti absurditatem in aperto generatim posuimus. Attamen negare nemo potest mentem aliquando, sive præjudiciorum vi, sive consuetudine vitæ, sive passionibus, sive aliis de causis, imbui errore potius quam veritate et quasi certa tenere, quæ dubia sunt aut vix probabilitatem attingunt. Quod quidem factum rectæ rerum cognitioni adversum esse de facili conceditur. Quæritur ergo, utrum assumi possit, ut hypothesis universalis dubitatio de omnibus, quasi rectior et tutior philosophandi ratio, non quidem ut realiter dubitemus, quod impossibile esse probavimus, sed ut defectus supra dictos vitemus, rimando intentiori analysi nostras cognitiones. En quæstio, quam in hoc articulo definire intendimus.

II. Cartesius. Auctor iste (1596-1650), tum in opusculo quod incripsit, *Meditationes de prima philosophia*, tum in alio cui titulus est, *de Methodo*, tum in *Principiis philosophiæ*, quæstionem solvit affirmative jure et facto. Cum enim posuisset se posse dubitare de existentia eorum quæ ministerio sensuum accipimus, deque veritatibus metaphysicis, quæ tum intelligentia tum ratiocinatione habentur, non exclusis principiis primis et per se notis; animadvertit nullo pacto se potuisse dubitare de subjecto cogitante. Unde statuit, *verum*, quod nullum patitur dubium, esse factum individualis cogitationis et existentiæ, *Cogito ergo sum;* quod principium, quamvis enthymematice expressum, non ut enthymema tamen sed ut *factum* simpliciter asseritur a Cartesio, ut ipsemet declarat in responsionibus ad II objectiones adversariorum. Hæc est famosa methodus cartesiana, quæ turbas infinitas in

---

quatenus intellectui splendet tota sua claritate et mentis assensum *certum* et infallibilem trahit. Cf. A. FRANCHI, *Ultima Critica*, vol. I, qui multa et pulcherrima de *scepticismo* et *criticismo* habet.

Unde nec *circulus vitiosus*, nec *processus in infinitum* vitiare possunt cognitionem naturalem intellectivam. *Immutabilitas* principiorum et *claritas* lucis intellectivæ adimunt *relativismum* cognitionis; de voluntarismo autem dicemus postea.

(1) *De methodo cartesiana*. Cf. MERCIER. Criteriologie, lib. 2°, cap. I, art. 2. — FONSEGRIVE. *Histoire de la Philosophie*, 7e leçon.

scholis excitavit, ab aliis excepta ut methodus e cœlo delapsa, ab aliis vero acriter impugnata. Quid autem de illa, meo quidem judicio sentiendum sit, aperte dicam.

III. Prænotamina quædam. In antecessum concedendum est viro philosopho, qui sibi veritatem quærere proponit, duo esse pernecessaria : 1° scire dubitare; 2° solvere dubitationes quæ plenam veritatis consecutionem impediunt. — *Scire dubitare*, hoc est sapienter cohibere judicium circa ea quæ *dubitabilia* sunt, et dubia pro certis imprudenter non assumere, ut alibi (40, IX) jam diximus. — Deinde, *solvere dubitationes*, quæ mentem inquirentem veritatem plurimum impediunt: nam ut Aristoteles ait in III. *Metaphysic.* Lect. I, *decet investigare volentes præ opere*, hoc est ante opus, *bene dubitare : posterior enim investigatio est solutio priorum dubitatorum.* Quæ verba exponens Angelicus ib. Lect. I. hæc scribit : « Dubitatio... de aliqua re hoc modo se habet ad mentem sicut vinculum corporale ad corpus, et eumdem effectum demonstrat *(est ipsum exemplum Aristotelis)*. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile his, qui sunt stricte ligati. Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem; ita ille qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest in anteriora procedere secundum viam speculationis. Et ideo, sicut ille qui vult solvere vinculum corporale, oportet quod prius inspiciat vinculum et modum ligationis, ita ille, qui vult solvere dubitationem, oportet quod prius speculetur omnes difficultates et earum causas. » His præmissis atque concessis, sit conclusio :

IV. Methodus cartesiana rationabiliter admitti nullatenus potest. Probatur. Methodus illa rationabiliter admitti nullatenus potest, quæ supponit id quod supponi nequit, et adversatur fini propter quem ipsa assumitur; sibi ipsi repugnat; et ad negationem cujuslibet certitudinis perducit. Atqui hujusmodi est methodus cartesiana de universali hypothetica dubitatione. Ergo hæc methodus cartesiana rationabiliter admitti nullatenus potest. — *Major* argumenti est per se manifesta. Probatur *minor* quoad triplicem suam partem.

Methodus cartesiana supponit id quod supponi nequit et adversatur fini propter quem assumitur. Et revera. Quamvis hypothesibus uti prohibitum philosopho non sit, tales nihilominus hypotheses esse debent quæ possibiles sint, et fini propter quem ponuntur respondeant, non adversentur, præcipue cum agitur de methodo philosophandi : secus enim non

sternitur via ad veritatem tutius capessendam, sed aut occluditur omnino aut redditur difficilior. Atqui, ut demonstravimus contra scepticos, dubitatio universalis est impossibilis tum physice tum metaphysice, et insuper talis est, ut ipsa semel posita, præcludatur omnino via rectæ disputationi et consequenter inquisitioni veritatis (*artic. præced.* nn. IV. et V). Igitur hypothetica cartesiana dubitatio et est impossibilis, seu supponit id quod supponi nequit, et necessario et simul adversatur fini propter quem assumitur, nempe præcludit viam ad philosophandum, esto non absolute, sed hypothetice et vi methodi.

Methodus cartesiana sibi ipsi repugnat. Etenim Cartesius ideo dubitationem universalem hypotheticam inducit, quia etiam de ipsa ratione, *quæ aliquando falsa pro veris admisit*, vult dubitandum. Sed aliquando falsa pro veris nos admisisse, nonnisi ratione deprehendimus. Ergo cum Cartesius revocat in dubium rationis testimonium, hoc ipsum testimonium veridicum simul enuntiat. Quod est admittere contradictoria simul esse vera. — Præterea, admittit dubitationem circa testimonium rationis, quia *aliquando falsa pro veris admisit*, et simul per manifestam inconsequentiam certissimum ponit ipsius rationis testimonium circa *Cogito ergo sum :* nam hoc factum a conscientia, hoc est a ratione ipsa et a sola ratione renuntiatur. — Num Cartesius dicet, principium illud, *Cogito ergo sum*, majori evidentia mentem ipsam percellere, quam cæteræ aliæ veritates, nec posse in dubium revocari quin simul alia via affirmetur? — Sed 1° quæstio non est de majori vel minori evidentia, unde intensior vel remissior certitudo (40, IV) menti ingeneratur, sed de certitudine prout importat firmitatem adhæsionis mentis : quæ quidem firmitas æque habetur, ut alibi declaravimus *(ibid.)*, tum a majori tum a minori evidentia objecti, dummodo talis sit quæ objectum ipsum ut in se est menti manifestet. Nullo igitur jure Cartesius veritatem subjecti cogitantis admittit testimonio rationis innixus, cum ipsi rationi antea et vi suæ methodi denegaverit jus firmiter adhærendi veritatibus *per se notis* (18, IV). — 2°, Quod si *Cogito ergo sum*, cum negatur, alia via affirmatur, etiam id proprium est principii contradictionis : *impossibile est idem simul esse et non esse :* quod tamen principium Cartesius, ficta hypothesi *genii maligni*, quod sibi illuderet *(Meditat. I, circa fin.)*, in dubium hypothetice vertit sicut et alia principia. Imo in dubium semel revocato, esto hypothetice principio contradictionis, nonnisi

illogice asseritur uti certum principium, *Cogito ergo sum :* quia, vi hypothesis, dubium est, utrum possim *simul cogitare et non cogitare, simul esse et non esse.* — Quocumque igitur se vertat Cartesius, sibi ipsi aperte repugnat.

Methodus cartesiana ad negationem cujuslibet certitudinis perducit. Vi enim sui principii ac timore, ut nuper dicebam, ne *genium malignum* sibi illuderet, Cartesius dubitandum esse censuit tum de ratione quæ circa veritates metaphysicas, hoc est circa objecta a nobis distincta versatur, tum de conscientia quæ testatur nostras sensationes. Atqui *Cogito ergo sum* est veritas objectiva respectu rationis reflexæ, et est simul objectum conscientiæ. Ergo vi prioris principii, una cum veritatibus objectivis in dubium quoque vertit *objectum* reflexionis psychologicæ, quod est *subjectum cogitans;* et insuper, labefactato testimonio conscientiæ respectu sensationis, non est ratio cur veracitas conscientiæ in hypothesi cartesiana admittatur circa *Cogito ergo sum.* Atqui omnis certitudo est vel de veritatibus subjectivis vel de veritatibus objectivis; ergo, hisce veritatibus in dubium hypothetice revocatis, omnis certitudo necessario evanescit, et habetur scepticismus absolutus et universalis.

V. Defensio SS. Augustini et Thomæ. Solent plerique in defensionem Cartesii afferre auctoritatem SS. Augustini et Thomæ, quasi nempe Cartesius in philosophandi methodo determinanda, horum Doctorum vestigia fuerit secutus. Sed perperam. Verba quæ ex Augustino citantur desumpta sunt ex Lib. XI. *de Civitate Dei*, Cap. XXVI, ubi sic legitur : « Sine ulla phantasiarum vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me, idque nosse et amare, certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido, dicentium : quid si falleris? si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. » — Hanc autem S. Augustini sententiam nihil habere commune cum sententia cartesiana de facili persuadetur ex ipsa natura doctrinæ quam sanctus Doctor in loco citato declarat, nempe imaginem Sanctissimæ Trinitatis esse in nobis ex eo quod et nos *sumus, et nos esse novimus, et id esse ac nosse diligimus.* Quæ tria, ut ab omnibus difficultatibus extricata oratio procederet, verissima et certissima ostendit contra omnia sophismata Academicorum. Aliud autem est tueri illam veritatem, aliud, sicut Cartesius facit, cæteris omnibus veritatibus dubium ingerere, ut eam tanquam unice firmissimam demonstremus. Et hinc est quod in Libr. *De vera Religione*, Cap. XXXIX. n. 73, de ea-

dem dubitatione Academicorum agens, asserit (quod Cartesius minime concedit), veritatem ipsa dubitatione affirmari : eo modo quo, negando *subjectum* cogitans, ipsa negatione affirmatur. En Augustini verba : « Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit et de hac re quam intelligit certus est : de vero igitur certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare. » — Relate ad S. Thomam opponitur quod ipse tum in *Summa Theol.*, tum *in Qq. disp.*, tum in *Quodlibetis*, tum in *Commentar.* in Libros *Sententiarum*, antequam quæstionem definiat, ejus veritatem ut dubiam proponit : *Utrum*, e. gr., *Deus sit.* Quæ methodus non propria S. Doctori, sed communis erat primitivis Scholasticis. — Huic difficultati facilis est responsio. Aliud enim est dubium movere circa aliquam peculiarem veritatem, ut Scholastici faciunt, aliud circa omnes simul et circa fontes ipsos unde nobis cognitiones proveniunt : una enim veritate dubie suscepta, aliæ præsto sunt ad ipsam tuendam; sed si omnes funditus et simul evertantur, quo fundamento niti potest mens ad suscitandum ædificium scientificum? Deinde S. Thomas dubia movet in quolibet articulo, non quia ipse vel hypothetice dubitet de veritate concludenda, sed quia de illa dubitant adversarii, quorum in antecessum exponit rationes, ut postea, declarata et demonstrata veritate, illas et clarius et efficacius excutiat. Unde inter Scholasticos et Cartesium hoc interest discrimen, quod Cartesius ex se dubitat, Scholastici vero aliorum dubitationes primo referunt, non approbando, sed ad eas confutandas (1).

(1) *De ista dubitatione scholastica*, notari potest quod :

a) Circa ea quæ sunt *per se evidentia* nec *dubium reale* (i. e. *vera* suspensio judicii defectu motivi sufficientis pro una contradictionis parte) est possibile, nec *methodicum* (i. e. *ficta* suspensio mentis qua quis abstrahit de re aliqua ut scientifice de illius veritate inquirat). In casu dubium *reale* est impossibile, *methodicum* admit viam philosophandi.

b) Circa *demonstrabilia*, dubium ante demonstrationem potest esse reale et methodicum : post demonstrationem tantum methodicum est possibile.

c) Circa ea quæ nullam habent evidentiam, dubitatio *realis* est adhibenda. Quæ omnia in S. Thoma invenies asserta et in praxim reducta. Cf. Reinstadler. *Elem. phil.* chol., vol. I, Critica; Montagne, O. P., *Le doute méthodique*, selon saint Thomas d'Aquin, *Revue thomiste*, nº 4, 1910; Hugon, I, pp. 290-297.

LIBER SECUNDUS.

DE MEDIIS ASSEQUENDAE VERITATIS SEU DE CRITERIIS

Prologus. Asserta menti nostræ possibilitate consequendi certo veritatem, secundo loco, juxta divisionem datam in Prologo ad hanc secundam Logicæ partem, dicendum est de mediis assequendæ veritatis seu de veritatis *criteriis*. Quæ criteria alia sunt *intrinseca*, alia *extrinseca*, ut auctoritas humana; et criteria intrinseca alia sunt *subjectiva*, nempe facultates cognoscitivæ, alia sunt *objectiva*, scilicet veritates, quibus ut principiis in ratiocinando utimur : in omni enim cognitione duo essentialiter sunt, *ratio cognoscens* et *objectum cognitum*. Quocirca liber iste secundus tria capita complectitur, in quorum *primo* erit sermo de criteriis *subjectivis*, in *secundo* de criteriis *objectivis*, in *tertio* de criteriis *extrinsecis* (1).

CAPUT PRIMUM

DE CRITERIIS SUBJECTIVIS

Prologus. Media seu criteria subjectiva sunt, ut jam diximus, facultates animi nostri cognoscitivæ. Sed facultates animi nostri expendere officium est tum *Psychologiæ* tum *Logicæ*, sub diversa tamen ratione. Namque Psychologia earum intimam naturam scrutatur ac determinat; contra Logica eas solummodo considerat ut sunt media nobis a Creatore donata ad res cognoscendas. Et sub hoc secundo aspectu ipsas animi nostri facultates in hoc capite exclusive considerabimus. Quia vero facultates istæ aliæ sensitivæ sunt, aliæ intellectivæ : 1° dicemus de *sensibus externis;* 2° de sensu interno qui *phantasia* communiter appellatur;

(1) Unum quodlibet ex criteriis relativis quæ in hoc II libro exponentur vim habet tantum in illa sphera veritatum quas *directe* attingit; supra omnia vero dominatum habet *evidentia* de qua in lib. III.

3° de facultate intellectiva prout recentiori vocabulo appellatur *conscientia;* 4° de ipsa facultate intellectiva prout dicitur *mens.* A sensibus incipimus, utpote a facilioribus rebus exordium ducentes, præcipue quia a sensibus originem aliquo modo ducunt nostræ omnes cognitiones, ut late in Psychologia demonstrabimus.

ARTICULUS PRIMUS

(50)

De sensibus externis.

I. Criterii notio. Quia de criteriis in hac secunda Logicæ parte sermonem perpetuo habituri sumus, necessarium est ut criterii naturam breviter hic definiamus, ne de re incerta aut obscura adolescentibus loquamur. Criterium igitur (κριτήριον) græce, latine sonat *instrumentum judicandi, vim judicandi, id e quo judicium circa rem aliquam petimus,* si verbum verbo reddas. Nec ab hac significatione abludit illa qua in scholis philosophicis modo sumitur criterium : etenim criterii nomine intelligitur, *norma* seu *motivum,* seu τὸ *quia,* seu *ratio quæ mentem inducit ad assentiendum alicui veritati.* Ut si quæreret aliquis a me, undenam certus sim de mea existentia, responderem : *quia conscientia meam existentiam refert;* hæc *causalis* (23, IV) est hoc in casu *criterium* meæ certitudinis relate ad meam existentiam.

II. Criterium formaliter est quid distinctum tum a facultate cognoscitiva tum ab objecto ut cognito. Quod moderni *criterium* dicunt, veteres Scholastici dixerunt *objectum formale :* vocabulum novum acceptamus et antiquum non dedignamur. Sive autem dicatur criterium sive objectum formale motivum regens mentis nostræ assensum in judiciis proferendis, asserimus hoc motivum, quocumque nomine nuncupetur, esse, si formaliter accipiatur, quid distinctum tum a facultate cognoscitiva, tum ab objecto cognito formaliter acceptis. — Est distinctum a facultate cognoscitiva, quia facultas ipsa criterio dirigitur, et principium dirigens et subjectum directum, sicut activum et passivum, formaliter accepta distinguuntur. — Est distinctum ab objecto cognito, quia objectum cognitum est terminus assensus mentalis, cujus principium inducens est criterium : principium autem et terminus, si formaliter sumantur, distincta sunt. — Dixi

criterium *formaliter* (12, I et II) sumptum, non enim nego (quod in sequentibus articulis late demonstrabo) facultates ipsas et rerum veritatem inter vera mentis nostræ criteria habenda esse. At non sunt criteria præcise ut sunt facultates et objecta, principium nempe et terminus cognitionum, sed quatenus sunt motiva sufficientia quibus nititur judiciorum nostrorum certitudo. Videlicet facultas cognoscitiva et veritas rei sub uno aspectu sunt principium et objectum cognitionis; et sub alio aspectu sunt veritatis criteria.

III. **Sensus externi**. Sensus externos nobis inesse, eosque quinque numerari, nempe, *visum*, *auditum*, *olfactum*, *gustum* et *tactum*, omnes et experimur et tenemus. — Vocantur *externi*, quia organa, quibus actionem exercent, extrinsecus patent ut *oculi*, *aures*, *nares*, *palatus*, et *organismus* tactus per totum corpus diffusus. — Actio sensuum generice dicitur *sensatio*, quæ specifice sortitur nomina diversa, ducta a denominationibus cujusque sensus : videlicet sensatio visus dicitur *visio*, et sic de reliquis. — Organa sensus dicuntur *sensoria*, quæ non sunt sensus : remanent enim in cadavere, in quo amplius non est sensus; unde *sensus* proprie sunt *organa sensoria animata*. — Denique *objecta*, ad quæ terminatur sensatio dicuntur *sensibilia*, *non quia sentiunt*, *sed quia sentiuntur*, ut Augustinus dicit XI. *De Civitate Dei*, Cap. XXVII. n. 2.

IV. **Sensibile** PROPRIUM. Porro singuli sensus externi ita comparantur ad invicem, ut non omnes in idem objectum ferri possint; ut oculus *lucem* videt, quam auditus non attingit; auditus harmonia *soni cantusque* delectatur, quam oculis videre non possumus. Idem dicito de cæteris sensibus externis. *Objectum quod ita cadit sub uno sensu externo ut ab alio sensu externo non sentiatur, dicitur sensibile proprium illius sensus;* hinc *lux* est sensibile proprium *visus*, — *sonus* est sensibile proprium *auditus*, etc.

V. **Sensibile** COMMUNE. Contingit nihilominus quod unum idemque objectum sentiatur a pluribus sensibus externis; sicut *extensio* percipitur *tactu* et simul percipitur *visu*. Hujusmodi objecta dicuntur *sensibilia communia*. Manifestum est autem quod ad rationem sensibilis communis non requiritur quod plures sensus *æquali ratione* illud respiciant, sed sufficit quod a pluribus sensibus *per se*, licet diversa ratione attingatur. — Differt igitur sensibile *proprium* a sensibili *communi* in hoc, quod *proprium* ita adæquatur uni sensui externo, ut pluribus adæquari non possit, ut *lux* respectu

visus et *sonus* respectu *auditus :* sed sensibile *commune* non adæquatur uni sensui, et ideo plures movere potest (ut de *extensione* dictum est), et est veluti conditio necessario requisita ut sensus a sensibili proprio moveatur : non enim coloratum, vel sonus, vel odor esse aut sentiri extra subjectum extensum possunt. — Cf. Joannes a S. Thoma. *Naturalis philosophiæ.* P. IV. Qu. IV. Artic. II.

VI. Regula circa sensibile COMMUNE. Vix necessarium est notare, quod testimonium alicujus sensus externi respectu sensibilis *communis* non est acceptandum, absolute loquendo, nisi prius accedat testimonium aliorum sensuum, et præsertim illius, qui illud ipsum objectum principaliter respicit : secus nonnisi temerarie agitur adducendo testem imperfectum. Sit exemplum. Remus in aqua mersus rectus est, et tamen fractus oculis meis apparet. Remus autem ratione suæ *resistentiæ* est objectum tactus, non oculi. In tantum autem remus apparet fractus in aqua, quia ex legibus refractionis lucis, angulus incidens lucis in aqua non est similis angulo reflexionis; lucis autem radius non pervenit ad meos oculos nisi ab aqua refractus. Id demonstrant physici. Quid ergo ad oculum pertinet de remo renuntiare? Forte de remo in se? Minime sed illud solummodo quod de remo colligit luce mediante : cætera ad tactum pertinent. Ergo nonnisi insulse per solum visus testimonium concluderem fractionem remi : ratio enim dictat hoc in casu consulendum esse tactum et standum ejus testimonio. — Cf. S. August., lib. III. *contra Academicos.* Cap. XI. n. 26.

VII. Sensibile PER ACCIDENS. Tertium genus sensibilis externi, sensibile *per accidens* nuncupatur a Scholasticis. Factum enim constans atque universale est quod cum oculis et tactu nonnisi, e. g., hominis colorem, figuram, extensionem videamus et contrectemus, hominem tamen ipsum et videre et contrectare affirmamus certissime. At *homo* neque figura est, neque extensio, neque color, neque alia accidentia quæ in ipso sunt, sed est *substantia.* Hoc objectum, quod est veluti *substratum* sensibilium tum propriorum tum communium, dicitur *sensibile per accidens.*

VIII. Doctrina S. Thomæ circa sensibile PER ACCIDENS. Circa sensibile *per accidens* hæc notatu dignissima habet S. Thomas, Lect. XIII. in Lib. II. *De Anima :* « Sciendum est igitur, quod ad hoc quod aliquid sit sensibile *per accidens*, primo requiritur

quod accidat ei quod *per se* est sensibile, sicut accidit albo esse hominem et accidit ei esse dulce. Secundo requiritur, quod sit apprehensum a sentiente : si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri. Oportet igitur quod per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis. Et hoc quidem vel est alius sensus, vel est intellectus, vel vis cogitativa, aut vis æstimativa. Dico autem quod est alius sensus; sicut si dicamus, quod dulce est visibile per accidens inquantum dulce accidit albo, quod apprehenditur visu, et ipsum dulce per se cognoscitur ab alio sensu, scilicet gustu. Sed, ut proprie loquamur, hoc non est universaliter sensibile *per accidens*, sed *per accidens* visibile, sensibile autem *per se*. Quod ergo sensu proprio non cognoscitur, si sit aliquid universale, apprehenditur intellectu; non tamen omne quod intellectu apprehendi potest in re sensibili, potest dici sensibile *per accidens*, sed statim quod ad occursum rei sensatæ apprehenditur intellectu. Sicut statim cum video aliquem loquentem, vel movere seipsum, apprehendo per intellectum vitam ejus, unde possum dicere quod video eum vivere. Si vero apprehendatur in singulari, ut puta cum video coloratum, percipio hunc hominem vel hoc animal; hujusmodi quidem apprehensio in homine fit per vim cogitativam, quæ dicitur etiam ratio particularis, eo quod est collativa intentionum individualium, sicut ratio universalis est collativa rationum universalium. Nihilominus tamen hæc vis est in parte sensitiva : quia vis sensitiva in sui supremo participat aliquid de vi intellectiva in homine, in quo sensus intellectui conjungitur. In animali vero irrationali fit apprehensio intentionis individualis per æstimativam naturalem, secundum quod ovis per auditum vel visum cognoscit filium, vel aliquid hujusmodi. »

IX. **Norma circa sensibile** PER ACCIDENS. Nullum dubium quod circa sensibile per accidens possit error obrepere in sensuum renuntiatione, at non respectu *substrati* seu *subjecti* generice sumpti, quod sensibilibus tum propriis tum communibus subsit, sed tantummodo respectu *subjecti* specifice accepti. Ratio est quia illa ipsa accidentia æque esse possunt in diversis subjectis, ut color et alia hujusmodi in homine vero et ficto : unde sensus non fallitur cum generice renuntiat aliquid subesse illis accidentibus; falli autem potest cum renuntiat subjectum illud, puta, esse hominem verum. In nobis ratione utentibus errores isti sensuum de facili ratione ipsa corriguntur. Qua in re egregie, ut assolet, S. Augustinus scribit, Lib. XI, *De Civitate Dei*, Cap. XXVII. n. 2 : « Omnia corporalia latentes in natura causas habent; sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura

formosa est, sentiendas sensibus præbent, ut pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum, isto longe præstantiorem, quo justa et injusta sentimus, justa per intelligibilem speciem, injusta per ejus privationem. Ad hujus sensus officium non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non spiramenta narium, non gustus faucium, non ullus corporeus tactus accedit. »

X. De perfecto sensuum externorum exercitio. Quæ cum ita sint, jam definire possumus quid requiratur ad perfectum exercitium sensuum externorum; requiritur nempe sensus recte dispositus tum *in seipso*, tum respectu *medii*, tum denique ratione *objecti*. — *In se* primo; nam, ut ait S. Augustinus, Lib. VII. *Confess.* Cap. XVI. n. 22, *palato non sano pœna est panis, qui sano suavis est; et oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis.* — Respectu *medii* : nam nimia lux obcæcat potius quam illuminet oculum, qui etiam nihil in tenebris videre potest. — Respectu *objecti*, quod nempe sit objectum proprium et in *debita distantia positum;* objectum enim nimium distans non videtur, sicut non videtur si nimium oculis adhæreat. — Hæc omnia experientia quotidiana comprobantur, unde a longiori oratione supersedeo.

XI. Quæstio. Quod sensus externi objecta corporea referant ut a nobis distincta et extra nos realiter existentia, tam certum est quam quod certissimum, neque a nemine scepticorum umquam in dubium revocatum est *factum* quod unicuique conscientia testatur, ut Augustinus notat, Lib. III. *contra Academicos*, Cap. XI. n. 24. Sed quæritur, utrum sensus in renuntiando illam corporum existentiam sint *criteria* veritatis, seu vera renuntient ita ut, innixa eorum testimonio mens possit certo asserere revera corpora illa existere extra nos, sicut sensus ipsi externi testantur? vel contra, utrum quæ a sensibus renuntiantur ut extra nos existentia, nonnisi phænomena censenda sint et modificationes ipsorum sensuum? — Et nota cautissime, impræsentiarum nullam esse quæstionem de intrinseca natura corporum, seu mundi externi sensibilis, sed de hujus objectiva seu reali *existentia* exclusive. Sensus enim nedum non cognoscunt *essentias* objectivas rerum, sed neque possunt cognoscere : illæ enim essentiæ sunt *objecta* solius mentis. Qua de causa, quæstio definienda est : utrum sensus externi testificando

objectivam *existentiam* corporum, abstrahendo etiam a *modo* quo corpora existunt in seipsis, fallantur, aut saltem falli possint.

XII. Idealismus. Ut Tullius refert, Lib. I. *Academic. posterior.* Cap. XII, ante Socratem, Democritus, Anaxagoras, Empedocles, omnes pene veteres, *nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri* posse dixerunt, angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, et (ut Democritus) in profundo veritatem esse demersam, opinionibus et institutis omnia teneri : nihil veritati relinqui : omnia tenebris circumfusa esse. Hæc narrat Tullius, qui tamen antiquorum sententiam, vir academicus, nimis exaggerat. Nihilominus, scepticismum, quoad objecta sensuum, apud nonnullos ex veteribus philosophis viguisse, dubitari non potest, ut ex dictis art. 48, n. III. satis est manifestum : vidimus nempe Pyrrhonistas inter alia dogmata sceptica, illud docuisse de incertitudine objectivitatis nostrarum sensationum, quamvis earumdem subjectivitatem non inficiarentur. — Systema quod nonnisi ideas aut sensationes subjective acceptas cognitionibus nostris attingi docet, atque certitudinem conceptuum objectivorum (1, VII) animo denegat, *idealismus* generice dicitur, qui postea in varias species dividitur, ut suis in locis videbimus. Nunc de *idealismo sensistico* seu *subjectivismo* in ordine ad externa objecta nostrarum sensationum. — Inter recentiores scepticos idealistas, quoad sensationum nostrarum realitatem objectivam, quidam accensent Cartesium, qui dubio hypothetico confícto circa realem objectivitatem sensationum (49, II), satis frigide conatur postea eamdem objectivitatem restituere. Sed quidquid sit de mente Cartesii, jure idealismi insimulatur ejus sectator Malebranche; quippe qui in suo Opere, *De la recherche de la vérité* (Eclaircissement VI, *sur le premier livre*), aperte doceat nonnisi fide, innixa auctoritate divinæ revelationis, nobis constare de corporum existentia. Recentioris idealismi defensor exstitit Berkeley (1684-1753) qui docuit, rationi propria esse objecta universalia et spiritualia, sed illi incertam aut problematicam esse realem corporei mundi existentiam. Berkelii principiis insistens David Hume (1711-1776), ut ipse aperte fatetur, ea ad ultimas consequentias sine ambagibus deduxit, ita ut scepticismi moderni parens non immerito habeatur. De connexione logica inter doctrinas Cartesii, Lokii, Berkeley et Humii, agit Dugald-Stewart in suis *Essais philosophiques sur les système de* Locke, Berkeley, Prestley; Horne-Tooke, etc. *(vers. Caroli Hurel),*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Premier essai, Cap. III et IV. Humii scepticismum refutat Kant, sed inaniter; cum et ipse admittat principium Berkeley, *nihil a nobis percipi nisi nostras perceptiones atque nostras ideas*, quod est ipsissimum dogma pyrrhonianum (48, III), eisdem etiam verbis expressum, et principium idealismi, cui Kant est addictissimus, et ex quo Hume, ut dictum est, scepticismum logice intulit. — Contra igitur idealismum seu subjectivismum sensisticum sit sequens conclusio :

XIII. Sensus externi sunt veraces, hoc est criteria veritatis, in referenda realitate corporum extra nos existentium. Probatur. Sensuum externorum veracitatem evidenter probant, tum *natura ipsa nostra*, tum *ipsa organa sensoria*, tum *intrinseca natura ipsius sensationis*. Ergo sensuum externorum veracitas in referenda realitate corporum extra nos existentium est certissime retinenda. — *Consequentia* patet, probatur *antecedens* per partes.

Veracitatem sensuum externorum demonstrat ipsa natura nostra. Id tam verum est, ut hæc de Pyrrhone narret Diogenes Laërtius in ejus vita : « Aliquando cane irruente perturbatus *(Pyrrho)*, exprobranti dixit, *difficile esse prorsus hominem exuere :* pugnandum tamen quoad ejus fieri possit, primum quidem rebus contra ipsas res, *sin minus, certe ratione.* » Igitur veracitas sensuum negari non potest nisi prius per rationem naturam nostram exuamus; quod est impossibile, ut patet, atque stultissimum : non enim ratio nobis data est ut naturam nostram philosophando exuamus, sed ut eam sequamur et perficiamus : nihilque præterea verum esse potest, quod ipsi naturæ rationali adversetur.

Ipsa organa sensoria demonstrant veracitatem sensuum externorum. Sensus nobis inesse, eosque exerceri per elaboratum pulcherrimumque organismum extrinsecus patentem, nonnisi dementissimus negat. Sed ad quid præfatus organismus exterius patens nisi ad impressiones sensibilium externorum excipiendas? Ad quid oculus nisi ad videndam pulchritudinem corporum quæ extra nos sunt? ad quid aures nisi ad audiendum? ad quid tactus nisi ad percipienda dura vel mollia? Deme ab organismo relationem naturalem ad sensibilia externa, et simul ipsius organismi naturalem dispositionem omnino inutilem et ridiculam ponis. Aut ergo negandus est ordo tam manifestus sensorii organismi ad externa sensibilia : quod talis est absurditas ut dementiam redoleat; aut concludendum est quod veracitas sensuum in renuntianda existentia

sensibilium externorum tam manifesta est ut ipsi fidentissime sese committere ratio non solum possit, sed etiam debeat.

Ipsa sensatio denique veracitatem demonstrat sensuum externorum. Ad id probandum sumo duo facta ipsis scepticis idealistis indubia (48, II, *et supra*, n. XI). — Primum factum est, sensatione externa repræsentari sensibilia ut mihi extrinseca. Undenam hæc apparentia mihi provenit? Non aliam hypothesim fingere possumus nisi quod, — aut objecta externa sensibilia agunt in sensus, et in istis suscitant illam sui repræsentationem, — aut hæc provenit ab ipso organismo sensorio, seu a natura subjecti sentientis. Nihil est tertium. At si primum dicatur, habemus intentum circa veracitatem nostrorum sensuum. — Si secundum assumatur, cum facultas sensitiva sit a me et in me, et insuper sensatio, juxta scepticos, sit exclusive subjecti sentientis modificatio, impossibile est explicare quomodo objectum illius sensationis mihi tam vivide referatur ut quid mihi extrinsecum et existens in rerum natura. — Quod argumentum magis urgetur ex altero facto, videlicet quod ego *sentio* me esse indeterminatum ad sentiendum unum potius quam aliud; lucidum A, potius quam lucidum C; et tamen, quoties actualiter sentio, sensus meus non indeterminatum sed determinatum sentit, A vel B vel C. Undenam hæc determinatio? Vel a sensu ipso, vel ab objecto. Sed non a sensu, quia est natura sua indeterminatus, et ab indeterminato deduci determinatum prorsus repugnat. Ergo ab objecto ipsi sensui extrinseco. Quocirca, aut negandum est factum sensationis, negando illi objectum; aut ponendum est sensationis objectum esse corporum extra nos existentium realitatem.

XIV. Corollarium Quia vero sensus externi non renuntiant rationi nostræ realitatem mundi corporei, nisi vi propriorum sensibilium quæ per se et immediate attingunt; sequitur quod sensus externi, si habeant conditiones supra, n. X. recensitas, respectu priorum sensibilium sint criteria veritatis. — Quo pacto se habeant ad sensibile *per accidens* et ad sensibilia communia, jam diximus.

XV. De modo quo veritas sensitivæ cognitioni conveniat. Probavimus hucusque contra idealistas sensus nostros fallaces non esse, atque proinde mundum corporeum revera existere extra nos, sicut sensus ipsi constanter et ineluctabiliter, et vividissime testantur. Sed hic quæritur satis perutiliter, utrum cognitionis veritas, quam perfecte inesse simplici apprehensioni intellectivæ

negavimus (47, I), insit apprehensioni, seu cognitioni sensitivæ. Quam quæstionem breviter solvere intendimus, antequam idealistarum difficultatibus occurramus. — Et imprimis quod veritas non plene atque perfecte sensibus conveniat, conveniat tamen aliquo modo, iisdem argumentis probatur, quæ adduximus pro simplici mentis apprehensione et judicio in ordine ad ipsam veritatem (47, I et IV). Diximus enim in apprehensione esse veritatem, quia apprehensio est cognitio; at imperfecto modo, quia veritas logica plene et perfecte nonnisi judicio inest. Sensus autem revera cognoscunt, sensitiva perceptione; at minime judicant, quia judicium est actus proprius rationis. Igitur sensibus non inest cognitionis veritas perfecto modo, quia facultate judicativa carent : inest autem eis aliquo modo eadem veritas, quatenus cognoscunt, et etiam quatenus in ipsis est quoddam vestigium judicii, juxta illud S. Augustini in Lib. II. *De Ordine*, Cap. XI. n. 33 : *Tenemus quantum investigare potuimus, quædam vestigia rationis in sensibus.* — Hæc omnia respiciunt sensus in seipsis consideratos. Verum in nobis sensus conjungitur rationi et ad rationem ordinatur; unde S. Thomas, *Qq. Disp.* de veritate, Qu. I, Artic. XI, rectissime animadvertit quod, sensus est *quodammodo medius inter intellectum et res. Est enim rebus comparatus quasi intellectus, et intellectui comparatus quasi res quædam.* Qua de causa, considerato sensu ut *quasi* intellectus, nempe ut res cognoscit, reliquum est ut consideremus sensum ipsum in ordine ad intellectum, ut est *res quædam.* Porro hoc secundo modo acceptus, rursus dupliciter considerari potest : 1° ut est quædam affectio subjectiva, seu ut est sensus affectus peculiari quadam sensatione; 2° ut est affectio objectiva, referens nempe objectum extrinsecum a quo est sensus affectus, ut supra demonstravimus. Patet autem quod sensus primo modo acceptus, est sensus *vere* modificatus vel affectus; ut cum afficior dolore verum est me esse affectum dolore : et quia res, eo ipso quod res est, dicitur vera veritate ontologica seu metaphysica; veritate metaphysica *verus* est sensus in hac hypothesi, et est *verum* objectum rationis sicut cætera objecta. *Secundum quod sensus disponitur*, inquit Angelicus, loc. prox. cit., *secundum hoc dispositionem suam intellectui demonstrat. Unde Augustinus dicit* (in lib. *De vera Religione*, Cap. XXXIII. n. 62), *quod non possunt animo enuntiare nisi affectionem suam.* — At secundo modo accepti sensus possunt intellectui esse *occasio* errandi.. Cum enim sensus sint utcumque imperfecti, ut supra diximus, ac in objectum *commune* vel *per accidens* sese ferentes, possint esse errori obnoxii, intellectus ab errore sensuum (qui

ut pulchre loquitur S. Augustinus, Lib. X. *Confess.* Cap. VI. n. 9, sunt velut *nuntii corporales*, renuntiantes omnes præsidenti et judicanti rationi) potest occasionaliter in errorem induci. Et dico *occasionaliter*, quia non sunt causæ, sed meræ occasiones, quas pars rationalis animæ nostræ potest, ut supra diximus nn. VI et VIII. devitare et errorem sensuum corrigere. — Cf. S. August. Lib. et loc. cit. *De vera Religione* et S. Th. *De veritate*, Qu. et art. cit.

XVI. Solvuntur idealistarum difficultates. *Objectio prima.* Posita objectiva realitate sensationis externæ sequitur quod corpora agant in animum; atqui corpus in animum agere nullo modo potest; ergo omnino neganda est *objectivitas* sensationis externæ.

Resp. Distinguo *majorem:* sequitur quod corpora agant in animum separatum, *nego;* sequitur quod agant in animum ut corpori unitum, seu melius, in organum animatum, *concedo.* Et contradistinguo *minorem:* corpus non potest agere in animum separatum, *transeat;* in organismum animatum, *nego;* et nego *conseq.* — Animus noster non immediate subjicitur actioni externorum sensibilium, sed organa sensoria, quæ sola haud sentiunt, sed quia animata seu vivificata ab anima sunt; ex impressione autem sensibilium in sensus, hoc est in organa corporea animata, exsurgit affectio illa quæ sensatio communiter dicitur. Et esto hæc actio sensibilium in sensus fuerit nobis inexplicabilis, non propterea esset deneganda, quia est *factum:* secus infinita alia certissima deneganda forent, quorum explicatio nos latet. — *Transmisi* autem primam partem contradistinctionis *minoris*, tum quia ad nostram quæstionem non pertinet, utrum corpus possit necne agere in animam *separatam* (sermo enim nobis est de anima ut est corpori unita), tum quia corpus quamvis in spiritum naturaliter agere non possit, non repugnat tamen quod in ipsum spiritum agat aliquo modo ut instrumentum divinæ omnipotentiæ; sicut ignis inferni in animas damnatorum agit, *inquantum est instrumentum divinæ justitiæ*, ut S. Thomas dicit, *Supplem.* Qu. LXX. Artic. III. — Cf. S. Augustin. *De civitate Dei.* Lib. XXI. Cap. X.

Objectio secunda. Impressio, seu affectio quam dicimus sensationem, est quid subjectivum, seu quid immanens in nobis. Atqui quod est hujusmodi nequit ad reale objectivum seu extra-subjectivum transferri. Ergo sensatio non debet protendi ad extra-subjectivum, seu ad corpora extra nos existentia, ut ad terminum ejus.

Resp. Distinguo *majorem:* sensatio ut est affectio sentien-

tis est quid subjectivum, *concedo;* ut est cognitio, *nego.* Et distinguo pariter *minorem:* quod est totaliter subjectivum nequit ad reale objectivum transferri, *concedo;* quod est aliquo modo subjectivum et aliquo modo objectivum nequit ad reale objectivum transferri, *nego.* Et nego *conseq.* — Jam notavimus supra, n. XV. cum. S. Thoma, quod sensus et est res quædam affecta ab objecto sensibili, et est simul cognitio. Ut est res quædam non dicit nisi seipsum, hoc est quid mere subjectivum; sed ut est simul cognitio, fertur necessario ad terminum suum cognitum, nempe, ad objecta externa quibus, ut supra diximus, exclusive excitatur. Idealistæ non distinguunt in sensu duo illa notata egregie a S. Thoma, et ideo continue falluntur.

Objectio tertia. Somniantes et delirantes asserunt se videre et sentire ut extra se existentia, quæ nullo modo existunt. Igitur, a pari, et nos vigilantes timere et consequenter dubitare jure possumus circa ea, quæ nobis ut extrinsecus existentia videntur.

Resp. Imprimis mirandum sane est idealistas ad hujusmodi facta confugere. Delirantes et dormientes testes adhibent? Sed, respondet S. Augustinus, Lib. III *contra Academicos*, Cap. XI. n. 25 : « Credo sensus non accusari, vel quod imaginationes falsas furentes patiuntur, vel quod falsa in somniis videmus. Si enim vera vigilantibus atque sanis renuntiarunt, nihil ad eos quid sibi animus dormientis insanientisque confingat. » Respondeo *secundo*, objectionem nullo pacto nocere nostræ conclusioni : nam delirantibus ea ut vera apparent quæ vera objective non sunt propter defectus existentes in sensibus; est igitur in illis exceptio, quam non sine maxima injuria rationis et providentiæ divinæ sceptici in regulam generalem converterunt. Audiatur Tertullianus eloquenter in lib. *de Anima*, Cap. XVII, contra Academicos disserens : « Quid agis, Academice procacissime? totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces et mendaces dominos præfecerit sensus. An non istis universa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundi instructio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus, ornatusque? Omnia totum vitæ saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal rationale dignoscitur intelligentiæ capax et ipsius Academiæ. » — Respondeo *tertio*, nos hic non agere de phantasmatibus quæ nobis dormientibus occurrunt, sed de externa sensatione : quam diversam esse a sensationibus phantasticis habitis

in somnio, unusquisque non solum in vigilia, sed etiam in ipso somnio aliquando discernit : cum somniando non raro dubitamus utrum somnia sint somnia vel realitates; quod in vigilia de inanitate somniorum judicium ferimus.

Objectio quarta. Sensus externi testantur qualitates, quibus sensus ipsi afficiuntur, ut puta *calidi, frigidi,* etc., inesse corporibus, quibus tamen non insunt. Igitur sensuum externorum testimonium fallax est.

Resp. Si qualitates illæ accipiantur ut sunt *affectiones* subjecti sentientis, verum est quod non in rebus, sed in nobis sunt; at si accipiantur pro *causis* a quibus tales affectiones in nobis producuntur, revera sunt in rebus ipsis. Hinc sensatio calidi et frigidi est utique in me. sed objecta, puta *ignis* vel *glacies* a quibus sensatio illa producitur, sunt quid extra me. — Deinde, ut supra præmonuimus, n. XI. quæstio nostra cum idealistis non est neque esse potest de *natura intrinseca,* neque de *modo* existendi rerum, quas per sensus externos percipimus, sed est de existentia simpliciter rerum quæ sensus nostros afficiunt. Id sensus renuntiant, et vere renuntiant; cætera investigare ad rationem pertinet.

ARTICULUS SECUNDUS

(51)

De Phantasia.

I. Phantasiæ et phantasmatum notio. Phantasia, græcum vocabulum a φαντάζω *apparere facio,* idem est ac latine *imaginatio :* quo nomine intelligitur, *animæ nostræ facultas reproducendi in semetipsa sensibilitatis externæ objecta, ipsis objectis absentibus.* Quam facultatem nobis inesse experienta quotidiana apertissime testatur, tum in vigilia, tum potissimum in somno. Species objectorum quæ a phantasia reproducuntur, vocantur phantasmata, quæ *nihil sunt aliud quam de specie corporis corporeo sensu adtracta figmenta,* ut Augustinus dicit Lib. *De vera Religione,* Cap. X. n. 18 : *quæ,* prosequitur S. Doctor, *memoriæ mandare ut accepta*

(1) De realitate objectiva cognitionis sensitivæ. Cf. FARGES, *Objectivité de la perception et la psychologie thomiste; Les certitudes de l'expérience.* — DE MUNNYNCH, *Revue thomiste,* t. VI, p. 620. — PESCH, *Inst. Logicales,* vol. II, p. 600-668.

sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel pertubare, vel quolibet modo figurare cogitando facillimum est. — Consulto dixi, *ipsis objectis absentibus :* namque inter sensationem externam et phantasiam hoc interest discrimen, quod illa nonnisi a præsentia rei excitatur; contra phantasia res ipsas, jam per sensationem externam expertas, potest absentes reproducere.

II. Phantasia in nobis consociatur exercitio intelligentiæ. Procul dubio intelligentia est facultas essentialiter distincta a phantasia et a qualibet alia facultate sensitivâ, nobiliorisque naturæ; attamen de facto nobis constat quod quemlibet intelligentiæ actum, in præsenti vitæ statu, phantasia comitatur. Etenim, ut S. Thomas, P. I. Qu. LXXXIV. Art. VII, notat, « hoc quilibet in seipso experiri potest, quod, quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat, quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod, quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum. » Non est hujus loci quærere et assignare rationem hujus facti; existentiam ejus innuisse in præsenti nobis sufficiat.

III. Pericula intelligentiæ ex phantasia. Phantasmata per se esse ordinata ad coadjuvandam nostram intelligentiam, ex declaratis in numero præcedenti satis liquet; at nisi rationabilis cautela adhibeatur, gravissimis periculis intelligentiæ esse possunt. Et revera, objectum intelligentiæ sunt universalia et spiritualia, et phantasma imaginationis nonnisi singulare et corporeum exhibet. Accidit igitur non raro, ut nonnulli vividiori, quam par est, imaginatione affecti, in phantasmatum objectis non inspiciant intelligentia quod inspiciendum est, nempe elementum universale et intelligibile, sed contra res ipsas intelligibiles et universales scientiæ veritates phantasmatibus imaginationis metiantur, nihilque admittere pertinaciter velint quod phantasmati non respondeat et imaginationi non arrideat. Quo nihil iniquius, nihil funestius scientiæ (44, II). Isti assimilantur delirantibus, quibus ratio, impetu phantasmatum abrepta, putat præsentes habere res, quæ nullo pacto sunt.

IV. Remedia contra pericula imaginationis. Ut ergo phantasiam intra limites suos contineamus, ac pericula, quæ ex ejus præpotenti influxu provenire possunt rectæ investigationi veritatis, caveamus, necesse est : — 1° reflexione uti,

qui elementum phantasticum ab elemento rationali probe discernamus; — 2° vi phantasmatum nunquam asserere imaginatarum rerum actualem seu præsentem objectivam existentiam, nisi hæc nobis constet testimonio sensuum externorum : etenim officium phantasiæ, ut diximus supra, est retinere et reproducere objecta sensationis externæ, etiam ipsis objectis absentibus; consequenter de actuali rerum præsentia non ad ipsam pertinet testificari; — 3° a judiciis proferendis prudenter abstinere, quoadusque deferveat tumultuosus impetus ardorque imaginationis : quod quidem remedium pernecessarium esse tristis experientia satis superque demonstrat.

ARTICULUS TERTIUS

(52)

De conscientiæ testimonio.

I. Conscientiæ notio. Nos non solum sentimus et cognoscimus, verum etiam scimus nos et sentire et cognoscere : amamus, dolemus, lætamur, aliisque affectionibus successive subjicimur; et hæc omnia animum nostrum non latent, sed ea ipse plenissime animadvertit, ut cuique notum est. *Facultas, qua anima nostra proprias affectiones percipit*, dicitur *conscientia* a *conscire*, quasi *secum scire*. Hoc vocabulum ad designandam hanc animæ nostræ facultatem moderni philosophi usurpant; eam vero nomine *sensus intimi* communiter designabant antiqui philosophi, qui vocabulo, *conscientiæ* in morali doctrina exclusive utebantur, ad designandam proximam regulam humanarum actionum.

II. Conscientia INTELLECTIVA **et Conscientia** SENSITIVA. Nullum dubium quod objecta conscientiæ sint non solum actiones nostræ intellectivæ, sed etiam sensitivæ : utrasque enim sentimus. Quia tamen maxima cautela uti debemus etiam in vocabulis, ne confusio vocabulorum confusionem idearum ingeneret, præsertim cum agitur de distinctione servanda inter sensum et intellectum, tutius est et necessarium distinguere conscientiam in *sensitivam* et *intellectivam*. Prima affectiones animæ sensibiles renuntiat, altera vero tum actiones partis sensitivæ, tum et primario actiones partis rationalis, mentis scilicet et voluntatis. Conscientia intellectiva nobis ratione utentibus propria est aliis-

que substantiis spiritualibus; at conscientia sensitiva non solum nobis, sed etiam brutis saltem perfectioribus, omnino convenit. « Arbitror, inquit S. Augustinus in II. *De libero arbitrio*, Cap. IV. n. 10, etiam illud esse manifestum *sensum illum interiorem* non ea tantum sentire quæ acceperit a quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret, non ad sciendum, *nam hoc rationis est*, sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit. Quod si adhuc obscurum est, elucescet, si animadvertas quod exempli gratia sat est in uno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum, et movere adspiciendo ad id quod videre appetit, nullo modo posset, nisi oculo clauso vel non ita moto se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre dum non videt, necesse est etiam sentiat se videre dum videt : quia cum eo appetitu non movet oculum videns, quo movet non videns, indicat se utrumque sentire. »

III. Conscientiæ objectum. Ex his omnibus colligitur quodnam sit proprie et exclusive objectum conscientiæ. Videlicet, conscientiæ testimonium extra ambitum internarum affectionum animæ nostræ non excurrit : non dicit neque dicere potest quænam sit natura, quæ causæ, quæ relationes affectionum, quas experimur : hæc enim omnia investigare et definire officium est rationis; sed *unice* prædictas affectiones, ut *facta quædam actualiter existentia in nobis* testatur. Et hoc sedulo notandum est, ne conscientiæ officium ultra suos limites extendatur.

IV. Quæstio. Hic quæri solet, utrum conscientia respectu sui objecti sit criterium veritatis, seu tale testimonium, ut ratio nostra eo freta, possit certo retinere factum quod ipsa conscientia testatur. Quæ sane quæstio inutilis prorsus videbitur illis, qui tum ex natura conscientiæ tum ex objecto in quod ipsa exclusive fertur, recte tenent conscientiæ testimonium esse omnino infallibile : attamen ne nihil sine aut probatione aut declaratione relinquamus, et quia non defuerunt qui conscientiæ veracitatem sunt inficiati, quos inter citantur Fichte et Lamennais, sit sequens conclusio :

V. Conscientia intra limites proprii objecti est criterium veritatis. Consulto dico, intra limites proprii objecti : nunquam enim interroganda est aliqua facultas respectu objecti positi extra sphæram suæ activitatis, sicut est interrogandus visus non de *sono* sed de *coloribus*. — Probatur ergo conclu-

sio : Conscientiæ veracitas, sive consideretur ex natura objecti quod refert, sive ex natura ipsius conscientiæ, non potest in dubium revocari, quin simul dubio ipso affirmetur. Ergo conscientia intra limites proprii objecti est criterium veritatis. *Consequentia* est manifesta. Probatur *antecedens* quoad utramque partem : et primo.

Ex natura objecti quod refert. Hujusmodi objectum, ut dictum est, non est aliquid ratiocinatione deductum, sed *factum* quo nihil immediatius, nihil intimius, nihil vividius afficere animum potest, quia objectum seu factum illud, est ipse *animus affectus*. Atqui factum, eo ipso quod afficit animum, non potest non afficere, et eo ipso quod animus afficitur illo facto, impossibile omnino est ut fallatur in affirmando se esse affectum. Pone dubium conscientiæ testimonium; et in hac hypothesi *factum* afficiens animum, seu *objectum* conscientiæ, erit ipsum dubium; ac proinde ex ipsa ratione objecti, negari non potest conscientiæ veracitas circa suum objectum testandum, quin simul ipsa negatione affirmetur evidentissime..

Ex ipsa conscientiæ natura. Namque, si quis dubitet de conscientiæ testimonio, aut scit se dubitare, aut nescit : non enim datur medium. Si nesciat, stulte loquitur, et non est curandus; si sciat, scit procul dubio se dubitare per testimonium conscientiæ, quam ipse necesse est habeat ut criterium veritatis ad affirmandam suam dubitationem : nempe conscientiæ natura talis est, ut ejus veracitas in renuntiandis propriis objectis non possit verti in dubium quin simul invictissime probetur. — Et hinc est quod S. Thomas, *Commentar.* in Lib. de *Anima*, Lect. I, scientiam psychologicam, quamvis difficultatibus obsitam fateatur, addit tamen præ aliis philosophiæ partibus esse certissimam, eo sensu videlicet quod per conscientiam quilibet experitur in semetipso habere animam, et hanc dare vitam corpori.

VI. Quo pacto conscientia attingat etiam SUBJECTUM COGITANS **vel** SENTIENS. Diximus conscientiam ad affectiones nostras nobis renuntiandas unice destinari. Verum indirecte et per accidens (eo modo quo diximus — 50, VII. et VIII. — de sensibili *per accidens* sensuum externorum) refert etiam *subjectum* ipsum talium affectionum, non quidem quoad intrinsecam ejus naturam, sed ut *factum* conjunctum objecto suo proprio. Et revera, affectio a conscientia renuntiata, non est affectio abstracte sumpta, sed concreta, individua, existens in subjecto cujus est affectio:

nam ex se, cum sit accidens, esse non potest (6, III et IV). Ergo eo ipso quod conscientia renuntiat affectionem illam, ut hæc de facto est, renuntiat simul indirecte et per accidens *subjectum affectum*. Qua de causa S. Augustinus, Lib. XI. *de Civitate Dei*, Cap. XXVI, ex conscientiæ testimonio vindicabat contra Academicorum dubitationes non solum factum cognitionis, sed et existentiam nostram, ut videre est in auctoritate allata art. 49, n. V. Et S. Thomas, loc. cit. *De Anima*, dicit : *hoc quilibet experitur in seipso, quod scilicet habeat animam et quod anima vivificet.* — Consulto autem dixi quod conscientia renuntiat *subjectum* cogitans vel sentiens, ut *factum:* nam considerare naturam ipsius subjecti, non ad conscientiam ullo modo, sed ad rationem pertinet, cujus est analysim instituere circa relata a conscientia, ut veritatem facti in philosophicam convertat, et ex factis conscientiæ ad naturam animi nostri cognoscendam assurgat.

VII. De conscientia directa et de conscientia reflexa. Hæc divisio conscientiæ passim a modernis scriptoribus admittitur. Conscientia *directa*, inquit Balmes, *Philosophia fundam*, Lib. I, Cap. XXIII, nu. 226, et 227, est præsentia phænomeni in anima, sive phænomenon illud sit sensatio, sive idea, sive actus, sive quælibet affectio ordinis intellectivi vel moralis. — Conscientia *reflexa* est actus, quo anima explicite cognoscit phænomenon in seipsa existens. Sentio sonum : sensatio prouti est animæ præsens constituit conscientiam *directam;* advertentia illius sensationis, seu sentire vel cogitare se sentire, est conscientia *reflexa*. — Verum, ut candide fatear, hæc divisio mihi non satis arridet. Etenim cum dico : *Sentio me sentire, intelligo me intelligere*, duo sunt expressa in his locutionibus, nempe *sentire, intelligere* et *sensatio sensationis, intellectio intellectionis*. Primi actus non sunt conscientiæ proprie dictæ, sed *sensus* et *intellectus*. Ergo secundi actus, qui primos comitantur, sunt proprie actus conscientiæ, cujus objectum sunt affectiones animi, hoc est sentire et intelligere. Advertentia ergo, ut ego existimo, constituit formaliter *conscientiam:* quæ ideo aut tota dicenda est reflexa, si advertentia illa dici debeat reflexa, aut tota directà, si ipsa advertentia revera sit directa (1).

(1) Inter criteria subjectiva accenseri oportet et examini subjicere quod ab Herbert Spencer proponitur, videlicet *insociabilitas contradictoriæ*. Juxta ipsum et scholam positivam experientia est unicus fons cognitionis. Nunc autem experientia personali et hereditaria a parentibus aliquas modificationes conscientiæ acquisivimus et organicas dispositiones, ita connexas ad invicem et indivisibiles ut eorum separatio per negationem evadat im-

VIII. De difficultatibus quæ moventur contra conscientiæ veracitatem. A difficultatibus referendis quæ contra veracitatem conscientiæ moventur, supersedendum duco, ne inutiliter tempus terrere videar. Ideo enim ab adversariis arguitur falsi testimonium conscientiæ, quia quæritur testimonium a conscientia de rebus, de quibus ipsa nihil testatur ac testari potest. Quid enim ad conscientiam utrum judicia mea logice vera sint, vel sensationibus meis objecta externa respondeant nec ne, aliaque hujusmodi sexcenta, de quibus non interest conscientiæ aliquid proferre, neque valet? Quando conscientia mihimetipsi affirmat me judicare, me velle, me sentire, ceteraque similia, totum dicit quod potest dicere: cetera investigare rationis officium est, non conscientiæ. Ad quæ non animadvertens de La Mennais, in suo *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, absurda congerit contra veracitatem conscientiæ, cujus tamen naturam, officium et limites omnino ignorare demonstrat, et consequenter suam propriam umbram insequitur et ærem verberat.

ARTICULUS QUARTUS

(53)

De intelligentia et ratione (1).

I. Intelligentiæ et rationis notio. Quamvis unica sit in

possibilis conceptu. Hæc *impossibilitas contradictoriam concipiendi* est signum, vel *motivum*, consequenter est *criterium* certitudinis.

R. Hæc positio *criteriologice* considerata duas notiones confundit, insociabilitatem objectivam et subjectivam. Objectiva *insociabilitas contradictoriæ*, ut idea trianguli et non trianguli, esse potest criterium aliquod relativum certitudinis. Attamen subjectiva insociabilitas conceptus contradictorii nullimode est criterium certitudinis, cum superior et fortior intelligentia valeat aliquando illos conceptus componere quorum unio est pro me inconcepibilis. Ita e. g. ex hoc quod intimam naturam unionis divinæ motionis cum humana libertate concurrentis ad opus *concipere* non valeo, minime sequitur eas non posse in se harmonice uniri. De *positivismo* agemus ubi de universalibus. — Cf. MERCIER, *Critériologie*.

(1) Hic peropportunum ducimus ad memoriam revocare quæ Auctor tradit in *Dialectica*, lib. III, cap. IV, a. 1 et in Critica, lib. I, cap. unico, a. 1. *De statibus* et *actibus* mentis relate ad veritatem consequendam. Ut munus etiam intelligentiæ considerare oportet illam naturalium hominis inclinationem ad cognoscendas multas veritates et plura judicia efformanda quibus bonum naturæ et vitæ rationalis arctius est conjunctum, quæ inclinatio *sensus communis* dicitur. Auctor autem ad humanum magisterium ipsum reducit et exponit inferius. *Critica*, lib. II, cap. III, a. II, quatenus est complexus veritatum, quas facilius homines consequuntur.

anima nostra facultas intellectualis cognoscitiva, variis tamen nominibus passim designatur, secundum varia officia ad quæ natura sua ordinatur. Hinc dicitur *conscientia*, quatenus affectiones animi nostri refert, ut in præcedenti articulo late disseruimus; dicitur *intelligentia*, vel etiam simpliciter *intellectus*, secundum quod immediate et sine discursu aliquo nonnullas veritates illico intelligit, ut sunt prima principia, seu judicia per se nota (41, V); dicitur *ratio*, secundum quod discursu seu ratiocinatione ab una veritate ad alteram veritatem *intelligendam* (nam *intelligentia* seu *intelligere* est finis ratiocinii), a principiis nempe ad conclusiones, procedit. Fuse de hac re disserit S. Thomas *Q. Disp.* De veritate, Qu. XV. Artic. I. Aliis insuper denominationibus designatur, quæ videri possunt apud ipsum S. Thomam, loc. cit.; sed, ne confusio obrepat, eas hic non adducimus : adducemus ubi sese præbuerit occasio. Duo tantummodo hic notabimus. Primum est quod hujusmodi denominationes, potius quam facultatem ipsam, designant *actiones* diversas ejusdem facultatis; alterum est quod usu venit ut *ratio*, *intelligentia*, *mens*, *intellectus* promiscue usurpentur ad significandam ipsam facultatem intellectivam. Attamen in præsenti *intelligentiam* et *rationem* sumimus strictiori sensu supra explicato, et duo quærimus : 1° utrum intelligentia in suis judiciis possit esse errori obnoxia; quod idem est ac quærere, utrum sit criterium veritatis? 2° utrum idipsum dicendum sit de ratione? Sit igitur :

II. Intelligentia non potest esse errori obnoxia in judicii sibi propriis. Hanc conclusionem paucis ostendit S. Thomas, P. I. Qu. XVII. Artic. III. ad 2 : « Intellectus, inquit, semper est rectus, secundum quod est principiorum, circa quæ non decipitur ex eadem causa, qua non decipitur circa *quod quid est* (47, III). Nam principia per se nota sunt illa, quæ statim intellectis terminis cognoscuntur, ex eo quod prædicatum ponitur in definitione subjecti. » Quæ ratio Angelici alio modo proponi potest, nempe : Intelligentia judicia illa solummodo format, quorum prædicantum includitur in notione subjecti, ut supra dictum est. Igitur aut notionem subjecti præhabet, aut secus. Si non habet, nullum judicium enuntiare potest, ut patet. Si autem habet, ergo simul habet prædicatum necessario convenire vel repugnare subjecto : et hanc repugnantiam vel convenientiam per judicium enuntiando, impossibile est quod erret, sicut impossibile est quod apprehendendo subjectum, simul ipsum non apprehendat.

III. **Solvuntur difficultates.** Antequam ad alteram conclusionem veniamus, opportunum erit hic solvere difficultates, quæ contra intelligentiæ veracitatem a nonnullis moventur.

Objectio prima. Quidam philosophi inficiati sunt prima principia immediata seu per se nota, ut Heraclitus, ex antiquis, et Hegel, ex recentioribus, negarunt veritatem principii contradictionis, *Impossibile est idem simul esse et non esse*, et Beguelin in dubium vertit principium causalitatis, *Non datur effectus sine causa*. Atqui hujusmodi philosophi errarunt procul dubio in intelligentiæ judiciis. Ergo intelligentiæ judiciis potest subesse falsum.

Resp. Distinguo *majorem:* inficiati sunt voce vel scripto ad animi ostentationem, *concedo;* inficiati sunt revera, hoc est intima intellectus persuasione, *nego*. Et, *transmissa minori*, nego *conseq.* — De erroribus horum philosophorum sermo erit suis in locis. Ad præsentem quæstionem quod attinet, animadverto cum Aristotele agente contra Heraclitum, in IV. *Metaphysic.*, Cap. VI. necessarium non esse ut quidquid aliquis verbis dicit, mente etiam teneat vel opinetur. Et S. Thomas in I. *Posterior Analytic.*, Lect. XIX. sapienter addit : « Nihil est adeo verum, quin voce possit negari; nam et hoc principium notissimum quod, *non contingat idem esse et non esse*, quidam ore negaverunt. Quædam autem adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo interiori ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori quæ est per vocem. » Et paulo ante, n° 2, dixerat : « Proprium autem est horum principiorum, quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam *necesse est videri quod per se sint vera. Nullus enim potest opinari contraria eorum.* »

Objectio secunda. Veracitas intelligentiæ probari non potest; veracitas enim intelligentiæ nonnisi per intelligentiæ veracitatem probaretur : quod esset petitio principii. Igitur veracitas intelligentiæ ad minus incerta est.

Resp. Distinguo *anteced.* Veracitas intelligentiæ probari non potest demonstratione late sumpta, *nego;* probari non potest demonstratione stricte accepta, *subdistinguo:* probari non potest, quia probatione non indiget, *concedo:* probari non potest et probatione indiget, *nego*. — Rationem additam iterum distinguo : veracitas intelligentiæ nonnisi per veracitatem intelligentiæ sub eodem respectu sumptæ probaretur, *nego;* sub diverso respectu, *concedo*. Et nego *conseq.* Nos non dedimus rigorosam demonstrationem veracitatis intelligentiæ, sed reflexionis ope eam declaravimus. — Non sequitur autem quod, si aliqua res sit

indemonstrabilis, eo ipso dubia sit : etenim, demonstratione indigent quæ per se et immediate menti non innotescunt; quæ vero immediata evidentia patent intellectui nostro, ut sunt prima principia quæ intelligentiæ judicia constituunt, ridiculum esset vel demonstrare. Namque demonstratio tendit ad intelligentiam veritatis; quæ si ante demonstrationem habetur, perfectius habetur, et demonstratio prorsus inutilis evadit. Distinximus pariter *minorem;* non enim involvit petitionem principii per intelligentiam *reflexam* declarare et in tuto ponere veracitatem intelligentiæ nostræ.

Objectio tertia.. Solus Deus est infallibilis. Igitur humanæ intelligentiæ deneganda est infallibilitas.

Resp. Distinguo *anteced.* : Solus Deus est infallibilis hoc sensu quod ipsi soli conveniat infallibilitas absoluta et imparticipata, *concedo;* hoc sensu quod aliis rebus a Deo non possit convenire aliqua infallibilitas ab ipso Deo participata, *nego;* et contradistinguo *conseq.:* humanæ intelligentiæ deneganda est infallibilitas absoluta et imparticipata, *concedo;* infallibilitas relativa et participata, *nego.* Ratio distinctionis alibi data est (48, VI, in responsione ad object. 3). Addo quod quia Deus est essentialiter, infinite et imparticipate infallibilis, inferendum potius est quod mens humana, quæ a Mente infinita creata est, sit infallibilis *finito modo et quoad aliquas veritates* certo dignoscendas, ex quibus ceterorum judiciorum in scientiis certitudo pendet : ut scilicet mens finita aliqua saltem ratione suam Causam imitetur, et ne dicamus *lumen vultus divini super nos signatum* nullam veritatem posse illuminare. — Ad secundam igitur conclusionem veniendum est, videlicet :

IV. Ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinium inferendis PER SE **non fallitur, at falli potest** PER ACCIDENS. Cur apponam *in judiciis mediatis per ratiocinium inferendis*, manifestum est ex dictis n. I. hujus articuli. Probatur itaque *prima pars* conclusionis ratione jam adducta in responsione ad argumenta scepticorum (48, VI ad 2). Falli *per se* idem est ac falli ex intrinseca natura facultatis cognoscitivæ, et in casu nostro, ex intrinseca natura rationis. Atqui id asserere de ratione vehementer repugnat. Ergo ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinium inferendis *per se* non fallitur. — *Major* probatione non indiget : explicat enim quid intelligatur per τό falli *per se.* Probatur *minor.* Fallacia et veracitas, error et veritas mutuo opponuntur; et consequenter ad invicem pugnant manifeste hæc duo, *esse natura sua*

ordinatum ad veritatem, et *natura sua in errorem tendere*. Atqui ratio humana, ut quisque sanæ mentis concedit, natura sua est ordinata ad veritatem : *quo enim*, inquit Augustinus, *De vera Religione*, Cap. XXXIX. n. 72, *pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem?* Ergo aperte repugnat quod ratio humana natura sua sit fallax, seu quod ad errorem sit inclinata.

Probatur secunda pars conclusionis (de qua jam dictum est. Art. 48, VI, ad 2 object.), quod scilicet ratio humana falli possit *per accidens*. Falli *per accidens* est falli non ex intrinseca natura rationis, sed ex aliqua causa quæ impedit rectum exercitium rationis, prout etiam *per accidens* defectus contingunt in aliis agentibus naturalibus (42, I). Atqui hujusmodi impedimentum dari posse, imo de facto dari in processu rationis humanæ, constat ex ipsius rationis erroribus *(ibid.)*. Ergo ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinium inferendis falli potest *per accidens*. — Quæ omnia vel magis patebunt, si ad modum, quo ratio nostra se habet tum respectu conclusionis vere demonstratæ, tum respectu conclusionis probabilis, attendatur. Unde sit :

V. In demonstrationibus mens ex necessitate assentitur veritati conclusionis demonstratæ. Sumo *demonstrationem* in sensu rigoroso (41, 1), quo in sensu conclusio enuntiata vix probatione indiget. Etenim veritas conclusionis in legitima argumentatione ita necessario et intime connectitur veritati *præmissarum*, ut veritas conclusionis negata importet secum negationem veritatis præmissarum. Atqui in demonstrationibus mens necessario assentitur præmissarum veritati (*supra*, n. III. ad. 1.). Ergo non potest hoc in casu veritatem conclusionis negare quin simul neget concessam præmissarum veritatem, hoc est contradictione manifesta necessario implicetur. Ad rem S. Thomas, P. I. Q. LXXXII. artic. II : « Quædam propositiones sunt necessariæ, quæ habent connexionem necessariam cum primis principiis, sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum. Et his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem. » — At contrarium prorsus dicendum est relate ad conclusionem probabilem videlicet :

VI. In argumentatione probabili mens non ex necessitate conclusioni assentitur. Probatur hæc secunda propositio iisdem principiis in præcedenti conclusione enuntiatis. Mens eodem modo adhæret conclusioni, quo adhæret præmissis. At-

qui in argumentatione probabili mens nostra non ex necessitate adhæret veritati utriusque aut saltem unius præmissarum : quia in argumentatione probabili acceditur ad veritatem (42, II), sed ea non perfecte contingitur (40, XII); intellectus autem nonnisi a veritate evidenti ad assensum ex necessitate movetur. Ergo in argumentatione probabili mens non ex necessitate assentitur conclusioni. « Sunt autem quædam intelligibilia, iterum Angelicus, *loc. cit.*, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia; sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum. Et talibus non ex necessitate assentit intellectus. »

VII. Solvuntur objectiones contra rationis humanæ veracitatem. Reliquum est ut adversariorum difficultatibus contra veracitatem rationis humanæ satisfaciamus, illis tamen sepositis, quas alibi (48, VI.) ex scepticis absolutis adduximus et solvimus.

Objectio prima. Ratio, suis ratiociniis, nullam veritatem intactam reliquit, omnesque errores æque patrocinata est. Ergo non habenda est ut veritatis criterium. Ita Felicitas de La Mennais in opere. *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, Tom. II. cap. XIII.

Resp. Distinguo *anteced.:* Ratio natura sua et *per se* nullam veritatem intactam reliquit, etc., *nego;* ratio *per accidens* et ex abusu, *concedo;* et nego *conseq.* — Distinctio ex supradictis est manifesta. Auctor citatus incidit in fallaciam quæ est a *secundum quid ad simpliciter* (43, IV).

Objectio secunda ex eodem Auctore, *loc. cit.* Atqui etsi legitime ratiocinetur humana ratio, nullam tamen veritatem intactam relinquit, omnesque errores patrocinatur. Ergo stat prima difficultas. Probatur *anteced.* Tunc ratio dicitur legitime ratiocinari, cum ex principiis certis atque evidentibus conclusiones infert. Atqui nullum est principium tam certum, ut ex eo oppositæ conclusiones deduci non possint. Ergo, etc.

Resp. Nego *subsumpt.* Ad ejus probationem, concessa *majori*, nego *minorem* et *conseq.* Fallitur de La Mennais cum ex principiis certis atque evidentibus affirmat posse inferri oppositas conclusiones : ex vero enim antecedente falsum sequi omnino repugnat (31, VI). — Quod si contrarium contingat aliquando, id non ex ratiocinatione provenit, sed ex eo quod fallacia admiscetur ratiocinationi.

Objectio tertia ex eodem Auctore, *loc. cit.* Mentem nostram

mutari in suis judiciis nemo negat. Atqui hæc mutatio prodit rationis fallibilitatem. Ergo idem quod prius.

Resp. Mentem nostram mutari non in rebus certis, sed probabiliter cognitis. Quod si aliquando mens etiam a veris certissimis deficiat, id contingit non *per se*, sed *per accidens*, scilicet vel propter præjudicia et pravas passionum persuasiones, quæ rationis puritatem deturpant, vel propter syllogismum sophisticum, qui effigiem veritatis præ se ferens, ab ipsa veritate mentem retrahit.

Objectio quarta, ex eodem Auctore, *Op.* et *loc. cit.* Omnis ratiocinatio præsupponit : 1° certam cognitionem, unde ratio procedit (41, IV); 2° veracitatem memoriæ, quæ præmissas ut certas subministrat; 3° veracitatem rationis ratiocinantis. Atqui : 1° nihil certo cognoscimus; 2° nulla ratio est quæ nobis persuadeat credendum esse memoriæ veracitati; 3° veracitas denique rationis probari nequit nisi per ipsius rationis veracitatem, hoc est per circulum vitiosum. Ergo ratio ad nullam certitudinem nos ducere potest.

Resp. Mirandum sane est de La Mennais in oppugnanda tam acriter veracitate rationis non animadvertisse se implicari manifesta scepticorum contradictione. Undenam enim tot argumenta congessit? Nonne ratione? Igitur innixus veracitati rationis, rationis veracitatem oppugnavit, et eo ipso quod hanc veracitatem ut dubiam proclamat, certissimam subaudit et affirmat. — Respondeo secundo : concedo primam partem *majoris*, transmitto *secundam*, concedo *tertiam*. Quoad *minorem*, *nego* primam partem, quæ est scepticorum assertio alibi confutata (artic. 48); *nego* secundam partem in sensu ab adversario acceptam : quamvis enim multa memoria excidant, plura tamen firmiter retinemus, et de his certissimi sumus tum in ordine intellectivo, tum in ordine sensitivo; ut e. g., est memoria quam de patria et parentibus habemus, et de conclusionibus demonstrativis aliquando illatis. — Distinguo vero, ut supra (III ad 2), tertiam partem. Non immoror in explicandis hujusmodi responsionibus, quia faciles per se sunt, præsertim post dicta contra scepticos absolutos et intelligentiæ veracitatis impugnatores, quorum sophismata magno apparatu recitavit de la Mennais, vir quidem ingenio potens sed imaginatione præpotens. Transmisi autem *majoris* argumenti partem quæ respicit memoriam, quia revera ad rectam ratiocinationem non præsupponitur memoria quoad principiorum veritatem, quæ actualiter a ratiocinante percipitur, sed quoad principia nonnulla secundaria et mediata, quæ memoria præcedentis ratiocinationis, actualiter menti forlassis non occurrentis,

ut certa tenemus, et quibus utimur in aliis nostris ratiocinationibus.

CAPUT SECUNDUM

DE CRITERIIS OBJECTIVIS

Prologus. Deinde *(Prolog. ad hunc Lib.)* dicendum est de criteriis objectivis. Et *primo* quidem dicemus in genere *de criterio objectivo*, quod omni cognitioni certæ præest, scilicet *de evidentia;* — deinde *de primis principiis*, quibus ratiocinia nostra nituntur quoad judicia conclusionum; tertio de *doctrina Kantiana* contra objectivitatem primorum principiorum; *quarto* denique *de doctrina Hegeliana* contra veritatem eorumdem principiorum.

ARTICULUS PRIMUS

(54)

De evidentia.

I. Evidentiæ notio communis. *Evidens*, nomen est communissimum cujus significatio clarius ab omnibus intelligitur, quam valeat explicari. *Quid enim*, dicimus, *est hoc evidentius?* Per quod significamus rem ita *patere*, esse *manifestam*, *visibilem* cuique intuenti, ut de ea inter omnes convenire necesse sit. Est autem res evidens *evidentia*, sicut est vera *veritate*, bona *bonitate*, lucida *luce*, etc. Igitur *evidentia* abstracte sumpta est *veritatis perspicuitas menti cognoscenti.* « Nil clarius ἐνάργεια, ut Græci; *perspicuitatem*, aut *evidentiam* nos, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba. » Ita Tullius Lib. II. *Academ. Prior.*, Cap. XI. — Quæ evidentia vocatur etiam lumen objectivum, metaphora desumpta a luce corporea manifestativa corporum. *Lumen*, inquit S. Thomas, P. I. Qu. CVI. Artic. I. *secundum quod ad intellectum pertinet nihil est aliud quam quædam manifestatio veritatis.*

II. De evidentia objectiva et subjectiva. A recentioribus philosophis evidentia dispescitur in objectivam et subjectivam, quam divisionem applicant etiam certitudini. Eviden-

tiam *objectivam* dicunt rei perspicuitatem menti affulgentis, de qua numero præcedenti diximus; evidentiam vero *subjectivam* dicunt claram perceptionem ipsius objecti intellectui præsentis, in sua perspicuitate. Hinc evidentia objectiva est, juxta istos philosophos, certitudo objectiva (40, III); et evidentia subjectiva est certitudo subjective accepta *(ibid.)*, quæ ab objectiva dependet, sicut effectus a causa *(ibid.)*. Hæc duplex evidentiæ acceptatio in scholis jam prævaluit : attamen quia ex recto usu vocabulorum sæpissime pendet claritas idearum et æquivocationum remotio, velim, ut hac in re philosophi mordicus tenerent rigorosam vocum significationem, ut scilicet nomine *certitudinis* designaremus quid subjectivum, nempe assensum seu firmitatem mentalis adhæsionis alicui cognoscibili (40, III); et nomine evidentiæ quid exclusive objectivum, nempe perspicuitatem intelligibilis. Hoc pacto evitaretur periculum confundendi elementum subjectivum cum elemento objectivo nostrarum cognitionum, et non indigeremus distinctionibus uti, quoties sermo est de evidentia et de certitudine (1).

III. Evidentia immediata et mediata. Sicut autem certitudo in immediatam et mediatam dividitur (40, III), ita et evidentia, qua ipsa nititur certitudo. — Evidentia immediata est perspicuitas quam res ex seipsa habet, hoc est perspicuitas non mutuata, in ordine logico, ab alia re; hujusmodi est evidentia primorum principiorum factorumque quæ tum sensatione externa, tum conscientia perspiciuntur. — Evidentia vero mediata est perspicuitas, quam res, respectu nostri, seu in ordine logico, ex se non habet, sed ab alia mutuatur; hujusmodi est evidentia conclusionum. Exemplum utriusque evidentiæ habes in sole et luna : sol enim est per se lucidus; at luna, corpus opacum, non lucet nisi luce participata a sole.

IV. De idea clara et distincta Cartesii. Evidentiam sic definivimus (I.), ut ad objectum intelligibile exclusive pertinere sit dicendum : nam criterium evidentiæ minime confundendum est cum affectione (quæcumque illa sit) subjecti cogitantis : quam tamen confusionem, scientiæ perniciosissimam, non satis devi-

(1) Eodem pacto, quo nulla certitudo objectiva dici valet, ita nulla evidentia subjectiva est nuncupanda. Certitudo status mentis est, hinc semper quid subjectivum; evidentia veritatis perspicuitas est, hinc semper quid objectivum; veritas enim et cognoscibile et objectum idem sunt.

tatam a Cartesio fuisse quidam conqueruntur. Posuit enim ideam claram atque distinctam esse motivum a quo mens ineluctabiliter movetur ad assensum certum suorum judiciorum; at quid intelligendum sit per *ideas*, utrum nempe potentia intellectiva, vel affectio ipsius potentiæ, vel aliquid objectivum, non satis clare explicavit : imo pro eisdem facultatibus vel actionibus intellectivis usurpasse, ex ejus responsionibus ad objectiones adversariorum colligi videtur. Ceterum quidquid sit de mente Cartesii, cavendum omnino est ne *evidentiam* objectivam cum aliquo principio subjectivo confundamus. Ex hac enim confusione idealismus et scepticismus necessario manant, ut demonstrat S. Thomas, P. I. Qu. LXXXV. artic. II. per hæc verba : « Quidam posuerunt, quod vires, quæ sunt in nobis cognoscitivæ, nihil cognoscunt nisi proprias passiones, puta, quod sensus non sentit nisi passionem sui organi. Et secundum hoc intellectus nihil intelligit, nisi suam passionem, scilicet speciem intelligibilem in se receptam... Sed hæc opinio manifeste apparet falsa ex duobus. — Primo quidem, quia eadem sunt quæ intelligimus, et de quibus sunt scientiæ. Si igitur ea quæ intelligimus essent solum species quæ sunt in anima, sequeretur quod scientiæ omnes non essent de rebus, quæ sunt extra animam, sed solum de speciebus intelligibilibus quæ sunt in anima *(quod est idealismus)*; sicut, secundum Platonicos, omnes scientiæ sunt de ideis, quas ponebant esse *intellecta* in actu. — Secundo, quia sequeretur error antiquorum dicentium, *omne quod videtur esse verum*; et similiter quod *contradictoriæ* essent simul veræ *(quod est principium ad scepticismum)*. Si enim potentia non cognoscit nisi propriam passionem, de ea solum judicat. Sic autem videtur aliquid, secundum quod potentia cognoscitiva afficitur. Semper ergo judicium potentiæ cognoscitivæ erit de eo quod judicat, scilicet de propria passione secundum quod est; et ita omne judicium erit verum (21, VII) : Puta, si gustus non sentit nisi propriam passionem, cum aliquis habens sanum gustum judicat *mel esse dulce*, vere judicabit; et similiter, si ille, qui habet gustum infectum, judicet *mel esse amarum*, vere judicabit : uterque enim judicabit secundum quod gustus ejus afficitur. Et sic sequitur, quod omnis opinio æqualiter erit vera, et universaliter omnis acceptio. »

V. Evidentia objectiva est firmissimum veritatis criterium. Sumo evidentiam objectivam quæ sit revera talis, prouti nempe hucusque est a me explicata : quo in sensu enuntiata conclusio vix declaratione indiget. Et revera : *criterium*

diximus normam seu rationem qua mens inducitur ad assentiendum alicui veritati (50, I). Atqui norma firmissima procul dubio dicenda est veritas ipsa menti per se manifesta, et per se trahens ad se mentis nostræ assensum; veritas autem hoc modo menti manifesta, est, ut supra explicavimus, ipsa evidentia objectiva. Igitur evidentia objectiva est firmissimum veritatis criterium. — Hinc communiter dicimus : *res patet, res est evidens, claret meridiana luce;* quibus verbis existimamus satis superque assignare rationem, seu *τὸ quia* adhæremus firmiter alicui veritati.

VI. Objectio. Dices cum Balmes, *Philosophia fundamentalis,* lib. I. cap. XXII. n. 216 : hæc regula, *evidentia est firmum criterium veritatis,* sumpta ut principium, convertitur cum hac propositione: *evidens est verum.* Atqui hæc propositio non est evidens. Videtur ergo posse ex hisce principiis Balmes inferri, quod *evidentia* non sit firmissimum veritatis criterium.

Resp. In antecessum noto a clarissimo Auctore citato non negari evidentiam esse criterium veritatis, imo explicite asseri et probari in eodem capite citato et cap. XXIV, ejusdem libri. Deinde animadverto a perdocto viro in sua ratiocinatione contra Cartesium et Kant non distingui evidentiam objectivam ab evidentia subjectiva; et inde provenit æquivocatio, qua sua argumentatio laborat. Etenim cum dicit, *evidens est verum,* non esse propositionem evidentem, aut loquitur de evidentia subjectiva, et in hoc sensu recte ratiocinatur : potest enim aliquid nobis *videri* verum, quod revera in se non sit; aut loquitur de evidentia objectiva, et in hac secunda hypothesi falsum omnino pronuntiat. Et revera. Dum dico, *verum est verum,* enuntio propositionem evidentissimam identitatis, tum in re, tum in ipsa voce, inter prædicatum et subjectum; similiter dum dico, *verum perspicuum est verum,* enuntio eamdem propositionem, et ipsam evidentissimam: nam ex eo quod addo *perspicuum,* nihil detraho rationi ipsius veri. Sed verum *ut est perspicuum* menti intelligenti est ipsa *evidentia* objectiva, ut ex dictis in hoc articulo est manifestum. Igitur nonnisi per apertam contradictionem potest hoc secundo sensu dici, non esse evidens quod evidentia sit firmissimum criterium veritatis, vel quod principium evidentiæ non sit evidens (1).

(1) Quamvis communiter hæ voces : *Axioma, maxima, principium facti effatum* promiscue usurpentur, tamen in rigore logico *Axiomata* sunt principia prima *omni* scientiæ communia: *maximæ* indicant principia prima *ordinis practici; effata* vero designant judicia quædam quæ se habent ut *propria* alicujus scientiæ et

ARTICULUS SECUNDUS

(55)

De primis principiis objectivis.

I. Primorum principiorum natura. Probavimus alibi (41, II), omnem demonstrationem procedere ex aliquibus principiis per se notis, a quibus mens synthetice ratiocinando procedit, et ad quæ analytice, rimando judicia propria, assurgit; nempe, ut egregie docet Angelicus, *Qq. Disp* de veritate, *Qu. XV*, De ratione superiori et inferiori, artic.. I. principia prima se habent in ratiocinatione ut *principium* in *synthesi* et ut *terminus in analysi.* Ut principium : « quia non posset mens ex uno in aliud discurrere, nisi ejus discursus ab aliqua simplici acceptione veritatis inciperet, quæ quidem acceptio est intellectus principiorum. » Ut terminus : nam « nec rationis discursus ad aliquid certum perveniret nisi fieret examinatio *(analysis)* ejus quod per discursum invenitur ad principia prima, in quæ ratio resolvit. » Necesse est igitur ut quæramus : 1° quænam sint hujusmodi principia; 2° utrum sint veritatis criteria : ipsis enim ignoratis, necessario ignoratur basis cognitionis scientificæ, quæ est de objectis; et, si illa principia infirma sint, nihil firmum in scientia consistere est possibile. Duo igitur illa declarabimus in præsenti articulo.

II. Prænotamen primum ad solutionem primæ quæstionis inter ceteras demonstrationum species recensuimus (41, IX) demonstrationem *directam*, quæ rem esse ex principiis positivis rei ipsi intrinsecis et eam constituentibus vel quasi constituentibus ostendit, et quæ ideo dicitur positive *ostensiva;* ut cum ex natura spiritualitatis alicujus substantiæ ejus immortalitas concluditur; et demonstrationem *indirectam*, quæ rem ita esse debere concludit ex eo quod absurda

---

in quibus scientia ut in quodam compendio resumitur: *principia facti* sunt judicia a posteriori, seu *synthetica* quæ experientia mediate vel immediate cognoscuntur. Exempla : *Axioma.* Ex nihilo nihil fit. Totum est majus sua parte. *Maxima.* Declina a malo et fac bonum. *Effatum.* Operari sequitur esse. Omnis effectus assimilatur causæ suæ. *Principium facti.* Mundus existit; sol splendet. — Cf. HUGON, *Logica Maior*, tract. II, q. III, p. 330.

sequerentur si aliter esset, et quæ ideo dicitur *ducens ad impossibile;* ut cum immortalitas animæ humanæ demonstratur ex eo quod *si secus esset*, sequeretur hoc absurdum, videlicet, quod Deus improvide administraret genus humanum, culpas non ex justitia puniendo in hoc mundo, neque præmia ex sanctitate virtuti concedendo.

III. Prænotamen alterum. Si demonstrationes ad invicem comparemus, de facili invenitur demonstrationem *positivam* qua *ostenditur* prædicatum convenire subjecto, ut, A esse B, potiorem esse demonstratione negativa, qua solum concluditur prædicatum subjecto non convenire, ut A non esse B. Etenim per primam ostenditur et cognoscitur qūid res in se sit, vi identitatis quæ in omni judicio affirmativo inter prædicatum et subjectum affirmatur; at per secundam non dicitur quid in se res sit, sed quid non sit, vi negationis qua ponitur prædicatum subjecto non convenire. Unusquisque autem libenter concedit perfectius esse cognoscere quid sit res in seipsa, quam quid non sit. Adde quod cum ex præmissis negativis nihil concludatur (33, V), sequitur quod conclusio negativa indigeat una præmissa affirmativa ut probetur. At contra conclusio affirmativa, non ex negativis sed ex affirmativis præmissis infertur. Igitur conclusio negativa logice pendet ab affirmativa, sed non viceversa; et consequenter demonstratio positiva efficacior est et prior demonstratione negativa. Hæc, compendiose a nobis tradita, fuse explicantur ab Aristotele in I. *Posteriorum Analytic.*, et a S. Thoma, *Commentar.* in eumdem librum, lect. XXXIX. — Ex quibus ut necessarium corollarium infertur, primum principium, per se loquendo, esse debere propositionem non negativam sed positivam : primum enim principium et notius et prius aliis esse debet; prius autem negativo est positivum, ut hucusque probatum est.

IV. Prænotamen tertium. Ad rationem primi principii tres conditiones requirit Aristoteles in IV. *Metaphysic.* Lect. VI : 1° ut circa ipsum non possit aliquis mentiri vel errare, seu quod sit *notissimum :* nam non decipitur homo nisi circa ea quæ ignorat (40, VII). Ratio est, quia nos assentimur conclusioni vi principii; consequenter nisi principium primum sit notissimum, nobis esse non posset ratio demonstrandi conclusionem. — 2° *Conditio* est, ut primum principium non sit conditionalis propositio; scilicet quod sit *per se notum*, et non ex suppositione, sicut accidit in propositionibus conditionalibus (24, II) : etenim primum principium ita debet esse

primum, ut aliud se prius non habeat, a cujus veritate pendeat, sed cetera alia principia seu judicia pendeant in ordine logico ab ipso; veritas autem propositionis conditionalis est quodammodo suspensa, et aliam veritatem subaudit ut determinetur *(ibid.)*. — 3° *Conditio* est, ut primum principium sit *indemonstrabile*, et quasi per naturam cognoscatur, non per demonstrationem : secus esset *conclusio*, et consequenter aliquod principium logice prius se supponeret, ex quo demonstraretur, et non esset logice prius. — Recentiores diversimode proponunt has conditiones nempe quod : 1° non innitatur alio principio; 2° quod ipso sublato cetera eo ipso corruant; 3° quod ipso admisso, saltem indirecte alia probentur. Verum hæ conditiones ad tres Aristotelicas revocantur.

V. Prænotamen quartum. Cum quæritur quodnam sit primum principium, non eo sensu quæritur quasi illud solummodo sit nobis per se notum : nam in omni demonstratione, ex uno principio nihil concluditur, sed ex duobus, ut ex legibus syllogismi constat; quæ duo principia ultimo debent nobis esse per se nota, ut conclusio sit demonstrativa. Sed in alio sensu, recte notat Suarez. *Dispp. Metaphy.* Disp. III. Sect. III. §. III. inquiritur principium ceteris prius, scilicet vel quia est nobis notius, vel quia in usu seu causalitate est prius et universalius, vel quia omni modo est indemonstrabilius.

VI. Prænotamen quintum. Mirabitur forte aliquis me hic in Logica de demonstrationum primis principiis agere, cum hoc ad Metaphysicam pertinere satis evidenter demonstret Aristoteles in IV. *Metapysic.*, quem S. Thomas, *ibid.*, lect. VI. exponit; sed admiratio facili observatione cessabit. Etenim Metaphysica generalis agit de primis principiis, ut res quædam sunt, Logica vero de iisdem ut sunt cognoscibilia et criteria veritatis. Unde et ipse Aristoteles de principiis disserit in Metaphysica, quatenus ad Metaphysicam pertinet considerare causas rerum, sed de iisdem longiorem sermonem texit in Logica (ut videre est in I. *Posterior. Analytic.*), prout *demonstrationibus* deserviunt. Et S. Thomas, Lect. XX. in eumdem *Poster.* Lib., hæc sapienter notat : « Alia ratione Dialectica est de communibus et Logica et Philosophia prima *(Metaphysica)*. Philosophia enim *prima* est de communibus, quia ejus consideratio est circa ipsas res communes scilicet circa *ens* et partes et passiones, ejus. Et quia circa omnia quæ in rebus sunt habet negotiari ratio, Logica autem est de operationibus rationis; Logica etiam erit de his, quæ com-

munia sunt omnibus, id est, de intentionibus rationis (2, IX) quæ ad omnes res se habent. Non autem ita quod ipsa Logica sit de ipsis rebus communibus, sicut de subjectis. Considerat enim Logica sicut subjecta *(objecta) syllogismum, enuntiationem, prædicatum*, aut aliquid hujusmodi. Pars autem Logicæ quæ demonstrativa est, etsi circa omnes intentiones versetur, docendo quomodo fiunt demonstrativæ scientiæ, non tamen procedendo ex communibus intentionibus ad aliquid ostendendum de rebus, quæ sunt subjecta aliarum scientiarum. » — Cf. etiam lect. III. in IV. *Metaphysic.*

Hisce prænotatis, respondeo tribus conclusionibus quæstioni primæ de primis principiis. Dico primo :

VII. Primum principium A PRIORI **in demonstrationibus directis seu ostensivis est** : OMNE ENS EST SUA PROPRIA NATURA. Probatur. Syllogismus affirmativus nititur hoc principio : *dictum de omni* (32, II) : vi cujus principii, ideo aliquod prædicatum affirmatur de subjecto particulari in conclusione, quia istud continetur sub extensione universalioris subjecti, cui illud ipsum prædicatum convenire asseritur *(ibid.)*. Sed qua ratione cognoscitur præfatum prædicatum convenire subjecto universaliori? Tripliciter ad hanc quæstionem responderi potest : aut scilicet prædicatum illud alia demonstratione cognoscitur; aut ex alio prædicato conveniente eidem subjecto infertur; aut infertur ex ipsa natura seu definitione subjecti. Nihil aliud quartum fingi potest. — Si demonstratione dignoscitur, habemus alium syllogismum similem præcedenti; et quia non est abire in infinitum, necesse est pervenire ad aliquid immediate cognitum et non per demonstrationem. — Si prædicatum ex alio prædicato infertur, hoc imprimis involvit pariter demonstrationem : et insuper in hac secunda hypothesi redit quæstio, undenam dignoscatur hoc secundum prædicatum subjecto convenire; quod quidem deprehendi ultimo nequit nisi ex ipsa natura subjecti. Atqui definitio naturam rei definitæ manifestat, cum qua convertitur (15, III et IV). Igitur universaliter formulando definitionem (quæ, ut probavimus, est principium ultimatum regens syllogismum affirmativum) tali modo ut omnes alias definitiones complectatur, dicendum est quod definitio, quæ primi principii rationem habet in similibus syllogismis est : *Omne ens est sua propria natura*, Dicendo, *ens*, ponitur subjectum, quod sua extensione omnia complectitur; dicendo, *est sua propria natura*, designatur essentiæ unitas, indivi-

sibilitas, distinctio, quæ unicuique enti invariabiliter convenit. — Suarez, op et loc. supra cit. (n. V), §. I. proponit hoc principium : *Omne ens est habens essentiam :* a quo principio non differt nostrum essentialiter; sed diversimode illud proposui, quia, ut mihi videtur, explicitius tradit naturæ definitionem, et rationem primi principii. Similiter duæ rationes quas adducit, §§ I et VII. ad probandum et confirmandum assertum, conveniunt cum ea quam adduxi.

VIII. Objectiones. Dices : 1° Primum principium debet esse propositio; definitio vero non est propositio. — 2° Quo pacto in principio adserto verificentur conditiones assignatæ n. IV. non satis videtur.

Respondeo ad 1, quod, ut cum Aristotele rectissime notat Angelicus, I. *Poster. Analytic.*, Lect. V. et nos ipsi alibi (22, VI) innuimus : « Principium syllogismi dici potest non solum propositio, sed etiam definitio... Et licet definitio in se non sit propositio in actu; est tamen in virtute propositio;; quia cognita definitione apparet definitionem de subjecto vere prædicari. » (Ed. L., n. 9). Ad 2 respondeo quod in nostro principio conditiones assignatæ perfectissime inveniuntur. Etenim definitio generice sumpta se ipsa nititur et se ipsa per simplicem conversionem dignoscitur (15, III et V); ipsa corruente, corruunt cetera quæ de re quacumque dici possunt; ipsa admissa, probantur cetera quæ, rei debent convenire. — Sit secunda conclusio :

IX. Primum principium A PRIORI **in demonstrationibus indirectis est illud contradictionis :** IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE ET NON ESSE SECUNDUM IDEM. Probatur. In demonstratione indirecta non ostenditur res ut est in seipsa, hoc est per principia ipsam constituentia, quæ complectitur definitio, sed per principia extrinseca, quæ tantummodo dicunt rem ita esse debere, vel ipsi convenire unum aut alterum prædicatum, *quia* secus *absurdum* cogeremur admittere. Unde demonstratio indirecta dicitur etiam *ad absurdum*. Atqui absurdum non est nisi *insociabilitas*, seu pugna duarum idearum (8, VII et VIII), quas in uno eodemque subjecto stare simul impossibile est, et ne mente quidem concipi potest. Igitur *absurdum*, quod in demonstratione indirecta infertur, rejiciendum dicitur vi incompossibilitatis supradictæ : quæ quidem incompossibilitas generatim non exprimitur nisi principio contradictionis : *Impossibile est idem simul esse et*

non esse secundum idem, hoc est *sub eodem respectu*, nam hæc est conditio necessaria *oppositionis*, ut dictum est (28 I). Illud ergo principium est primum in demonstrationibus indirectis. — Ab aliis rationibus adducendis, quæ ex Metaphysica generali vel ideologia desumuntur, abstineo, ne extra limites Logicæ excurram, et ad tertiam conclusionem venio. Dico igitur tertio :

X. Abstractione facta a speciebus demonstrationum, primum principium est principium contradictionis. Dico, abstratione facta a speciebus demonstrationum, quia quid sentiendum sit respectu peculiaris demonstrationis tum directæ, tum indirectæ, jam in præcedentibus conclusionibus diximus. Addo insuper nos hic agere de nobis, hoc est de scientia nostra, non de Deo, neque de angelis, neque de beatis ac eorum respectivis cognitionibus. — Probatur conclusio. Nam illud simpliciter dicendum est principium primum, — quod ita est indemonstrabile, ut nullo alio priori principio innitatur, — ita necessarium ut, ipso sublato, nihil intactum in ipsa mentis cogitatione relinquatur, — ita firmum ut per ipsam sui negationem affirmetur, et per ipsum omnia alia principia seu affirmativa seu negativa, si resolvantur, firmitatem habeant, et demonstrentur demonstratione saltem extrinseca et declarativa. Atqui hujusmodi est principium contradictionis. Igitur ipsum habet in scientiis rationem primi principii. *Major* constat ex dictis in tertio *prænotamine*. — *Minor* declaratur.

Est *indemonstrabile* et non habet *principium*, respectu nostri, *prius se :* nam omnis demonstratio ex præmissis fit, quæ nisi supponantur ita veræ ut simul falsæ esse nequeant, nihil demonstrative conficere possunt : hoc autem supponere, est supponere ipsum principium contradictionis; quod proinde est indemonstrabile, et prius, respectu nostri, quocumque alio principio.

Est ita *necessarium ut, eo sublato, cetera corruant :* nam sublato principio contradictionis, veritas est simul veritas et non veritas, cognitio et non cognitio, certitudo et non certitudo, conscientia et non conscientia, et sic de ceteris : nempe nihil omnino intactum remanet, neque in ordine realitatis, neque in ordine cujusque cognitionis.

Est ita *firmum* ut negari non possit quin ipsa negatione *affirmetur;* et insuper cetera principia per ipsum *demonstrentur*, saltem demonstratione extrinseca et explicativa. Et revera : si quis negaret principium contradictionis, non uti-

que negaret nisi quia illud crederet esse falsum; sed non crederet neque diceret illud esse falsum, si retineret illud esse simul verum. Ergo negando principium contradictionis, ejus veritas ipsa negatione admittitur. — Deinde probantur cetera principia; nam definitio ipsa, quam primum principium in demonstrationibus directis esse diximus, si debeat a nobis probari, probatur ultimo per hoc, quod secus esset natura illa definita et non esset simul talis, ut supponitur : quod est in medium afferre ipsum contradictionis principium.

Dixi, demonstratione *extrinseca* et *explicativa : extrinseca* quia principium contradictionis non intimam rei demonstratæ naturam *ostendit*, sed ita esse debere ex absurdo, quod secus sequeretur, concludit, ut de demonstratione indirecta dictum est supra, n. IX; *explicativa*, quia revera qui negat alia *axiomata*, convinci non potest demonstratione proprie dicta, sed potius declaratione terminorum et conceptuum, et hac via reduci ad rectam rationem (48, V).

XI. Prima principia demonstrationum sunt firmissima criteria veritatis. Conclusio ista, qua respondetur secundæ quæstioni, n. I. hujus articuli positæ, probatione non indiget : est enim corollarium præcedentium conclusionum. Nequeunt enim non esse criteria veritatis principia illa, quæ ita vera sunt, ut absque aperta repugnantia idearum non possint non admitti ut vera, et quorum negatio importat negationem principii contradictionis. — Audiatur Angelicus, Qq. disp. *De veritate*, Qu. XI. *De Magistro*, Artic. I : « Certitudo scientiæ, inquit, tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia » (*ad* 13). Ergo « nos certitudinem scientiæ non acciperemus, nisi inesset nobis certitudo principiorum, in quæ conclusiones resolvuntur » *(ibid.)*. Sequitur igitur quod evidentia, qua ad assentiendum conclusionibus cum certitudine mens nostra movetur, est ipsa evidentia principiorum ipsis conclusionibus applicata. Sed principia evidentiam ex se, non ab alio mutuatam habent (54, III). Quocirca, si evidentia est veritatis criterium, et ipsa maxime viget in principiis per quæ ad cetera extenditur, non possunt principia ipsa objectiva scientiarum non esse maxime criteria veritatis. — Cf. Artic. cit. per totum, et Qu. XV. *De ratione superiori et inferiori*, inter Quæstiones citatas *De veritate*.

XII. Kantii animadversio circa formulam qua enuntiatur principium contradictionis. Quamvis Kant admittat principium contradictionis, formulam tamen qua communiter exprimitur, nempe : *Impossibile est idem simul esse et non esse secundum idem*, rejicit. Nam, ut ipse ratiocinatur, τὸ *impossibile* superfluum omnino est, quia certitudo apodictica propositionis ex natura propositionis seu ex natura subjecti et prædicati resultare debet; deinde superfluum est τὸ simul, quia hæc particula tempus designat, cum contra necessitas convenientiæ pradicati cum subjecto sit a tempore independens, et ex natura ipsa subjecti deprehendenda sit. Quibus rationibus motus Kant formulæ communi substituit hanc suam : *Prædicatum quod subjecto repugnat, ipsi subjecto non convenit.* Hæc Kant in suo Opere, *Logica transcendentalis*, Lib. II. Cap. II. Sect. I. citatus a Balmes, *Philosophia fundamentalis*, Lib. I. Cap. XX. n. 189. — Sed contra : nam ut rectissime notatur a S. Thoma, P. I. Qu. XXV. Artic. III. « Dicitur... aliquid possibile vel impossibile *(non solum respectu ad aliquam potentiam, sed* etiam) absolute ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut *Socratem sedere;* impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut *hominem esse asinum* ». Igitur dum Kant substituit verbo *impossibile* verbum *repugnare*, nihil novi prorsus addit, quia *repugnare prædicatum subjecto*, et tale prædicatum eidem subjecto *impossibile esse convenire*, idem omnino significant. — Deinde, quod Kant addit circa *simultaneitatem temporis* levis momenti est : nam per τὸ *simul* et *secundum idem* volumus significare solummodo quod *esse* et *non esse* se mutuo excludunt a subjecto sub *eadem* omnino *ratione;* et hoc sapienter ponitur, quia sub *diverso adspectu* vel *successive*, duo contraria prædicata possunt convenire subjecto, sicut homo potest esse doctus in aliqua materia, et indoctus in alia, et *prius* indoctus et *postea* doctus. Quocirca non recte in principio contradictionis exprimeretur repugnantia *esse* et *non esse* in subjecto, nisi adderetur *simul* et *secundum idem:* quod adjunctum non solum significat simultaneitatem temporis, sed generice secundum eamdem omnino rationem.

ARTICULUS TERTIUS

(56)

De doctrina Kantiana.

I. Philosophia critica. Empirismus (50, XII) considerat experientiam subjectivam seu phænomenalem ut unicum ob-

jectum cognitionis humanæ : hoc ipso fundamento nititur Kant, sed in objectis per experientiam habitis statim elementa universalia et necessaria, quæ sunt independentia ab illis objectis et sunt eorum leges universales et veluti *formæ*, distinguit ab elementis singularibus et contingentibus quæ sunt et transeunt. Ita, e. g., in Petro concipitur ratio *substantiæ*, ratio *humanitatis*, etc., et *substratum* substantiæ et humanitatis, nempe Petrus ipse. Petrus nascitur et moritur, sed, pereunte ipso, non pereunt *formæ* illæ quibus constituebatur *substantia*, *homo*, etc. Necessarium omnino est ut duo illa elementa distinguantur, quia non elementum illud singulare est objectum scientiæ nostræ, sed elementum universale et necessarium. Porro undenam *formæ* illæ seu elementa universalia, quæ mens unit objectis experientiæ, cum dicit, e. g., *Petrus est homo?* Non ab objecto ipso experimentali, inquit Kant, sed ab ipsa *mente;* et propterea illa elementa universalia, quæ Kant vocat *categorias*, sunt formæ nostræ *subjectivæ*, proindeque *a priori*, hoc est antecedentes ipsam cognitionem experimentalem. Hujusmodi formæ sunt elementa *pura*, et objecta nostræ cognitionis *puræ* seu intellectivæ : quibus utrum respondeant *noumena* seu intelligibilia, entia extra nos haud scimus sed objecta intelligibilia, in se, sunt *transcendentia* vires humanæ cognitionis. Et tamen, inquit Kant, ratio ex una parte, naturali et præpotenti impulsu fertur ad cognoscenda hujusmodi *transcendentia*, *Deum*, *animam humanam*, etc., seu ad tribuendam objectivam realitatem *formis:* sed ex alia parte necesse est ut fateatur, objecta illa transcendere omnino suam facultatem. Hinc *antinomiæ* rationis humanæ (ἀντινομία), hoc est, *legis adversus legem repugnantia* in mente nostra. — Quibus ex principiis inferebat : 1° cognitiones nostræ objectivæ concluduntur intra limites subjecti, tum quoad objecta experientiæ, tum quoad objecta intelligentiæ; 2° quia autem *formæ*, quæ objectis experientiæ applicatæ ea elevant ad ordinem scientificum, non ab objectis ipsis menti proveniunt, sed a spontaneitate mentis fluunt et objectis experientiæ applicantur (unde judicia synthetica-a-priori [19, V et VI] emergunt), dicendum est, non quod objecta sint leges scientiæ seu veritatis nostræ rationis, sed verius quod ratio ipsa est regula veritatis objectorum scientiæ. Hæc sunt principia philosophiæ criticæ, quam parens suus Kant (Kœnigsbergæ natus anno 1725, ibidemque mortuus anno 1804) late exponit et defendit in suo Opere, *Critica rationis puræ*.

II. Idealismus Kantii cum antiquo comparatus Idealismum criticum ab antiquo idealismo Protagoræ non differre substantialiter, fatentur ipsius Kantii laudatores, quos inter videri possunt Carolus Villers, *Philosophie de Kant*, P. II. Art. XV. et L. F. Schon, *Philosophie transcendentale*, passim. Et revera Aristoteles, XI. *Metaphysicorum*. Cap. V. de Protagora loquens ait: « A Protagora dictum est..., omnium rerum mensuram hominem esse », *scilicet secundum sensum et intellectum*, ut ex eodem Aristotele, libro XI. *Metaphysicorum*, addit S. Thomas, Lect. V. *in fine*. Quibus verbis ipsissimam doctrinam Kantii expressam habes. In utroque enim habemus *idealismum subjectivum*, hoc est systema quo nobis denegatur certitudo et cognitio *objectivitatis realis* extra nos existentis, et coarctatur omnis nostra cognitio ad cognitionem *phænomeni* seu *apparentiæ* tum sensitivæ tum intellectivæ. Hinc *formæ* et *objecta* nostrarum cognitionum sunt a subjecto ipso cognoscente; nempe objecta seu phænomena sensibilitatis sunt a *subiecto sentiente; formæ* vero objectorum intelligentiæ sunt a subjecto intelligente. — Dixi ab idealismo critico nobis denegari cognitionem *realis objectivitatis;* et hoc nota. Nam Kant æquivoce sumit vocabulum *objectivum*, ut notatur etiam ab Hegelio (*Logique*, etc., ut artic. seq., §. XLI. *Zuzatz* 2, pag. 291) : siquidem dicit *objectivum* objectum *ut cogitatum*, conceptum *formalem*, quod est universale et necessarium, ad differentiam objecti sensationis quod vocatur ab ipso *subjectivum;* at non quasi *objectivum* sit *objectivum reale* seu *extramentale*, ut nos intelligimus (1, VII). Unde, ut nulla æquivocandi occasio haberetur, quoties quæstio cum idealismo nobis occurrit, non diximus simpliciter *objectivum*, sed *reale objectivum* vel *objectum extramentale*.

III. Doctrina Kantii, seu idealismus criticus admitti nullatenus potest. Ut ex traditis explicationibus est manifestum, Kantii doctrina convenit cum doctrina empirismi Humii, qua parte ad simplicia phænomena subjectiva reducit cognitionem sensitivam. Imo vero, ut ipse Hegel notat in sua *Logica*, §. XL. p. 288 *(traduite par Vera)*, neque scepticismus Humii denegat *factum*, quod nostris cognitionibus insint determinationes *universalitatis* et *necessitatis ;* quod quidem factum a philosophia critica præsupponitur et alia via explicatur, adhibitis nempe *formis subjectivis* a spontaneitate rationis provenientibus. Igitur contra Kant valent quæ contra doctrinam Humii seu contra scepticismum empiricum supra attulimus (50, XIII). Insuper de *noumenis*

alibi erit sermo. Qua de causa impræsentiarum de phænomenologia, ut ita dicam, intellectuali, seu de formis vel categoriis unice sermo est habendus; quas categorias Kantianas prorsus repugnare contendimus. — Et revera :

Qua de causa formæ Kantianæ a priori ponuntur? Nempe, quia esse non possunt ab objectis sensibilis experientiæ, quæ contingentia sunt et individua. Sed, pari ratione, individuum et contingens est ipsum subjectum cognoscens. Ergo, si formæ illæ in objectis experientiæ esse non possunt, neque ab objectis animæ provenire, eadem omnino ratione provenire non possunt a subjecto cognoscente; et sic negandæ essent ipsæ formæ, a quarum positione sumit exordium et quibus totum nititur systema Kantianum de *a-priorismo*.

Sed demus a spontaneitate animæ nostræ formas illas esse posse; in hac hypothesi, aut sunt in anima nostra a principio extrinseco, aut a principio intrinseco, nempe ab essentia ipsius animæ. — Si a *principio extrinseco*, procul dubio hoc principium est objectivum aliquod *extramentale*, cujus formæ Kantianæ sunt similitudines, seu repræsentationes, seu ideæ, et ad quod essentialiter per ideas istas terminatur cognitio : consequenter *noumena*, seu entia intelligibilia ut in se sunt, non solum nos non latent, sed principaliter et primo a nobis intelliguntur. — Hoc argumentum, quoad substantiam, urget S. Thomas P. I. Qu. LXXXIV. Artic. I, contra Platonem, qui, ut *a sensismo* sceptico Heracliti aliorumque sensistarum caveret, in *idealismum* impegit fere iisdem principiis, quibus Kant *criticismum* amplexus est ad evitandum scepticum empirismum Humii.

Si a *principio intrinseco*, necesse est ut formæ illæ : 1° aut sint simplices subjectivæ *modificationes* animæ; et in hoc casu habemus quod ratio *veri* vel *falsi* est quid mere subjectivum et varium secundum diversas modificationes individuorum, ut logice inferebat Protagoras, « nihil aliud dicens, ut refert Aristoles, *loc. cit.*, nisi id quod unicuique apparet, hoc etiam esse verum. Hoc autem posito, idem accidit *esse et non esse*, et *malum et bonum esse*, et cetera quæ secundum oppositas dictiones dicuntur : propterea quod plerumque *his* quidem hoc apparet, *istis* vero contrarium esse horum; mensuram autem esse, quod unicuique appareat. » Quod est negatio principii contradictionis, cujus veritatem ipse Kant nobiscum admittit. — 2° Aut necesse est ut eædem formæ sint quid *objectivum;* et in hac secunda hypothesi principium totius *objectivitatis* esset ipsa mens humana qua-

si forma *formarum* seu idearum omnium. Sunt autem ideæ seu formæ illæ infinitæ. Esset igitur mens humana infinita : quod est præcise pantheismus egoisticus, quem Fitchte, Kantii discipulus, ex doctrina magistri intulit. — Vide, si placet, quæ de subjectivismo scripsimus in *Propædeutica*, etc., Lib. I. Cap. VI (1).

(1) Ob grave momentum doctrinæ kantianæ in hodierna cultura quam totam kantismus pervadit et inquinat, non pigeat capita systematis ad unitatem componere.

Emmanuel Kant, Regismontii (Königsberg) anno 1724 natus, ibique philosophiæ professor 1770-1796, mortuus 1804, ad pariendam veram certitudinem necessarium duxit de ipsa ratione humana examen instituere, inquirendo num revera habeamus facultatem cognoscendi ea quæ *naturam* physicam transcendunt.

Duplex distinguit objectum cognitionis, phænomena et noumena. *Phænomena* sunt rerum *apparentiæ*, quæ experientia sensum cognoscuntur; *noumena* sunt realia illa quæ his phænomenis subsunt et circa quæ versatur activitas intellectus et rationis.

Ad scepticismum abiciendum de his noumenis quæstionem sibi posuit, num videlicet ratio humana ipsa attingere possit; aliis verbis — cum noumena sint res metaphysicæ : — *Utrum metaphysica sit possibilis, necne.* Ad hanc quæstionem solvendam triplicem distinguit facultatem cognoscitivam :

1) *Vim sentiendi*, quæ est facultas exhibendi rerum repræsentationes, quæ dicuntur intuitiones empiricæ vel phænomena.

2) *Intellectum*, seu facultatem judicandi, i. e. *intuitionum* multiplicitatem ad unitatem redigendi, sub lumine quarumdam regularum.

3) *Rationem*, seu facultatem ratiocinandi, i. e. multiplicitatem regularum intellectus ad unitatem redigendi sub lumine principiorum.

In triplici illa cognitione duplex distinguit elementum, materiale et formale. *Materiale* elementum in *genere*, id quod facultas forinsecus objecto suo indeterminato movetur ad cognoscendum; elementum autem *formale* id quo fit ut cognitio sit hæc aut alia. Hoc elementum formale, juxta Kant, oritur *a priori*, ante omnem experientiam, ex activitate ipsa facultatis cognoscitivæ.

In specie vero, diversarum cognitionum haec sunt elementa :

1) *Sensibilitatis*, elementum *materiale* est impressio quædam quæ causas habet extra mentem, nescimus quas; elementum *formale*, sunt duæ *formæ* subjectivæ (spatium et tempus) sensibilitati ante omnem experientiam radicaliter innatæ, quibus intuitiones nostræ omnes empiricæ quasi vestiuntur et ordinantur. — Cum illæ *formæ* sint, juxta Kant, *qualitates* ipsius mentis, sequitur omnes nostræ intuitiones rerum externarum nihil aliud esse nisi repræsentationes phænomenorum, quæ nobis manifestant qualitates rerum non prout sunt in seipsis, sed prout finguntur ab activitate sensibilitatis sub influxu excitationis forinsecus acceptæ. Istæ repræsentationes aliter se haberent si aliter facultas nostra constituta esset; sed quia eadem est apud diversos homines hujus facultatis constitutio, ideo semper eadem erunt

IV. Doctrina SS. Augustini et Thomæ. De hoc argumento pluries tractat S. Augustinus : « Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus se ipsam esse meliorem. Quæ tamen *cum etiam* se propter defectum profectumque in sapientia fatetur esse mutabilem, invenit *supra se esse* incommutabilem veritatem. » Hæc S. Doctor in Lib. LXXXIII. Qq., Qu. XLV. n. 1, et alibi *passim*. Et S. Thomas hoc simili argumento perstringit idealismum criticum, vocabulo novum, re autem perantiquum : « Nullus intellectus creatus potest se habere ut actus *(seu forma, origo, principium)* respectu totius entis universalis : quia sic oporteret quod esset ens infinitum *(quia*

---

illa phænomena; in qua unitate ultimo fundatur cognitionis nostræ *objectivitas*.

2) Quoad *intellectum elementum materiale* invenitur in intuitionibus empiricis a sensibilitate allatis: *elementum formale* in duodecim præsertim formis primitivis ab intellectu *a priori* productis, quas vocat categorias, (V. supra, p. 34) et nihil aliud sunt nisi leges quædam secundum quas mens nostra vi quadam necessaria et innata regitur in judiciis suis formandis.

Ab istis formalitatibus subjectivis originem ducunt illa judicia « synthetica *a priori* » in quibus solidum doctrinæ suæ fundamentum habere arbitratus est, et in quibus necessaria prædicati cum subiecto connexio, *cæca vi* rationi innata et pure subjectiva, admittitur (V. Dialectica, lib. II, 19, V). Ex his Kant concludit activitatem intellectus non habere valorem objectivum, nisi contineatur in ordine phænomenorum cognoscendo; de noumenis vero, i. e.: de rebus ut sunt in se, nihil nobis ab ipso manifestari.

3) In *ratione* denique elementum *naturale* Kant dicit esse conceptus vel judicia ab intellectu formata et ad unitatem quamdam ratione deducenda; elementum vero *formale* inveniri in quibusdam normis subjectivis *menti innatis*, quas *ideas* vocat; *idea ipsius ego*, psicologica; *idea mundi*, cosmologica; *idea Dei*, theologica. Sicut categoriæ sunt normæ quædam secundum quas formantur judicia, ita *illæ ideæ* sunt normæ vel conditiones secundum quas formantur *ratiocinia*.

Jamvero triplex est ratiocinandi modus :

a) Ratiocinium *categoricum*, innixum categoriæ substantiæ et accidentis ducit ad aliquod subiectum absolutum, quod non jam possit de alio subjecto prædicari et hæc est *idea ego*.

b) Ratiocinium hypotheticum, innixum categoriæ causæ et effectus, ducit ad ideam absolutæ cujusdam dependentiæ omnium singularium a totalitate quadam, et hæc est *idea mundi*.

c) Ratiocinium disjunctivum, innixum categoriæ actionis mutuæ, ducit ad ideam absolutæ alicujus unitatis omnium realitatum et perfectionum, et hæc est *idea Dei*. Quæ très ideæ, cum ex elementis pure subjectivis constituantur, nihil omnino exhibent quod in rerum realitate *extra mentem* existat.

Hoc unicum eorum *munus* est, ut mentem in ratiocinando dirigant; sunt *id quo* cognosci potest, ratiocinari potest intra limites experientiæ; non autem *id quod* cognosci possit et ad quod con-

entia intelligibilia, in quæ distribuitur ens universale, sunt revera infinita). Unde omnis intellectus creatus, per hoc ipsum quod est *(creatus et consequenter finitus essentialiter)*, non est actus omnium intelligibilium *(ac consequenter dicendum omnino est contra Kantium quod intellectus noster actuatur ab ipsis intelligibilibus, ad quæ passive se habet, hoc est, ab ipsis regulatur et mensuratur in propriis cognitionibus).* » Hæc ab Angelico traduntur P. I. Qu. LXXIX. Artic. II., ubi probat, sensu hic supra declarato, intellectum nostrum esse potentiam *passivam*, seu non regulantem objecta, sed mensuratam et regulatam ab ipsis.

---

cludi possit, extra hos limites, in ordine transcendentium vel noumenorum.

Est quidem, secundum Kant, in nobis naturalis quædam et necessaria inclinatio, qua inevitabiliter adducimur ad adhibendas formas illas ultra limites experientiæ circa noumena et in specie circa naturam animæ, mundi, Dei, cognoscendam. Sed tunc vana *apparentia transcendentali* movemur et illusione transcendentali detinemur. Ex eo vero quod sub influxu hujus inclinationis usus illarum idearum ita immutatur, ut ex cognitionum nostrarum *regulativis* fiant cognitionis suipsius constitutivæ, oriuntur « paralogismi psicologici », (falsæ conclusiones circa naturam animæ), « antinomiæ cosmologicæ » contraditiones, « theses et antitheses », (quæ, nisi kantianæ doctrinæ fidas, nulla ratione solvi possunt : e. g. : mundum in spatio et in tempore existentem) simul esse finitum et infinitum), « sophismata theologica », (ratiocinia falsa, quibus existentia Dei probatur arg. ontologico, cosmologico, theologico). Munus veræ philosophiæ est ut, has rationis puræ sophisticationes detegat, non quidem ut abiciantur, quod fieri non potest cum ex motu naturali et necessario rationis procedant, sed ut deceptiones arceantur.

Ex omnibus præmissis, hæ sunt conclusiones quibus fit responsum ad propositam sibi quæstionem :

1) Non cognoscimus nisi objecta sensibilia, et de illis quidem nonnisi phænomena : ipsa autem realia objectiva vel noumena negari non possunt, sed a cognitione nostra plane sunt remota.

2) *Metaphysica* vero, cum constet veritatibus ad quas devenit ratio pura concludendo ad ordinem transcendentium, est omnino impossibilis, ut *scientia*.

3) Quod igitur concepfibus nostris in hoc ordine valorem objectivum tribuimus, non est nisi *illusio quædam naturalis*.

4) Physica autem possibilis est, sed nonnisi quatenus circa rerum apparentias versatur; idque ita ut natura visibilis a sensibilitate et intellectu *construatur*. Cf. REINSTADLER. *Criteriologia*. — De Criticismo.

AD REFUTATIONEM hujus criticismi kantiani, præter argumenta auctoris, notare possumus :

1) *Sine ratione sufficienti* adfirmatur in hoc systemate extensionem rerum in tempore et in spatio non esse nisi in subiecto co

ARTICULUS QUARTUS

(57)

De doctrina Hegeliana.

I Heraclitus. Refert Aristoteles in XI. *Metaphysicorum*, Cap. V. principium contradictionis fuisse negatum ab Heraclito (*ante* J.-C. 500) : qui ponens affirmationem et negationem simul esse pariter veras, inferebat esse pariter veram omnem propositionem tam affirmativam quam negativam. Item ponens inter affirmationem et negationem esse aliquod *medium*, exinde inferebat neque affirmationem neque negationem esse veram, et per consequens omnem propositionem esse falsam. Quæ omnia, ut patet, important negationem principii contradictionis. Hujus erroris duplicem causam assignat Aristoteles, nempe *materialismum et idealismum*. Principium materialisticum magis, ut videtur, Heraclito placuit, Anaxagoræ, Democrito, aliisque; principio autem idealistico usus præcipue est Protagoras. De idealismo dictum est in præcedenti articulo; nunc de materialismi argumentatione, quæ hoc modo formulari potest : — Omne *ens* quod fit, antequam fiat est *non-ens*. Sed omne quod fit, non fit ex *nihilo* sed ex *ente*. Ergo *non-ens*, antequam fiat *ens* præexistit in *ente* a quo fit *ens*. Igitur *non-ens* est *non-ens* in seipso et

---

gnoscento; *sine ullo fundamento* ponit judicia synthetica a priori; illas *tres ideas* operationum nostrarum regulativas, illusionem naturalem et necessariam, de qua supra, et nonnisi per ignorantiam antinomias cosmologicas defendit.

2) *Dubitat* de valore rationis et simul *ipsa* utitur ad *verum* cum *certitudine* assequendum: unde affirmat simul et negat aptitudinem rationis ad veritatem; docet nullum *noumenon* a nobis posse cognosci et simul affirmat se hoc noumenon cognoscere — intellectum humanum noumena cognoscere non valere. — Qua declaratione *naturam* intellectus explicat.

3) Ducit ad scepticismum quem impugnare sibi proposuerat. Siquidem admisso principio kantiano de ratione pura, ruit omnis valor objectivus ratiocinationis ejus. — Insuper ex hac doctrina discipuli Kant idealismum deduxerunt, quia invincibiliter ad scepticismum universalem ducit. Cf. Lepidi, *La Critica della ragione pura secundo Kant e la vera filosofia*. Roma, 1894. Reinstadler, *Criteriologia*, cap. II. Franchi, *Fenomeno e realta'*, vol. I, *dell'Ultima Critica*, p. 283.

simul est *ens* in sua causa. — Ab hac argumentatione existimo quoad substantiam non differre argumentationem Hegelii imitatoris Heracliti, « *Fieri*, inquit Hegel, continet determinationem τοῦ *esse* et sui contrarii *non-esse;* quæ duæ determinationes uniuntur in una et eadem *repræsentatione*, ita nempe ut *fieri* sit unitas τοῦ *esse* et τοῦ *non-esse* ». Quod insuper declarat exemplo τοῦ *fieri* et τοῦ *principii*. « Res non est adhuc in suo *principio;* nihilominus *principium* est non simplex *nihilum* rei, sed continet etiam suum *esse*. Ipsum ergo principium est etiam aliquod *fieri*, sed *fieri* in quo jam invenitur expressus ordo ad ulteriorem explicationem. » (*Logique de Hégel, traduite... par A. Vera*, 2e *édit.*, §. LXXXVIII. pag. 407 et seq.)

II. Critica. Abstineo a repetendis argumentis, quæ contra scepticos adducta sunt, ad refellendum hunc Heracliti scepticismum; atque insuper non ea hic afferam quæ ex Metaphysica adduci possunt, præcipue contra illud principium, *ex nihilo nihil fit*. Solummodo sistendum est in processu materialismi, ut ejus falsitatem breviter demonstremus. Cum ergo dicitur quod *ens* quod fit, antequam fiat *non* est, hæc propositio duos habet sensus. Aut enim intelligitur quod *ens* antequam fiat est *non-ens reale;* aut intelligitur quod est *non-ens* tum *reale* tum *ideale*. In primo sensu conceditur propositio; sed in secundo, absolute negatur : etenim si *ens* faciendum non est *reale*, est tamen *ideale*, hoc est *possibile;* et consequenter est nihilum reale sicut est realiter *non-esse*, sed non est nihilum *ideale*, et ideo, ut *ideale* non est *non-esse*, sed distinctum essentialiter a *non-esse*. Hinc tres gradus possumus distinguere : 1m, *esse reale;* 2m, non-*esse reale*, sed *esse ideale*, quod est nihilum solummodo *reale*, seu negatio *secundum quid;* 3m, *non-esse* tum *reale* tum *ideale*, quod est negatio absoluta, seu impossibile. Sophistice ergo et falso concluditur contra principium contradictionis, quod esse *ideale* simul et secundum idem sit vel contineat *esse* et *non-esse*, vel quod *esse* sit in *non-esse*, et *non-esse* in *esse*, ut phrasi Hegeliana utamur : nam *esse-ideale* non est *non-esse* ideale, hoc est negatio absoluta; et, si est *non-esse* reale, quatenus est seu habet hoc *non-esse* seu negationem secundum quid, non est, simul et secundum idem, *esse*. Igitur adversarii argumentando modo prædicto non opponunt negationem affirmationi, et τὸ *non-esse* τῷ *esse* secundum idem et simul, sed secundum diversa et successive, et confundunt negationem absolutam cum negatione secundum quid.

Hinc fallaciæ. — Quæ generatim animadversa, multo magis urgentur quando consideratur ens *faciendum*, ut præexistens in sua causa. Hæc enim præexistentia non est aliquid entis *faciendi*, ut adversarii dicunt in argumento præcitato, sed est virtus causæ, distincta realiter ab illo ente, et quæ positiva est, et, quatenus talis, nullo modo negativa. Quocirca falso concluditur quod *non-ens* in sua causa præexistens sit *ens;* sed verum est quod in seipso consideratum sit realiter *non-ens* in se, sit realiter *non-ens* in sua causa. — Similiter ad sophisma Hegelii respondemus quod *non-ens*, præcise ut tale, non est in *fieri :* quia quod est in *fieri* non est simpliciter *non-ens,* quamvis non sit adhuc illud *ens* completum, quod habetur quando cessat *fieri* et est *esse* completum. Sed de Hegelio alia sunt addenda.

III. **Hegel.** *Empirismo* Humii, sicut et *criticismo* Kantii, Hegel (1770-1831) suam suffecit philosophiam *speculativam.* Ex antiquis philosophis non Platonem, non Aristotelem, sed scepticos prædiligit, quorum scepticismum dicit *præstantem* et distinctum a scepticismo tum empirico tum critico recentiorum (*Op. cit.*, §. LXXXI. *Zuzatz* II, pag. 380 et seq.). Unde aperte fatetur, ut refert Gratry in sua *Logique*, Lib. II. cap. I. §. III. nullam esse in Heraclito propositionem, quam ipse non admiserit in sua Logica. En autem principia systematis Hegeliani. — Distinximus alibi (4, II) ideas in determinatas seu categoricas, et in indeterminatas seu transcendentes. A transcendentibus est incipiendum in scientia *speculativa*, quia nihil præsupponunt; et cum τὸ *esse* sit maximum inter transcendentia, ab *esse* est incipiendum. Atqui eo ipso quod *esse* importat maximam indeterminationem, importat maximam negationem. Ergo *esse purum* seu *abstractissimum*, seu *idea*, seu τὸ *esse*, acceptum in hoc suo primo et immediato *momento*, hoc est *per se* et indeterminatum, est ipsum *non-esse*, sicut et τὸ *non-esse* indeterminatum et per se, seu in suo primo immediato *momento* est ipsum *esse*. Igitur principium contradictionis, quo *non-esse* excluditur ab *esse*, et *esse* a *non-esse*, est absolute rejiciendum. Hoc est initium et fundamentum totius logicæ et philosophiæ *speculativæ* Hegelii. (Cf. *Logique de Hégel, traduite... par A. Vera*, 2e *édit.* §. LXXXVI et seqq. Tom. I, pag. 593 et seqq.). — Sed audiendus est ipse Hegel. « In principio *cogitationis* non aliud habemus nisi cogitationem in sua pura indeterminatione nam determinatio continet oppositionem (quatenus per ipsam habemus *unum* et *aliud*); et in prin-

cipio non habetur contrarium. Hujusmodi autem indeterminatio est indeterminatio immediata, non autem indeterminatio mediata, hoc est negatio mediationis; sed est immediatio indeterminationis, id est, indeterminatio quæ præcedit omnem determinationem, indeterminatum denique *principii absoluti*. Hoc est illud quod vocamus *esse* » (Op. cit., §. cit., pag. 395). Hoc *esse purum* est *idea*, seu *prima cogitatio pura* (ib., pag. 398). Quod « si consideretur *esse* quasi exprimens prædicatum absolute habebitur prima definitio absoluti : *absolutum est esse* (ib. pag. 394). Sicut autem ex dictis est manifestum, » illud *esse* est abstractio pura, et consequenter ἡ *negatio* absoluta, quæ accepta et ipsa in suo *momento* immediato, est τὸ *non-est*. Ex quo infertur altera definitio absoluti : τὸ *absolutum esse* τὸ *non-esse*, » (§. LXXXVII. p. 399). — Insuper « τὸ *non-esse*, acceptum in suo *momento* immediato, est idem sibi ipsi, est etiam ex se idem cum τῷ *esse*. Consequenter, veritas τοῦ *esse* et τοῦ *non-esse* est in utriusque unitate. Hæc unitas est τὸ *fieri* » §. LXXXVII. pag. 403). Res autem non sunt nisi determinationes prædictarum indeterminationum. « Diversæ, inquit, significationes, quas necessario recipiunt τὸ *esse* et τὸ *non-esse*, debent haberi ut determinationes magis exactæ et definitiones magis veræ τοῦ *absoluti*. Hæ definitiones non sunt vacuæ abstractiones, sicut τὸ *esse* et τὸ *non-esse*, sed definitiones concretæ, in quibus *esse* et *non-esse* non sunt nisi *momenta* » (ib., §. LXXXVII, pag. 401). Hujus philosophiæ, in Germania ubi nata est, fere jam obsoletæ, patrocinium, inter alios, suscepit et perversa dogmata defendit *A. Vera* († 1885) philosophiæ antecessor in Universitate Neapolitana.

IV. Critica. Ut paucis quod ego sentio dicam, Hegeliana philosophandi ratio est sophistica, et destruit scientiam.

Est sophistica. Aristoteles, in IV. *Metaphysicorum*, cap. I. de scientia vere *speculativa* loquens, ait : « Est scientia quædam, quæ speculatur *ens*, prout *ens* est, et quæ ei *per se* insunt. » Nam scientia speculativa, quæ sub uno aspectu est Metaphysica, et sub altero est Logica (*ibid.*, cap. IV), ultima elementa *analysis* quærit, quæ sunt principia aliorum; ultimum autem elementum analysis est *ens*. Ergo, concludit, Cap. III, scientiæ *speculativæ* est considerare etiam de *non-ente*. Nihil ergo novi nos docet ex hac parte Hegel. Attamen sapienter Aristoteles statim notat, *ens* concipi ut necessario importans negationem τοῦ *non-entis*, et ut in-

compossibile cum *non-ente;* proindeque in initio philosophandi in philosophia vere speculativa statuit et defendit (cap. VI et seqq.) veritatem principii contradictionis, quod aliud non est nisi affirmatio excludens negationem, *ens* excludens a se *non-ens*, seu *ens* est NON *non-ens*, seu *non-ens non potest esse ens.* At vero Hegel assurgit et ipse ad *ens* purum seu abstractissimum seu maxime indeterminatum, sed loco concludendi sicut Aristoteles concludit : *ens* est NON *non-ens*, relinquit inopinate primam negativam, et dicit : *ens est non-ens;* quod procul dubio est paralogismus. Quod si ponas in forma syllogistica intricatam argumentationem Hegelianam habebis : *Esse purum est indeterminatio pura; sed non-esse purum est indeterminatio pura; ergo esse purum est non-esse purum.* Quo in syllogismo vides medium terminum nempe *indeterminationem puram*, non distribui in præmissis (33, III). Alio etiam modo proponi potest syllogismus dicendo : *Esse purum est indeterminatio pura; sed indeterminatio pura est non-esse purum, ergo esse purum est non-esse purum.* Sed in hoc secundo casu habetur iterum variatio significationis in vocabulo *indeterminatio.* Etenim *esse purum* est quidem indeterminatum, sed indeterminatione quæ dicit negationem entitatis determinatæ sive specificæ sive genericæ sive individualis, non autem indeterminatione quæ dicat negationem *entitatis* cujusque sive idealis sive realis; quinimo hanc rationem entitatis necessario importat. Sed cum in *minori* dicitur, *indeterminatio pura est non esse purum*, sumitur *indeterminatio* ut est negatio entitatis tum realis tum idealis. Ergo nonnisi sophistice concluditur : *ergo esse purum est non-esse purum*, vel, *non-esse purum est esse purum.*

Destruit scientiam. Scientia nostra enim est cognitio certa et evidens, proindeque universalis atque constans seu immutabilis : cujus quidem universalitatis atque immutabilitatis ratio non aliunde quam ex objecti immutabilitate atque universalitate desumi potest, ut quisque concedit. Atqui in systemate Hegeliano objectum scientiæ neque immutabile est neque universale, quinimo essentialem mutabilitatem importat. Ergo systema Hegelianum scientiam destruit. Et revera quid aliud quam essentialem mutabilitatem potest præ se ferre quodcumque objectum, in quo necessario includitur synthesis primitiva τοῦ *esse* cum τῷ *non-esse?* Objectum enim non aliunde habet immutabilitatem, nisi ex eo quod, ita *est*, ut semper *sit* et *non-esse* excludat; contra, fundamentum logi-

cum simul et objectivum Hegelii est *identitas* oppositorum. Si autem immutabile non est objectum, neque est universale, quod ex natura sua ita est, ut semper et ubique et in omnibus idem inveniatur.

V. Solvuntur difficultates. Quæ breviter attigimus in confutatione principii-hegeliani, magis erunt etiam manifesta ex solutione rationum, quas Hegel in defensionem affert, sui systematis.

Objectio prima. « Cum loquimur in genere de aliqua *differentia*, occurrunt duo termini, quorum unusquisque habet determinationem quæ in altero non apparet. Sed (loquendo de *esse*) habetur *esse*, quod est indeterminatio absoluta, quæ indeterminatio est etiam *non-esse*. Ergo horum terminorum (*esse* et *non-esse*) differentia non est nisi *opinio*, differentia abstracta, quæ revera non est differentia, » seu *esse* et *non-esse* sunt *eadem* fundamenti *absentia* et destitutio, ut Vera addit in *nota*, reddendo litteraliter verba Hegelii (*Logique*, etc., ut supra, §. LXXXVII, pag. 402).

Resp. Distinguo *minorem : esse* est indeterminatio absoluta seu negatio cujusque determinationis, *concedo;* est indeterminatio absoluta, seu negatio omnimodæ entitatis, *nego :* et nego in hoc sensu hanc indeterminationem esse ipsum *non-esse*. — In Hegelio est semper eadem æquivocatio, quam supra in primo nostro argumento notavimus. Pariter et æquivocatio est in eodem Auctore, cum tangit in *majori* de differentiis rerum. Procul dubio quoad *species*, quia in aliquo conveniunt et in aliquo differunt, assignamus *differentiam*, per quam differunt, et *genus* in quo conveniunt; at *esse* abstractum et *non-esse* abstractum, non solum *differunt*, sed diversa sunt, opposita, et in nullo conveniunt, nempe inter ipsa totalis et *absoluta differentia* est, et nulla *convenientia*. Ergo, non quod *esse* purum sit *non-esse* purum concludi debet, sed quod *esse* purum nullo modo sit *non-esse* purum. Quæ quidem illatio ita est evidens, ut Hegel ipse contra sua principia vel invitus eam ponere videatur, cum §. LXXXVIII. (pag. 404), scribit : « Si verum est quod *esse* et *non-esse* sunt unum; verum etiam est quod eorum *unum* non est *aliud*. Quia tamen differentia non est adhuc differentia *determinata*, quia *esse* et *non-esse* constituunt momentum immediatum, differentia, ut est in ipsis, est innominabilis et non est nisi pura opinio. » Habemus ergo ex ipso Hegelio quod *esse* et *non-esse* in *se* differunt; ergo non sunt unum et idem : quod est præcise illud quod nos defendimus. Negamus autem quod differen-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tia non sit determinata inter *esse* et *non-esse*, quia, ut dictum est, differentia inter ipsa est maxima, quia est oppositio, et ideo in nullo, quod sit *utrumque*, conveniunt. Quod si illa differentia est *in se* determinata determinatione oppositionis absolutæ, est etiam determinata eadem determinatione quoad nos : quia impossibile est ut a nobis concipiatur ens, quin simul ipsum concipiatur ut oppositum τῷ *non-enti*. Unde nullum effugium relinquitur Hegelio. — Consimili argumento hegeliano utebatur David de Dinando, ad concludendum stultissime quod Deus est materia prima : Quæcumque sunt, aiebat, et nullo modo differunt, sunt idem; sed Deus et materia prima sunt et nullo modo differunt. Ergo penitus sunt idem. — Non aliter ratiocinatur Hegel in argumento supra citato : Quæcumque sunt, inquit, et nullo modo differunt, sunt idem. Sed *esse* et *non-esse* sunt et nullo modo differunt. Ergo *esse* et *non-esse* penitus sunt idem. — Ad quod argumentum, S. Thomas, P. I. Qu. III. Artic. VIII. ad 3, respondet : « Simplicia non differunt aliquibus aliis differentiis : hoc enim compositorum est. Homo enim et equus differunt *rationali* et *irrationali* differentiis : quæ quidem differentiæ non differunt amplius ab invicem aliis differentiis : unde si fiat vis in verbo, non proprie dicuntur *differre*, sed *diversa* esse. Unde, secundum Philosoph. (X. *Metaphysicorum*), *diversum absolute dicitur, sed omne differens aliquo differt*. Unde si fiat vis in verbo, materia prima et Deus non *differunt*, sed sunt *diversa seipsis*; unde non sequitur quod sint idem. » Ita *esse* et *non-esse*, si fiat vis in verbo, non differunt, sed sunt *seipsis* diversa; unde non sequitur quod aliquo modo sint unum.

Objectio altera. Duo suprema genera idearum dantur in nobis, nempe ideæ positivæ et ideæ negativæ, quæ ad invicem comparantur ratione oppositionis. Atqui relatio oppositionis non est inter duo, nisi per ordinem ad aliquod unum quod sit utrumque. Ergo necesse est assurgere per abstractionem ad aliquid, quod simul sit idea negativa et positiva, *esse* purum et *non-esse* purum. — Cf. VERA, *Introduction à la philosophie de Hégel*, 2e édit., chap. IV. §. V., pag. 157 et seqq.

Resp. Nego *minorem* et *consequentiam*. Opposita enim si dicunt relationem ad aliquod tertium, non sequitur quod hoc tertium opposita contineat : sed ideo dicuntur opposita, quia unum accedit, alterum vero recedit seu excluditur a tertio. Ita album et nigrum non dicuntur per ordinem ad aliquid, quod sit simul album et nigrum, sed per ordinem ad aliquid, quod sit absolute unum et exclusio alterius, ad *lucem* nempe, quæ tota est in albedine, et nullo modo in nigredine.

Objectio tertia. Si *non-esse* non datur, hoc est, si *non-esse* non constituat categoriam propriam et distinctam, sicut et ipsum *esse*, Dialectica omnino perit. Atqui non potest *non-esse* constituere categoriam primam, nisi in suo momento immediato sit ipsum *esse*. Igitur stat principium Hegelianum. — VERA, *Introduction*, etc., etc., Préface, pag. LXVI.

Resp. Nego *majorem*. Non verbis ludendum est in philosophia, et Vera ludere videtur, affirmando et non probando, cum tamen probare deberet quod affirmat. Negamus *non-esse* absolutum seu purum constituere categoriam, imo dicimus esse negationem cujuslibet categoriæ, quia est negatio τοῦ *esse*, tum realis determinati, tum idealis indeterminati.

Objectio quarta. Logica illa, quæ docet principium contradictionis esse veritatis criterium, naturæ rerum aperte contradicit. Etenim, si illud principium verum esset, logice diceretur : *homo est ens facultate* ridendi *præditum;* illogice autem affirmaretur : *homo est ens facultate* flendi *præditum.* Atqui hæc absurda sunt. Ergo si utraque propositio vera est, ideo vera est, quia in homine admittitur et est coexistentia oppositorum, seu contradictionis. Quæ oppositio et in abstracto verificari debet; atque proinde principium contradictionis non est admittendum, imo in facto nec admittitur ab iis, qui illud defendunt, ut in exemplo allato videre est. — VERA, *Logique de Hégel*, 2e éd. *Introd. du traducteur*, Ch. VII. pag. 41 et seqq.

Resp. Nego *antecedens*. Ad ejus probationem, nego *majorem*, et nego *consequens* et *consequentiam*. Tota vis argumenti Veriani in exemplo allato fundatur, et in aliis similibus quæ ibidem adducit : quod tamen exemplum perverso sensu explicatur. Etenim facultas ridendi in homine est quid *positivum;* et simul est *positivum* in ipso facultas *flendi*. Sunt autem talia *positiva*, quæ sociabilia sunt (8, VI), seu in eodem subjecto coexistere possunt, esto *secundum quid* opposita. Quid vero infert Vera? nempe quod *non-esse* et *esse* in abstracto sunt simul in uno *tertio*, quod est *fieri*. Ergo in sua consequentia non ponit *positivum* cum *positivo*, seu synthesim utriusque in eodem subjecto, sicut exclusive factum est in *præmissis* argumenti, sed concludit synthesim negativi absoluti cum positivo absoluto, synthesim *non-esse* cum *esse*. Quod nonnisi per sophisma fieri potest a *secundum quid* ad *simpliciter* (43, IV). Addo in Vera et in philosophia Hegeliana perpetuo hanc vigere confusionem *non-entitatis* secundum quid et *non-entitatis* absolute, entitatis *diminutæ*, hoc est entitatis prouti habet limitationem, cum *negatione* absolu-

ta; ex quo concluditur *non-esse* absolute habere realem categoriam, sicut categoriam habet illa entitas diminuta.

Objectio quinta. Sensus in quo vulgo sumitur principium contradictionis est quod, *aliquid non possit esse simul et non esse id quod est.* Quo in sensu illud principium verum est, sed tamen puerile, et in scientiis nullam ex hoc capite utilitatem habet. Non enim quærimus in scientiis, utrum res aliqua possit esse alba simul et non alba, vel lux possit simul esse et non esse lux; sed quæstio est, utrum *contradictio* sit lex necessaria rerum, principium absolutum, quod totum et partes gubernet, et sine quo neque totum neque partes possent existere, et quod proinde existat in omnibus rebus. Porro hoc sensu acceptum, principium contradictionis omnino est rejiciendum ut criterium veritatis : nam *oppositio* seu *contradictio* est lex universalis rerum, sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt. In natura sensibili omnia contradictione et pugna miscentur : in mathematicis *numeri* vel *dimensiones* inter se opponuntur; in morali invenimus oppositiones *necessitatis* et *libertatis;* in metaphysica oppositiones *causæ* et *effectus, substantiæ* et *accidentis, finiti* et *infiniti.* Homo vero inter cetera entia est illud in quo contradictio et pugna intensius manifestantur. — VERA, *Logique*, etc. ut supra, Chap. VI. pag. 38 et seqq.

Resp. Si quis recte consideret, non alio modo ratiocinatur Vera post Hegelium quam olim ratiocinabantur Manichæi. Ipsi enim, ex eo quod in rebus creatis sunt mala mixta bonis, inferebant : ergo datur summum malum, quod est causa omnium malorum, sicut datur summum bonum quod omnium bonorum est causa. Si differentia est, in hoc consistit, quod Vera cum Hegelio in *unum* quod est *fieri* dicit convenire *esse* et *non-esse;* contra Manichæi ut distincta, imo ut separata, ponebant summum bonum et summum malum. — Utique in mundo existunt bonum et malum, et consequenter existunt oppositiones *esse* et *non-esse;* at sicut malum non est realitas aliqua existens in bono, sed est privatio boni; ita *non-esse* non est categoria aliqua, non est realitas quædam unita entitati, non est *res*, non est *idea*, ut jam diximus, sed est negatio entitatis. Porro, quanto magis progredimur ad *esse*, tanto magis accedimus ad indeficientiam ipsius *esse*, sicut quanto magis progredimur ad *bonum*, tanto magis accedimus ad indeficientiam *boni.* Consequenter non solum falsum est, quod ait philosophia Hegeliana, necessarium esse pervenire ad aliquid sive ideale sive reale, sive ideale-reale, quod est *fieri*, in quo unita inveniantur τὸ *esse* et τὸ *non-esse*, tanquam *momenta* ipsius τοῦ *fieri;* sed necessarium omnino est oppositum, nempe pervenire ad

aliquod *Esse*, quod excludat absolute *non-esse*, et quod sit causa aliorum entium; quæ, quia non sunt ipsum *esse*, sed entia participata et finita, ab *esse* deficere possunt, et in *non-esse*, hoc est in nihilum redire. Qua de causa, vi principii contradictionis, ut assumitur in Scholis et a Vera ipso conceditur, principium Hegelianum ostenditur falsum. — At, inquit Vera, mundus plenus est contradictionibus. — Quid sibi ipse vult per hujusmodi assertum? Mundus plenus est non *negationibus*, quæ sint categoriæ, sed plenus est *entibus* finitis, et quæ possunt deficere vel etiam deficiunt ab *esse*, et quæ ideo subaudiunt Esse infinitum et indeficiens, in quo sit totaliter *esse*, et cui *non-esse* utcumque admisceri absolute repugnet. — Negamus denique principium contradictionis in sensu a Schola acceptum, esse puerile et nullius in scientiis utilitatis, ut Vera asserit sine ulla probatione; qua de re videri possunt quæ in articulo 55 declarata sunt. Sed insuper petimus a Vera ut sincere nobis concedat verum esse principium contradictionis in sensu vulgari, in quo accipitur communiter in Scholis; et postea ab ipso sciscitabimur qua logica systema Hegelianum, cujus patrocinium suscepit, possit amplius defendi (1).

---

(1) De relativismo. Cum doctrina supra exposita conjuncta est quæstio. « Utrum intellectus aliquid cognoscat præter relativa phænomena. » Scimus Kant adfirmasse noumena a nobis cognosci non posse; et plus minusve eum secuti sunt Hegel, Hamilton, Herbert Spencer, Comte, Renouvier. Hi omnes conveniunt nos tantum *relativum* cognoscere posse, propterea *relativistæ* vocantur et *relativismus* eorum systema.

Fundamentum est doctrina kantiana et comtiana quam supra retulimus et confutavimus.

Concedendum absoluta nobis aperiri ex relativis, et quidditas rerum nonnisi indirecte et imperfecte cognosci posse. Unde aliqualis sanus relativismus admittitur a nobis.

Rejicimus tamen expositum systema: 1° quia possumus substantias cognoscere, sicut probabitur in Ontologia, 10, VII: 2° quia principia quibus innititur sunt falsa, sicut probavimus ubi de kantismo et positivismo; 3° quia absoluta a relativis in ordine existentiæ supponuntur, et in ordine cognitionis necessario inferuntur; 4° quia obiectum naturale intellectus non est pura relatio, vel res materialis, sed essentia rerum intelligibilium, ut in Psychologia Auctor probat; 5° quia ex eo quod de Deo ente absoluto et infinito, ideam positivam efformare non possumus sed analogam per negationem et remotionem, et entium finitorum substantiam non intuitive apprehendimus, non sequitur nos de his omnibus nihil

CAPUT TERTIUM

DE CRITERIIS EXTRINSECIS

Prologus. Absoluto tractatu de criteriis intrinsecis, tum subjectivis tum objectivis, tertio loco promisimus *(Prolog. ad hunc lib.)* tractatum de *criteriis extrinsecis*, nempe de *auctoritate*, seu externo magisterio. Hoc autem magisterium est vel divinum vel humanum; et humanum magisterium, aut est de iis rebus, quorum judicium commune est cuique usùm rationis habenti, sub quo respectu dicitur *sensus communis* naturæ; aut de rebus extra hujusmodi limites positis, quo sensu habetur proprie magisterium humanum. Dicendum igitur est : 1° *de magisterio divino;* 2° *de sensu naturæ communi;* 3° *de humano magisterio :* quibus quartum articulum, *de arte critica*, addimus, seu de humano magisterio scriptis tradito.

ARTICULUS PRIMUS

(58)

De divino magisterio.

I. Sensus quo hic sumitur divinum magisterium. Humanam rationem, qua rerum scientiam acquirimus nobis a Deo Creatore donatam esse, ab eoque jugiter conservari, adjuvarique in suis actionibus peragendis, nemo sana mente præditus negat. Qua ex causa recte dici potest, quidquid cognitionis a nobis acquiritur, Deo magistro acquiri, seu, ut ait S. Thomas, P. I. Qu. XVI. Artic. V. ad 3, *omnis... apprehensio intellectus a Deo est*, quia, prosequitur S. Doctor, I-II. Qu. CIX.

---

scire et nonnisi de *relativis* aliquid sapere. — Cf. HUGON, *Metaphysica*, p. III, tract. III, q. IV, a. 6; MERCIER, *Ontol.* n. 377 ss.

2) Historia doctrinarum de accidentibus breviter recensetur in Hugon, *loc. cit.*, p. 89.

De auctoribus qui de Idealisme Hegeliano loquuntur consuli possunt :

C. VILLEMS. *Inst. phil.*, I, p. 293.
MERCIER. *Criter. gen.*, p. 399.
REINSTADLER. *Inst. phil.*, I, p. 174.
PESCH. *Inst. Logic.*, II, 1665.

Artic. I. « actio intellectus, et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo. Uno modo, inquantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit; alio modo, inquantum ab ipso movetur ad agendum. » — At non hoc sensu impræsentiarum sumimus divinum magisterium, sed prout significat *manifestationem* seu *revelationem* alicujus veritatis a principio extrinseco.

II Magisterium et auctoritas. Haud autem confundendum est magisterium cum auctoritate ipsius magisterii. Etenim ea quæ a magistro proponuntur, aut discipulus lumine proprii intellectus videt connexa cum principiis primis et per se notis, et in hoc casu adhæret propositis non *propter* magistri auctoritatem, sed *propter* rerum propositarum veritatem ex se perspectam : quamvis forte hujusmodi veritatem (quæcumque sit tandem causa) nunquam vidisset, nisi magister illam ipsi proposuisset. — Aut quæ proponuntur discipulus non habet manifesta in seipsis; et in hoc casu, si ea teneat ut vera, non tenet vi veritatis manifestæ, sicut in prima hypothesi, sed vi *auctoritatis* magistri, quæ regit, ut unicum criterium, assensum discipuli. — In prima hypothesi habetur *visio*, quæ est *assensus mentis veritati, vel immediate manifestæ, vel manifestæ per principia intrinseca ex quibus infertur;* in secunda hypothesi habetur *fides*, quæ est *mentis adhæsio alicui veritati, neque in se immediate, neque in suis principiis intrinsecis manifestæ, sed in principio extrinseco*, quod est auctoritas dicentis, et criterium ipsius assensus. — Non loquimur de magisterio divino prout in nobis generare potest scientiam vel visionem rerum, sed prouti auctoritate sua fidem in mente nostra suscitat.

III. Conditiones, quibus auctoritas magisterii prædita esse debet, ut FIDE dictis ejus adhæreamus. Quod si quæratur ratio cur fidem habeamus rebus, nobis alieno magisterio propositis, sed quæ tamen in se minime videntur, non aliam inveniemus nisi quia nobis persuasum est magistro non deesse *scientiam*, qua ipse non fallatur circa ea quæ proponit, neque *veracitatem*, qua nos fallere nolit. « Quod enim alicui non credatur, inquit Angelicus, in Lib. *De Divinis nominibus*, Cap. I. Lect. I. ex duobus contingit : aut quia est vel reputatur ignorans; aut quia est vel reputatur mendax. » De his videri etiam potest S. Augustinus, Lib. II. *Soliloqu.*, Cap. IX; *De vera Religione*, Cap. CXXXIII. n. 61; Lib. *Contra mendacium*. Igitur *scientia* et *veracitas*, nobis cognitæ, constituunt respectu nostri vim auctoritatis, cum re-

bus propositis et non visis propter auctoritatem credimus. Atqui veracitas est quid morale, pendens nempe a morali bonitate voluntatis magistri, nobis loquentis sine animo fallendi. Consequenter assensus, seu fides præstita rebus non visis et tamen firmiter seu certo creditis propter auctoritatem, est, quoad se, certitudo moralis (22, IV; 40, III). Dico *quoad se*, quia cum de auctoritate divina sermo est, certitudo est omnino metaphysica, ut in hoc ipso articulo declarabimus. Sit enim prima conclusio :

IV. Auctoritas divina est firmissimum veritatis criterium. Probatur. Illud enim dicendum est firmum veritatis criterium quo niti potest mens ad assentiendum alicui cognoscibili firmiter et sine ulla errandi formidine. Atqui hujusmodi maxime est divina auctoritas. Ergo divina auctoritas est firmissimum criterium veritatis. — *Major* est evidens ex natura ipsius criterii (50, I). *Minor* declaratur. Etenim, ut auctoritas firmiter et sine ulla errandi formidine mentis nostræ regat assensum, non aliud requiritur nisi certa cognitio *scientiæ* et *veracitatis* in ipsa auctoritate, ut in superiori numero explicavimus. Atqui Deus et habet omnium rerum scientiam infinitam, quia est infinita, archetypa, et creatrix intelligentia, et est summe verax, quia est ipsa essentialis sanctitas. Igitur mens firmiter et sine ulla errandi formidine potest niti auctoritate divina, ad assentiendum iis quæ sibi per ipsam divinam auctoritatem manifestantur, licet ea in se non videat, ut dictum est n. II. — Hæc conclusio evidentissima est. Venio ad secundam.

V. Certitudo assensus fidei, quæ auctoritate divina tanquam criterio nititur, est certitudo metaphisica. Cum enim criterium sit motivum, quod movet, regit, et mensurat assensum certum mentis *cognoscibili*, assensus ipse erit metaphysicus, physicus, vel moralis, secundum quod criterium, a quo generatur, aut metaphysicæ, aut physicæ, aut moralis est certitudinis (22, IV; 40, III) : effectus enim naturam propriæ causæ in se retrahit. Atqui auctoritas divina, quæ regit assensum fidei iis quæ a Deo dicuntur, est criterium metaphysicæ certitudinis : quia scientia et veracitas, ex quibus auctoritas vim habet, ut dictum est n. III. ita Deo conveniunt, ut repugnet eas ipsi non convenire, cum sit natura omnisciens et essentialis sanctitas. Ergo et certitudo assensus, seu fidei, quæ auctoritate divina tanquam criterio nititur, est certitudo metaphysica. Imo sit tertia conclusio :

VI. Certitudo assensus fidei, quæ divina nititur auctori-

ate superat quamlibet aliam nostram certitudinem metaphysicam Quo sensu una certitudo alia major dicenda sit, explicavi (40, IV), et in illo sensu loquor hic de majori assensus fidei certitudine. Probatur conclusio. Motivum seu criterium unde gignitur in nobis certitudo est *verum.* Ergo quanto aliquod ens est magis verum, tanto magis natum est firmius esse criterium et majorem certitudinem gignere *(ibid.).* Atqui Deus, cujus auctoritate nititur assensus fidei, est non solum verus, sed ipsa essentialis, prima et infinita veritas, et principium totius veritatis et ipsius rationis cognoscentis. Igitur assensus fidei divinæ, qui nititur, tanquam proprio criterio, divina auctoritate, certior est qualibet nostra certitudine metaphysica. — Cf. P. I. Qu. I. Artic. V.

VII. Solvitur difficultas. Potior est certitudo quæ est de rebus visis, quam de non visis. Atqui certitudo fidei divinæ seu supernaturalis est de non visis. Ergo potior esse nequit certitudine naturali metaphysica vel physica, quæ est de rebus visis.

Resp. Distinguo *majorem :* Potior est certitudo quæ est de rebus visis quatenus certitudo se tenet ex parte dispositionis subjecti, *concedo;* quatenus certitudo se tenet causaliter ex parte objecti, *nego.* Et distinguo pariter *minorem :* certitudo fidei supernaturalis est de rebus non *visis,* sumpta visione large, ut est cognitio, *nego;* sumpta visione stricto sensu, *subdistinguo :* fidei certitudo est de rebus non visis in speciali, *concedo;* in generali, *nego.* — Et quoad distinctionem datam in *majori,* facile est notare quod aliud est loqui de objecto intelligibili *in se,* aliud de subjecti intellectivi dispositione ad objectum ipsum intelligendum : sicut *sol* visibilis in se est, magis quam res ceteræ quæ a sole illuminantur, et tamen oculus in ipsum directe aciem figere non valet. Ex dispositione ergo oculi minus est sol visibilis quam objecta a sole illuminata. Ita proportionate est dicendum de veritatibus revelatis, deque fide, qua a nobis creduntur. Illæ enim, utpote supremæ, natæ sunt *ex se* intensiorem gignere certitudinem, ut probavimus. Attamen indigemus aliquibus adjumentis ad credendum, scilicet habitu fidei, lumine et auxilio Dei, quorum usus, cum sit positus in nostra voluntate (non enim necessitate sed voluntate credimus), idcirco possibile est quod noster intellectus dissentiat veritatibus fidei, aut de eisdem dubitet, dum non utitur prædictis auxiliis; quo in casu error vel dubitatio non ex incertitudine *objecti,* sed ex indispositione subjecti desumenda est. Quæ omnia exemplis illustrat Bannes in P. I. Qu. I. Artic. V.

Notandum tertio. — Venio ad distinctiones datas ad *minorem*. Visio rigorose sumpta dicit cognitionem non quamcumque sed perfectam de re in seipsa : et hoc sensu fides non est de rebus *visis*. At vero visio quandoque large accipitur pro quacumque cognitione; cognitio autem habetur, vel quia objecta per seipsa movent intellectum (quo in casu, ut II-II. Qu. I. Artic. IV. notat Angelicus, habetur visio rigorose sumpta), vel quia movent per aliud, in quo continentur sicut in principio extrinseco, nempe per auctoritatem. In hoc secundo casu objecta in se minime videntur, videntur tamen *scientia* et *veracitas* auctoritatis manifestantis illa. quæ *scientia* et *veracitas* in Deo, quia veritate superant quamlibet aliam veritatem, ut dictum est, sunt menti nostræ criterium majoris certitudinis præ aliis criteriis. — Divus Thomas, loc. prox. cit., ad 2, hæc habet quoad *minorem* supra positi argumenti : « Ea quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali, et sic non possunt esse simul visa et credita, sicut dictum est *(in corp. art.)*. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis : et sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi. » Aliis verbis : non habetur evidentia rei creditæ, sed habetur evidentia ejus *credibilitatis*. — Cf. *Conc. Vatican.* Sess. III. *Constitut. dogmatic. de fide catholica, Cap.* III. *de fide*. — De hac re fusiori calamo scripsimus in *Propædeutica*, Lib. I, Capp. 14-17 (1).

ARTICULUS SECUNDUS

(59)

De sensu naturæ communi.

I. Notio sensus communis naturæ Inesse hominibus judicia quædam, quorum veritas *semper, ubique* et *ab omnibus* retinetur, negabit nemo qui ipsius humanæ naturæ aliquantulam experientiam habet; cujusmodi sunt judicia : *Deus existit; parentes sunt honorandi; parentes natura diligunt filios;* aliaque hujusmodi. Quorum judiciorum principium,

1. Cf. S. Augustinum. *De utilitate credendi.*
S. Thomam. *Quæstio de Magistro.* — De fide, II-IIae.
Brunetière. *Le besoin de croire.*
Hugon. *La lumière et la foi.* Paris, Lethielleux.
Revue Thomiste, t. X, p. 159.

non studium est, non reflexio, non ipsius vitæ experientia (a qua sunt *proverbia*) : hæc enim media non omnibus communia sunt; sed natura ipsa rationalis, quæ singulis inest, dicenda est. Hæc naturæ rationalis inclinatio ad quædam judicia admittenda, dicitur *sensus naturæ communis*. Dicitur *sensus*, quasi nempe *veritas* in quam fertur, sentiatur; dicitur *naturæ*, quia ipsam naturam rationalem comitatur et ab ipsa quodammodo manat, antevertendo omne studium, omnemque reflexionem; dicitur *communis*, quia omnibus inest, quibus inest natura ipsa rationalis. Unde ita omnibus inest, ut tamen cujusque hominis sit proprius. Nihilominus sensum naturæ communem, quamvis ut criterium intrinsecum sit habendum, inter criteria externa reponimus, quia ex aliorum hominum constanti et universali consensu potissimum dignoscitur utrum singularis hominis judicium revera sit ex sensu naturæ, an secus.

II. **Limites sensus communis.** Ex præmissa declaratione patet intra quos limites sensus naturæ communis coarctetur. Homini enim sensus naturæ rationalis est loco instinctus vel spontaneitatis aliorum animantium ratione expertium : instinctus autem aliorum animalium ad necessaria vitæ determinatur et ad ea quæ de facili obtinentur. Et idem, proportione servata, de nostro sensu naturæ dicendum est : nempe sensus iste de necessariis ad vitam animalem et rationalem ducendam, vel saltem initiandam, exclusive est; et insuper circa faciliora exercetur : quia ardua ac difficiliora scitu neque necessaria sunt, neque cuique homini accessibilia. Hinc diximus judicia sensus communis præ se ferre tres conditiones, seu characteres essentiales : videlicet sunt *constantia, universalia, communia;* quos characteres non habet quidquid studio ac reflexioni debetur. — His præmissis sit conclusio :

III. **Sensus naturæ communis revera talis et intra proprios limites est firmum criterium veritatis.** Cur conclusionem cum restrictione proponam, ex prænotaminibus est manifestum. Ad quam restrictionem maxime est attendendum : nam ideo difficultates moventur contra nostram conclusionem, quia sumitur ut sensus communis id quod tale non est; sicut quando recensentur errores nonnulli hominum, aut de objectis sermo inducitur, ad quæ sensus naturæ communis non se extendit. — Probatur. Judicia sensus communis ab intima natura rationali dictantur. Atqui quod ab intima natura rationali dictatur, non potest non esse ve-

rum, et consequenter criterium firmum veritatis. Ergo judicia sensus communis, et consequenter ipse sensus naturæ communis, non possunt non esse firmum criterium veritatis. — *Major* certa est ex definitione sensus naturæ communis, supra, n. I. tradita. — *Minor* probatur ex triplici capite : et 1° quidem, quia quod ab intima natura est, ab Auctore naturæ est, nempe Deo; qui cum sit essentialiter veritas non potest per naturales inclinationes inditas naturis creatis easdem in errores impellere; — 2° quia, ut scimus ex conscientia et ex natura ipsius intelligentiæ, hæc ad veritatem tendit, ut ad propriam naturalem perfectionem : *omnes enim*, ut Tullius dicit, *trahimur cupiditate sciendi* : porro tendere natura ad veritatem, et natura averti a veritate ac errare, sunt ideæ prorsus contradictoriæ, ut alibi jam notavimus (48, IV et VI ad 2); — 3° quia universalis consensus, qui est una ex dotibus sensus communis, ratio nulla assignari potest nisi veritatis evidentia, qua omnes homines constanter, universaliter et semper afficiuntur : quo fit ut non veritas ex sensu communi, sed sensus communis ex veritate omnibus evidenti constituatur. Unde rectissime Seneca, *Epist.* CXVII: « Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tanquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est; nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta ut non aliquos deos credat. Cum de animarum, æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. »

IV. De falsitatibus admixtis sensus communis judiciis. Occasione citatæ auctoritatis Senecæ, opportunum ducimus hic animadvertere nonnulla circa falsitates quæ admisceri possunt judiciis sensus communis, ne propter illas, eorumdem judiciorum veritates irrationabiliter rejiciamus. Itaque, quoties sermo est de judiciis sensus communis, caute distinguenda est eorum, ut ita dicam, *substantia* a *modo;* ut in exemplo citato a Seneca videre est. Existentia supremi cujusdam Numinis est *substantia* judicii sensus naturæ communis, sed unitas vel pluralitas ejusdem Numinis est *modus* ejusdem judicii : et ratio est, quia sensus naturæ communis de perviis veritatibus est, quæ studium et reflexionem antevertunt; quod vero Deus sit unus, non difficili quidem ratiocinatione determinatur, sed quæ vel passionibus vel præjudiciis, quibus homines passim subjiciuntur, impediri po-

test. Nos igitur sensum communem ut criterium solidum veritatis sustinemus respectu substantiæ judicii, quæ ab ipso sensu naturæ est, non respectu modi, qui ex aliis causis provenit.

V. Utrum sensus naturæ communis sit criterium methaphysicum vel morale. Hæc quæstio moveri potest, ut determinetur natura certitudinis, quæ hujusmodi criterio nititur, et ab eo gignitur. — Dico igitur imprimis quod judicia prolata a sensu communi naturæ ita communia sunt, ut etiam singulis sint propria, quatenus subjective a naturæ rationalis inclinatione, et objective ab aliqua veritatis evidentia quodammodo imponuntur, ut supra dictum est; et sub hac consideratione habetur judicium verum metaphysice vel moraliter, secundum quod objecta talium judiciorum patiuntur. — Deinde dico quod sensus naturæ communis assumptus ut *auctoritas* est criterium extrinsecum, et ut tale et in hoc sensu, morale quid refert, et *moralem*, non metaphysicam gignit certitudinem.

ARTICULUS TERTIUS

(60)

De humano magisterio.

I. Humani magisterii natura et elementa. Sicut nomine magisterii divini intelligimus manifestationem a Deo factam menti nostræ quarumdam veritatum (58, I), ita nomine magisterii humani intelligimus veritatum quarumdam manifestationem factam homini ab homine. Porro res manifestata per humanum magisterium potest esse vel *juris*, hoc est scientifica, vel *facti*, scilicet historica : atque juxta hanc divisionem *materiæ*, humanum magisterium diversa nomina sortitur diversumque exercet influxum. Nam, si sermo est de rebus scientificis, persona manifestans vel docens vocatur *doctor* vel *magister*, et manifestatio dicitur *magisterium*, ab auctoritate, vel *doctrina*, a docendo; si vero agitur de rebus facti, persona manifestans dicitur *testis*, vel *scriptor*, vel *narrator*, vel *historicus*, et ejus magisterium appellatur *narratio*, vel *testimonium*, vel aliis consimilibus nominibus. *Testis* vero dicitur *oculatus* vel *auritus*, prout ea quæ testatur aut propriis oculis vidit, aut ex aliorum narratione habuit. — Utriusque vero magisterii *vis* nos movendi ad assentiendum suis dictis, vocatur *auctoritas* (58, II). De hu-

mano ergo magisterio, seu melius de humana auctoritate, quæ respectu nostri assensus vim confert ipsi magisterio, quærimus, utrum sit *criterium veritatis*, et tale ut in nobis valeat generare certitudinem eorum, quæ ab illo magisterio traduntur? Quæ quidem quæstio nonnisi distinctis conclusionibus solvi potest; quarum prima sit :

II. In rebus scientificis auctoritas humana, per se loquendo, est infirmissimum criterium veritatis Dico, *auctoritas humana*, de qua exclusive impræsentiarum loquor : nam de divina auctoritate satis dictum est in primo articulo hujus Capitis. Dico, *per se loquendo*, hoc est sumpta auctoritate *reduplicative* (25, VI) ut auctoritas est, seu ut est motivum assensus, et respectu rationis addiscentis simpliciter sumpti : nam aliter dicendum est *secundum quid* (43, IV) et *per accidens* (53, IV) seu respectu aliquorum hominum, ut melius in *nota* declarabitur. — Conclusio sic explicata probatur. In rebus scientificis scientia quæritur, ut termini ipsi indicant. Atqui scientia est cognitio certa et evidens per demonstrationem habita (41, III), hoc est deducta non ex auctoritate humana, sed ex certis, intrinsecis, atque evidentibus principiis (*ibid.* I). Igitur in rebus scientificis auctoritas humana, per se loquendo, aut nihil est, aut, ad summum, nonnisi ut infirmissimum veritatis criterium est accipienda, seu, ut Angelici Doctoris, P. I. Qu. I. Art. VIII. ad 2, verbis utar, *locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana*, est *infirmissimus*. Unde S. Augustinus, Lib. V. *de Musica*, Cap. V. n. 10, scribit : « Pudet imbecillitatis, cum rationi roborandæ hominum auctoritas quæritur; cum ipsius rationis ac veritatis auctoritate, quæ profecto est omni homine melior, nihil deberet esse præstantius. » — Qua de causa damnanda sunt argumenta sic dicta *ad verecundiam*, quibus auctoritates doctiorum hominum congeruntur, ut deterreamur a veritate, firma ratione percepta, retinenda. In hoc casu respondere debemus : *Etiamsi omnes, non ego.*

III. Objectio solvitur. Sed, inquiet fortasse aliquis, cum auctoritas humana in rebus scientificis vel nulla sit, vel pene nullius roboris, eccur nos sæpe imo sæpissime aliorum transcribimus auctoritates, præsertim vero SS. Augustini et Thomæ? Fateor, imo glorior me juvari doctrinis SS. Augustini et Thomæ; sed hoc ideo, quia eas serio et diutius perpensas *mea ratio* veras deprehendit. Unde non teneo doctrinas eorum propter auc-

toritatem, sed dictis eorum cedo propter doctrinas propria ratione perceptas, scilicet non est *auctoritas* criterium doctrinæ, sed *doctrina* est criterium auctoritatis. — Quæ omnia magis patescent, si naturam humani magisterii in rebus scientificis expendamus cum ipso S. Thoma.

IV. Natura humani magisterii in rebus scientificis. Scientiam acquirere non est aliud quam conclusiones particularium veritatum deducere ex principiis, veluti ex quibusdam rationibus seminalibus, sive hujusmodi principia sint judicia *per se nota*, sive sint simplices rerum definitiones. Impossibile autem est quod hujusmodi prima principia discipulus a magistro discat : nam omnis explicatio data a magistro præsupponit necessario notiones aliquas præexistentes in mente discipuli, per quas magister conatur explicare quod explicare intendit. Ad rem S. Thomas, Qq. Disp. *de Veritate*. Qu. XI *de Magistro*, Artic. I. ad 3 : « Illa, inquit, de quibus per signa docemur, cognoscimus quidem quantum ad aliquid, et quantum ad aliquid ignoramus; utpote si docemur *quid est homo*, oportet quod de eo præsciamus aliquid, scilicet rationem *animalis* vel *substantiæ*, aut saltem ipsius *entis*, quæ nobis ignota esse non potest. Et similiter si doceamur aliquam conclusionem, oportet præscire de subjecto et passione *(prædicato)* quid sint, etiam principiis, per quæ conclusio docetur, præcognitis. » Et in *resp.* ad 18. addit : « Principia non discit *(discipulus)* a magistro, sed solum conclusiones. » — Igitur totum officium magisterii humani nonnisi conclusiones et ordinem conclusionum ad principia respicit : videlicet magister *discursum* rationis exponit per signa sensibilia; et sic ratio naturalis discipuli per hujusmodi sibi proposita, sicut per quædam instrumenta, sibi per seipsam repetit discursum magistri, pervenitque in cognitionem ignotorum. Ex quo patet quod discipulus non assentit certitudinaliter conclusionibus, innixus magistri auctoritate, sed quia per se ipse in discursu audito a magistro, sibique et a semetipso mentaliter repetito, videt easdem conclusiones necessario et evidenter cum principiis connexas. « Si autem aliquis alicui proponat ea, quæ in principiis per se notis non includuntur, vel includi non manifestantur, non faciet in eo *(discipulo)* scientiam sed forte *opinionem* vel *fidem :* quamvis etiam hoc aliquo modo ex principiis innatis causetur. Ex ipsis enim principiis per se notis considerat quod ea, quæ ex eis necessario consequuntur, sunt certitudinaliter tenenda; quæ vero eis sunt contraria totaliter respuenda; aliis autem assensum præbere potest vel non. » Hæc iterum S. Thomas, Qu. et Artic. cit. de *Magistro*, corp., ubi omnia, quæ delibavi in hoc numero de ma-

gisterio humano, copiose et dilucide disserit tum in corpore articuli, tum in responsionibus ad difficultates.

V. Per accidens autem auctoritas sapientum est veritatis criterium. Ratio est in promptu. Rudibus enim, qui per se ipsos non valent alias scientiarum veritates penetrare, neque scholas adire ut scientificos rationis discursus audiant, nulla alia suppetit via ad cognoscendum res plurimas, nisi auctoritas peritorum: secus illarum prorsus cognitione careant necesse est. Unde eos videmus inclinatione quasi dicam naturali sese committere his qui reputantur sapientiores, et illorum dictis fidem adhibere, quæ, ut patet, nonnisi moralem certitudinem contingere potest. — Quod vero de rudibus animadvertimus, de omnibus aliis hominibus est proportionate dicendum. Non enim omnia possumus omnes; unde necesse est ut etiam homo in una scientia apprime doctus, alteri in alia scientia versato credat in iis quæ propria ratione intime penetrare et comprehendere, non ingenii sed temporis defectu, minime potuit. — Imo non raro accidit ut, cum de intricatis ac subobscuris materiis disputationes instituuntur, quas definire per nosmetipsos non valemus, prudenter propendamus in sententiam sapientiorum.

At secus omnino dicendum est, quoties non de re scientifica sed de factis sermo est : nam in his et sapientes et rudes auctoritati aliorum hominum subjiciuntur, ut mox dicam.

VI. In re facti auctoritas humana, generatim inspecta est criterium veritatis seu certitudinis moralis. Cur affirmem auctoritatem humanam non esse criterium metaphysicæ certitudinis, sed certitudinis moralis solummodo, jam dixi (58, III). Probatur conclusio. Auctoritatem humanam, generatim inspectam, esse in rebus facti criterium veritatis docent facta ipsa, vitæ nostræ necessitates et officia, ipsa hominis natura. Ergo revera humana auctoritas generatim inspecta, ut criterium veritatis in rebus facti est suscipienda. *Consequentia* clara est. *Antecedens* per partes probatur.

Facta ipsa. Etenim videmus homines hominibus credere libenterque veracitatem atque cognitionem in narrantibus admittere, quæ conditiones sunt ut auctoritati credamus (58, III), nisi contrarium aliunde constet. Imo vero frequenter accidit, ut ea quæ prius per fidem in aliorum auctoritatem accepimus, postea rerum veritati respondere experiamur.

Vitæ necessitates et officia. Si enim homines dictis hominum non crederent, vita pecudum more omnino eis esset transi-

genda, ne dicam deterius. « Quæro enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione ullo pacto sciri potest; sed interposita matris auctoritate de patre creditur : de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum. » Hæc Augustinus in Lib. *De utilitate credendi*, ad Honoratum, Cap. XII, n. 26.

Ipsa hominis natura. Natura enim nostra, ut conscientia testatur, maxime reluctatur mendacio, et ad veritatem tum inquirendam tum manifestandam potenter impellit. Ergo, nisi aliunde contrarium constet (et undenam constare id possit paulo infra declarabimus), natura nostra, ad veracitàtem prona, etiam in aliis, quibus eadem natura specifica inest, eamdem veracitatem libenter admittit, ne, contra propriam conscientiam, innati et connaturalis vitii semetipsam falso accuset, alios accusando.

Hæc conclusio satis, meo quidem judicio, probata videtur. Atqui, cum auctoritas, ut fidem nostram mereatur, suis characteribus insignita esse debeat, scilicet *scientia* et *veracitate*, quæritur : Undenam, 1° in concreto dignoscitur ejus scientia? 2° undenam ejus veracitas? Quibus quæsitis ut separatim faciamus satis, sit primo :

VII. Testis humani scientia in concreto potissimum innotescit : 1° ex natura rei narratæ ; 2° ex præcognita testis perspicacitate ; ex ejus experta prudentia. Suppono imprimis ut certum, criterium auctoritatis humanæ in concreto haud posse statui *a priori*, quia nullus nexus logicus et objectivus existit inter testem et rem assertam. Quocirca *a posteriori* unice est determinandum, hoc est considerando res enarratas in seipsis, ac postea eas comparando cum testis

prespicacitate et prudentia : quæ duo nonnisi per experientiam colligi possunt. Quibus præmissis, declaratur conclusio per partes.

Ex natura rei narratæ. Etenim fides præstanda humanæ auctoritati rationi adversari nequit. Consequenter, si incredibilia etiam doctissimus asserat, vel contradictoria misceat, vel res enarret quæ illi cognitæ, moraliter loquendo, esse non possunt, nemo prudens ei crederet. « Quædam, inquit Melchior Canus in Lib. XI. Cap. IV. 2ª *Concl. Locor. Theologic.*, a Plinio, aliisque historicis vel gravissimis referuntur, quæ cun vix credibilia sint, si ea fuisse negemus, non ideo historiæ auctoritatem labefacimus. »

Ex cognita perspicacitate testis. Si enim testis sit ingenii perspicacis, diligens in observando, cautus in judicando, certe non facile decipitur, neque in his quæ ipse videt, neque in his quæ alieno testimonio accipit; ac proinde, nisi gravissimæ rationes contrarium evidenter suadeant, ejus auctoritate non commoveri, ejusque dictis non acquiescere, talis impudentia est ut omnino stultitiam sapiat.

Ex experta testis prudentia. Etenim in rebus historicis ingenii perspicacitas plurimum valet, at ubi prudentiæ sit consociata. Prudens enim non cedit neque propriis neque alienis præjudiciis, vulgi rumoribus aut plausibus vel ludibriis non commovetur, non ad phantasiæ sed ad rationis normam omnia perpendit, omnia cribrat, omnia judicat, animi præcipitationes in judiciis ferendis compescit, ac juxta rationis præscripta rei unicuique proprium valorem tribuit. Quocirca, experto prudenti, nisi omnino plumbei esse velimus, cedere oportet; contra, nimis credulis, præjudiciis detentis, phantasticis, stupidis, imprudentibus denique, qui sæpe dormitant, sæpissime cæcutiunt, phantasmata imaginationis sectantur, nonnisi stulti credunt.

VIII. Testis humani veracitas in concreto potissimum innotescit : 1° ex ejus vitæ probitate ; 2° ex amore veritatis cui unice studet. Puto omnes alias conditiones, quæ communiter recensentur, ad istas reduci.

Vitæ probitas. Si enim homo natura sua veritatem sequitur, multo magis id concedendum est homini probo, qui ad virtutis normam vitam suam componit : veracitas enim illi pene connata est, et ejus auctoritati detrectare piaculum foret. Contra, improbus homo passionibusque deditus haud facile fidem meretur : qui enim credat, e. g., Voltaire, homini impiissimo atque Ecclesiæ catholicæ infensissimo, cum histo-

riam ecclesiasticam pertractat? vel scriptoribus incredulis nostræ ætatis, quorum vita vitium est?

Amor veritatis. Unice enim veritati studere debet historicus; quod quidem studium apparet: 1° si in ejus dictis aperta sint omnia, nec arcana quædam affectet ad impostu-ras tegendas; 2° si non odio aut amore partium, aut præjudiciis aliisque passionibus vel superstitionibus sit detentus. His vitiis non carent, e. g., Plutarchus cum vitas describit Græcorum atque Romanorum, in primos satis propensus, et Tacitus cum odio percitus in religionem Christianam, monstra quædam et effingit et venditat; 3° si non potentium adulatio, non vilitas animi, non utilitas personalis, sed animi rationalis libertas, magnanimitas, constantia tum in prospera tum in adversa fortuna, sui quædam, ut ita dicam, negligentia, ut veritatis fulgor unice appareat, scriptorem moveant: quibus dotibus eminenter insigniti sunt Scriptores sacri; 4° si non occulte quid dicat, sed, nisi prudentia vetet, palam amicis et inimicis enarret. — Hæc omnia et alia hujusmodi bene multa non stupidi profecto, quibus natura jus denegavit judicandi de historia, sed prudentes homines de facili discernunt (1).

ARTICULUS QUARTUS

(61)

De arte critica.

I. Artis criticæ notio. Artis criticæ nomine intelligitur *ars judicandi de aliorum scriptis.* Rerum enim præteritarum narrationes historiam constituunt, quæ est vitæ magistra; at historia nulla est, si valorem auctoritatis et sensum scriptorum non recte intelligamus. Hinc, post stabilitum criterium

(1) Hic Auctores Logicæ quæstionem movent. — *An historia sit scientia* PROPRIE DICTA. — Nostro judicio, salva meliori sententia, quæstio ista *negative* solvi debet, attamen sententiæ non sunt concordes. Majora quærentes conferre possunt circa naturam historiæ.

A. FRANCHI. *Ultima Critica,* vol. 2, p. 469.

PESCH. *Inst. Log.,* II, 1, 1123, etc.

DE SMEDT. *Principes de la critique historique,* Leodii, 1883.

DE GROOT. *De humana historia generatim. Summa Apologetica.* Q. XXIV, a. 1.

LACORDAIRE. *Discours sur la loi de l'histoire,* etc.

LEO XIII. *Epist. de Studiis historicis,* 18 aug. 1883.

auctoritatis humanæ, de arte critica summatim aliqua perstringimus, tria expendendo, nempe, de *auctoribus*, de *authentia* et *incorruptione* librorum, de *hermeneutica* seu interpretatione scriptorum.

II. De auctoribus. Auctores considerari possunt : 1° in se; 2° in ordine ad facta quæ narrant; 3° in modo narrandi.

In se. Diximus enim in præcedenti articulo historicum fidem sibi mereri, quando gravissimum tum scientia tum vitæ probitate se prodat. Igitur cum plures scriptores de una eademque re narrantes occurrant, illi procul dubio præferendi sunt, qui majoris gravitatis exhibent argumenta. Hinc Josepho Flavio, e. g., de Christi Domini nostri vita disserenti, licet scriptori gravi, jure gravissimos Evangelistas præferimus, etiam abstractione facta ab eorum divina inspiratione, et re considerata ad solas critices regulas.

In ordine ad facta narrata. Nempe historici *coævi* factis quæ narrant, dummodo conditiones recensitas et historico necessarias habeant, præferendi sunt illis, qui factis ipsis posteriores sunt, quique nonnisi vulgi traditione ea acceperunt. Et inter historicos coævos illi magis audiendi sunt qui fuerunt testes *oculati*, quam qui fuerunt testes *auriti* (60, I). Patet. Agitur enim de *facto* quod non a priori colligitur sed *experimento*. Igitur qui magis illud experti sunt, magis de ipso valent testari; magis autem experitur scriptor *coævus* quam posterior, et magis *oculatus* testis, quam *auritus*. Hinc S. Evangelista Joannes in exordio suæ primæ Epistolæ scribit : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ...; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis. »

In modo narrandi. Poeticæ enim narrationi maxima conceditur licentia, oratoriæ minor, historicæ nulla. Unde simplex historicus simpliciter enarrans præferendus est poëtis atque oratoribus. Egregie Melchior Canus regulam istam exemplis illustrat, Lib. XI. *Loc. theologic.*, Cap. VI : « In Herodoti lucubratione rebus fictis et adumbratis quidem loci plurimum fuit. Verum inscriptione ipsa ille præmonuit, non esse in eo libro historiæ rationem ad vivum resecandam. Musas videlicet inscripsit, quibus fabulæ interdum concessæ sunt, ut audientium animos jucundius et suavius allectent, quod severitate narrationis non perinde assequerentur. Xenophon, qui, ut Fabius ait, magis inter philosophos, quam inter his-

toricos reddendus est, optimi et absolutissimi Principis formam in Cyro perfectam conatur effingere. Itaque non est ab eo expectandum, qualisnam Cyrus revera fuerit. Rex licet excellens et eximius, sed qualis futurus sit in Republica Imperator, si ad normam exemplaris exactissimi componatur. » (Ed. Ven. 1759, pag. 264, col. 2.)

III. De authentia et incorruptione librorum. *Authenticus* seu *genuinus* ille liber dicitur, qui scriptoris cui tribuitur revera est; si secus, dicitur *suppositititius* vel *spurius*. Liber vero si talis sit qualis ab auctore est scriptus, dicitur *incorruptus*, secus *corruptus* dicitur, *maculatus*, vel *interpolatus*. Ad authentiam dignoscendam plura observari debent, præsertim vero : 1° auctoritas; 2° tempus; 3° doctrina; 4° stylus.

Auctoritas. Etenim, sicut et auctoris, ita et scriptorum ejusdem notitiam nonnisi ab auctoritate accipimus. Quocirca si gravissimi historici librum aliquem alicui auctori constanter tribuunt, ut authenticum non retinere sine temeritate non possumus, sicut de aliis factis historicis dictum est. Ad rem S. Augustinus, *Contra Faustum*, Lib. XXXIII, Cap. VI: « Platonis, Aristotelis, Ciceronis Varronis, aliorumque ejusmodi Auctorum libros unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia his temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit atque edidit, et inde in alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitemus quid respondere debeamus? »

Tempus. Etenim statuta auctoris cujusque ætate, si in libris facta narrentur, quæ post mortem auctoris evenerunt, procul dubio liber est *suppositititius*, vel saltem ut interpolatus est retinendus. Loquor de libris humanitus conscriptis : nam libri inspirati scribuntur nutu Dei, cui omnia tempora præsentia sunt in sua æternitate. Ita hac de causa jure abjudicantur Divo Thomæ posteriores libri *De regimine principum*, ut videre est apud Echardum et Bernardum de Rubeis.

Doctrina. Auctor supponitur in doctrinis sibi ipsi consentiens. Quocirca nisi constet, vel ipsius auctoris declarationibus eum sententiam mutasse vel ipsum de facili contradic-

tionibus implicari, inter suppositities recensendi sunt libri, qui ab aliis libris genuinis ejusdem auctoris aperte discordant, vel a doctrina ejus practica, nempe vita morigerata et virtuosa abhorrent.

Stylus. Homo, scribendo, seipsum manifestat : quo sensu dictum est a Buffon, *stylus est homo.* Hinc est quod, si liber diversum omnino stylum præ se ferat a stylo librorum, qui ut genuini alicui Auctori vere tribuuntur, dubium gravissimum ingerit de sua genuitate, si non absolute sit pronuntiandus ut suppositities. Nisi forte (et hoc notandum est) materia diversa diversitatem exigat styli. Hinc non eadem est Bossuetio ratio scribendi in suis sermonibus et in polemicis libris contra Protestantes, et magnum procul dubio intercedit discrimen quoad stylum inter *Summam* S. Thomæ et *Officium* Sacramenti altaris ab eodem Sancto conscriptum. Addo tamen quod etiam in diversa materia viri emunctæ naris eumdem vel diversum persentiunt auctorem.

Relate vero ad librorum incorruptionem, quatuor præsertim sunt attendenda : 1° codices originales; 2° codicum vetustiorum concordantia; 3° gravissimorum scriptorum auctoritas; 4° doctrina ipsa.

Codices originales, seu autographi, si habeantur et *auctoritate* certa sint auctoris, quæstionem per se definiunt circa incorruptionem vel mutilationem vel interpolationem aliorum codicum. Attamen est attendendum utrum aliena manu abrasiones, vel correctiones, vel depravationes sint adjectæ.

Codicum vetustiorum concordantia. Nam si desint codices autographi, ad vetustiores codices *apographos* est recurrendum, qui, ceteris paribus, recentioribus codicibus sunt præferendi. Sana enim ratio dictat vetustiores codices, utpote proximiores ætati auctoris, mutilationis vel interpolationis, per se loquendo, esse magis expertes.

Gravissimorum scriptorum auctoritas. Videlicet, accidit non raro ut verba vel doctrina unius auctoris a synchronis vel supparibus scriptoribus citetur : qui, si sint gravissimi, argumentum sunt circa genuinum sensum auctoris et criterium ad dijudicandum utrum codex sit nec ne incorruptus.

Doctrina Auctoris vitaque ejus, sicut supra dictum est in tertio canone circa librorum authentiam.

IV. De hermeneutica. Ἑρμενεία, græce, idem est ac ars interpretandi sensum scriptorum, præsertim cum ex una in aliam linguam transferuntur. Circa versiones duo potissimum requiruntur : 1ᵐ peritia linguæ ex qua et in quam

liber vertitur : secus sensus auctoris nec recte colligitur si ejus lingua haud perfecte cognoscatur, nec redditur aliena lingua in quam transfertur; 2m peritia doctrinæ : non enim verbum verbo reddendum est, sed sententia auctoris est exprimenda, quam ignoret vel pervertat necesse est, qui in doctrinis auctoris aut jejunus aut non valde sit peritus. — Quoad vero rectam sententiarum interpretationem : 1° emendatiores codices procurari debent, ut nullum sit dubium de genuina auctoris mente; 2° modus scribendi attendatur, utrum scilicet locutione propria vel metaphorica (12, V) suas sententias expresserit; 3° tempus attendatur quo auctor scripsit, scopus quem sibi præfixit, vita, mores doctrina, aliaque hujusmodi; 4° non unum aut alterum verbum vel una aut altera propositio, sed integra auctoris doctrina expendatur ad normam principiorum quibus ipse dirigitur; 5° sensus auctoris non ex incidenti propositione, sed ex locis in quibus materiam, de qua agitur, ex professo versat, determinetur; 6° propositiones, si quæ sunt obscuræ, per clariores explicentur, et in hoc sagacitas, prudentia, justitia et charitas sint norma nostrorum judiciorum in aliorum doctrina interpretanda.

Et hæc de arte critica delibasse sufficiat. Cetera persequi ad alias disciplinas pertinet.

LIBER TERTIUS.

DE CRITERIORUM ET SCIENTIARUM COORDINATIONE

Prologus. Tertio loco edisserendum nobis est *(Prolog. ad Critic.)* de criteriorum coordinatione, seu de supremo veritatis criterio. Et quia veritates et in seipsis considerari queunt, et quatenus diversarum scientiarum, quas constituunt, objecta sunt; Librum istum tertium et ultimum Logices in duo capita dividimus : in quorum primo sermo erit *de subordinatione criteriorum*, in altero *de coordinatione scientiarum.*

CAPUT PRIMUM

DE SUPREMO VERITATIS CRITERIO

Prologus. Tria genera criteriorum expendimus in præcedenti libro, criteria nempe *subjectiva*, *objectiva* et *extrinseca :* juxta quam partitionem dividuntur philosophorum sententiæ circa supremum criterium veritatis : etenim hanc suprematiam quidam alicui principio subjectivo, quidam auctoritati quidam objectis seu veritatibus ipsis objectivis concedunt. De hujusmodi igitur opinionibus singillatim dicendum est : et 1° de opinionibus quæ *principia subjectiva* ut supremum criterium veritatis constituunt; 2° de sententiis eorum qui *auctoritatem* ut supremum criterium proclamant; 3° de doctrina qua criterii suprematia *objectis* tribuitur. Quibus omnibus præmittimus articulum, in quo quædam pernecessaria declarantur ad plenam solutionem hujus quæstionis, quæ in scientiis maximi momenti est, nostris et hisce temporibus summopere agitata.

ARTICULUS PRIMUS

(62)

Prænotamina quædam.

I. Sensus quæstionis. Supremum veritatis criterium dupliciter intelligi potest : primo quidem in sensu *relativo;*

secundo in sensu *absoluto*. — In sensu *relativo*, criterium dicitur supremum, non in ordine ad alia criteria, sed in determinato ordine cognitionum seu veritatum; ut puta in scientiis cosmologicis vel psychologicis. De hoc relativo criterio non est quæstio neque revera esse potest; namque criteria *objectiva* abstracta non possunt esse norma ad cognoscendam mundi corporei existentiam, sed sunt sensus et sensationes; et ex aliorum auctoritate existentiam accipio et credo Platonis vel Aristotelis, non ex conscientia neque aliis ex criteriis. Ad quod nonnulli philosophi nostræ ætatis non satis attendentes, criterium *relative* supremum, ut *absolute* tale sustinuerunt. Sed de his infra. — Criterium autem *absolute* supremum, ad omnes cognitiones extenditur, et est veluti forma, qua omne aliud peculiare criterium relucet. De hoc quæritur quodnam sit.

II. De existentia supremi criterii. At existitne hoc criterium absolute supremum veritatis? Respondeo hanc de supremi criterii existentia quæstionem dupliciter posse definiri, *generice* seu quoad suam existentiam, et *specifice* seu in quo consistat. In primo sensu existentia criterii universalis potest quasi *a priori* probari. Etenim ostensum est contra scepticos dari in nobis certitudines, si non omnium, saltem quarumdam rerum : quæ certitudines procul dubio generantur a *motivo* seu *criterio*, a quo mens movetur ad assentiendum cum certitudine veritati. Dictum est autem (40, IV) quod licet una certitudo potior sit alia quoad intensitatem adhæsionis, omnes tamen æqualiter in uno conveniunt, nempe in exclusione formidinis errandi. Signum est ergo quod in omnibus motivis, seu criteriis, *aliquid* est commune in quo criteria ipsa uniformiter conveniunt. — At in secundo sensu, in quo nempe criterium supremum consistat, seu quid sit illud quod commune est omnibus criteriis, absurdum est velle definire *a priori*, cum tota quæstio sit definienda *a posteriori* scilicet ab observatione et analysi cognitionum nostrarum, ut definiatur utrum in omnibus et singulis inveniatur elementum commune, quod sit veluti lux, qua omnes illuminentur. Agitur enim non de subordinatione veritatum in se ipsis, hoc est in ordine reali, sed de subordinatione veritatum in ordine ad nos, seu in ordine logico, qua ratione autem se habeant hujusmodi veritates in nobis est res facti, quæ nonnisi experimento et observatione deprehendi potest.

III. Conditio requisita ad supremum criterium. Exinde patet quanam essentiali conditione debeat gaudere supre-

mum veritatis criterium. Videlicet, ita debet esse *primum*, ut aliud non subaudiat a quo pendeat; ita *necessarium* ut, ipso corruente, cetera corruant; et consequenter, ita transcendens, ut in omnibus aliis criteriis inveniatur, ita supposítum, ut, ipso dato, mens normam habeat; ipso remoto, mens nullam aliam normam habere possit : eo ferme modo quo de primis principiis in nostris judiciis dictum est (Artic. 55).

ARTICULUS SECUNDUS

(63)

Systemata subjectiva quoad supremum criterium veritatis.

I. Generalis partitio systematum subjectivorum quoad supremum veritatis criterium. *Subjectivismus* reponit supremum criterium veritatis in subjecto cognoscente. Quid vero subjectiva principia *immediata* cognitionum in nobis sunt, *sensus*, *conscientia*, vel generatim, facultas intellectiva, principium vero *mediatum* est *natura*, cujus sunt principia illa immediata; supremum veritatis criterium, *subjective* inspectum, non potest esse, nisi aut *sensus*, aut *facultas intellectiva*, sive uno sive altero modo considerata, aut denique ipsa *natura* animæ nostræ. Et revera historia philosophiæ, ut ex dicendis in hoc articulo erit manifestum, hanc divisionem facto ipso demonstrat. Exordium sumamus a sensismo.

II. Sensimus antiquorum et positivismus recentiorum. Viguit apud græcos philosophos schola *sensistica*, cui principium erat, hominis animam esse pure sensitivam, quam nonnulli a materiæ viribus distinguendam esse negabant. Hæc sententia tribuitur Leucippo, Democrito, Heraclito, Epicuro, aliisque. Ex hoc principio inferebant, quod, cum sensus non sint nisi sensibilium et contingentium, de sensibilibus et contingentibus est tota nostra cognitio. Atqui, addebant, sensibilia non cognoscuntur a nobis nisi quatenus sensus nostros afficiunt et modificant. Igitur, concludebant, mensura seu criterium nostrarum cognitionum non possunt esse nisi sensus, seu *varii modi*, quibus sensus per sensationem afficiuntur. — Non pauci ex recentioribus philosophis dogmata antiquorum sensistarum renovarunt, eaque novo apparatu restaurare nostris hisce diebus aggreditur *positivismus*, du-

ce Augusto Comte (1798-1857), cujus vestigiis insistunt in Gallia Taine, Littré, etc. ; in Anglia Darwin, Tyndall, Stuart Mill; in Italia, post Melchiorem Gioja, Josephus Ferrari aliique, plus minusve materialismo addicti. Principia *positivismi* sunt : 1m ableganda est a philosophia omnis inquisitio tum causarum efficientium primarum tum causarum finalium, nec non Dei, ordinis spiritualis, non exclusa anima humana, universa denique metaphysica, quæ a *positivismo* consideratur velut rationis humanæ figmentum, vel superstitio; — 2m consequenter, omnis nostra scientia resultat ex *factis*, quæ homo et colligere et ordinare debet, seu scientia humana est collectio et ordinatio rerum sensibilium, et ratio humana est facultas collectiva rerum earumdem. — *Positivismus* ne latum quidem unguem recedit a sensismo vel materialismo antiquorum quoad substantiam. Contra hanc pestiferam doctrinam sit conclusio :

III Sensus non possunt esse supremum criterium cognitionis humanæ. Etenim sensismus, seu positivismus, ponens sensus esse suprema cognitionis nostræ criteria, falso nititur supposito, sibi ipsi et rationi aperte adversatur. Ergo systema istud admitti non potest.

Nititur falso supposito. Etenim, ut ipsi fatentur adversarii, supremum cognitionis humanæ criterium reponi in sensibus non potest, nisi præsupposito quod in nobis nulla facultas adsit, quæ sensitiva non sit, et quod totaliter nostra cognitio sit a sensibus : namque si *ratio humana* sit facultas sensibus excelsior, et ultra sensibilia sese cognitione attollens, impossibile omnino est, ut sensus sint ultimum criterium ad quod confugere debeat ratio ipsa in judicio ferendo tum de natura ipsius sensus, tum de veritate objectorum, quæ a nullo sensu referuntur. Atqui revera suppositio illa falsa absolute est, ut manifestum est ex conscientia, et late in Psychologia demonstrabimus, cum de natura rationis humanæ, de essentiali ejus discrimine a sensibus, nec non de origine idearum nostrarum sermo erit. Ergo sensismus, seu positivismus, designando sensus ut supremum veritatis criterium, falso supposito nititur. — Hæc ratio urgetur contra antiquos sensistas ab Aristotele in IV. *Metaphysic.* Cap. XII. et exponitur a S. Thoma, ibid. Lect. XII : « Antiqui *(quos inter fuerunt Empedocles, Democritus, Anaxagoras, etc.)* hoc opinabantur, quod *prudentia* sive *sapientia* vel *scientia*, non esset nisi *sensus;* non enim ponebant differentiam inter sensum et intellectum. Cognitio autem sensus fit per quam-

dam alterationem sensus ad sensibilia. Et ita, quod sensus aliquid sentiat, provenit ex impressione rei sensibilis in sensum : et hic semper cognitio sensus respondet naturæ rei sensibilis, ut videtur. Oportet igitur, secundum eos, quod illud quod videtur secundum sensum, sit de necessitate verum. Cum autem conjunxerimus quod omnis cognitio *(juxta præfatos Auctores)* est sensitiva, sequitur quod omne quod alicui apparet quocumque modo sit verum. Hæc autem ratio non solum deficit in hoc quod ponit sensum et intellectum idem... », etc. — Cf. P. I. Qu. LXXXIV. Art. I.

Sibi ipsi et rationi adversatur. Et revera, positivismus ex una parte affirmat universam philosophiam concludi intra limites observationis sensibilis; ex altera vero parte et metaphysicam subaudit et ipsa innititur et ad eam tendit. Etenim leges illæ universales et immutabiles, quas positivismus supponit et inquirit in phænomenis sensibilibus, præcise quia universales et immutabiles, ab ipsis phænomenibus singularibus et mutabilibus distinguuntur, et objecta sunt non sensuum sed intelligentiæ, neque ad sensibilitatem sed ad ordinem abstractum et metaphysicum exclusive pertinent. Unde nonnisi sibi ipsi et rationi aperte contradicendo, positivismus vel sensismus potest constituere sensus ut supremum criterium scientiæ humanæ. Hæc egregie probat contra Epicureos et Scepticos S. Augustinus in VIII. *de Civitate Dei.* Cap. VII. his verbis : « Quod autem attinet ad doctrinam, ubi altera pars versatur, quæ ab eis logica, id est, rationalis vocatur; absit ut his *(Platonicis)* comparandi videantur qui posuerunt judicium veritatis in sensibus corporis, eorumque infidis et fallacibus regulis omnia quæ discuntur metienda esse censuerunt, ut Epicurei et quicumque alii tales; ut etiam ipsi Stoici, qui cum vehementer amaverint solertiam disputandi, quam dialecticam nominant, a corporis sensibus eam ducendam putarunt; hinc asseverantes animum concipere *notiones*, quas appellant ἐννοίας earum rerum scilicet, quas definiendo explicant; hinc propagari atque connecti totam discendi docendique rationem. Ubi ego multum mirari soleo, cum pulchros dicant non esse nisi sapientes, quibus sensibus corporis istam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis formam sapientiæ decusque conspexerint. Hi vero *(Platonici)*, quos merito cæteris anteponimus, discreverunt ea quæ mente conspiciuntur ab iis quæ sensibus adtinguntur; nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt. Lumen autem men-

tium esse dixerunt ad discenda omnia, eumdem ipsum Deum a quo facta sunt omnia. »

IV. De conscientiæ testimonio. Seposita igitur sensistarum sententia quidam supremum veritatis criterium constituerunt in conscientiæ testimonio. Hæc opinio tribuitur Galluppio, at falso tamen, ut ego opinor. Etenim, in suo *Saggio sulla critica della conoscenza*, Lib. I. Cap. V. §. 137, docet quidem per conscientiam revelari existentiam subjecti cogitantis et simul nos certos fieri de evidentia tum immediata tum mediata : unde infert quod, *omnes nostræ cognitiones analytice resolvuntur in factum primitivum conscientiæ*, ita ut *hoc factum solummodo certos nos reddat cognitionis, seu implicet totum ordinem nostrarum cognitionum.* Verum, §. 139, hæc explicitius scribit : « Quid igitur respondendum est huic quæsito philosophorum : *quodnam est criterium* veritatis? Responderem ego hoc modo : Si per *criterium veritatis* intelligitur signum infallibile, quod in qualibet particulari circumstantia certos nos faciat de existentia ejusdem veritatis, hujusmodi criterium neque datur, neque dari potest. Si autem per criterium veritatis intelligitur expressio generalis evidentiæ immediatæ et evidentiæ mediatæ, hoc in casu criterium veritatum necessariarum consistit in principio condradictionis. » Hæc de Galluppii mente; respectu vero sententiæ in seipsa consideratæ, dico :

V. Conscientiæ nequit assumi ut supremum veritatis criterium Probatur. Conscientiæ nomine, rigorose acceptæ, intelligitur facultas, qua animus noster existentiam propriarum affectionum et suimetipsius intime cognoscit, ut alibi explicavimus (52, III); consequenter ejus officium, et subjectivum per se est et intra limites concreti ac singularitatis illarum affectionum coarctatur *(ibid.)*. Atqui supremum veritatis criterium totum complecti debet ordinem nostrarum cognitionum, quæ non solum subjectum cogitans, sed etiam objecta ab eo diversa, eaque universalia et abstracta attingunt, ut conscientia ipsa testatur. Igitur conscientia nobis utique refert ordinem cognitionum nostrarum, ut quoddam factum in nobis existens : sed nullo pacto esse potest supremum criterium earumdem cognitionum, secundum earum naturam sive geneticam, sive intrinsecam, sive objectivam, sive comprehensivam, sive extensivam, nisi ipsius conscientiæ notio et officium pervertantur : quo in casu non de *conscientia* proprie dicta quæstio esset, sed de alia facultate, vel etiam de aliis facultatibus animi nostri. — Breviter, *conscientia* ha-

beri debet ut supremum criterium *relativum*, respectu nempe *factorum* quæ afficiunt subjectum cognoscens et *conscientia* præditum; sed quia facta illa, ad quæ renuntianda *conscientia* limitatur, non complectuntur totum ordinem objectivum nostrarum cognitionum, *conscientia* non potest assumi ut supremum criterium *absolutum*.

VI. Facultates cognoscivæ Novissime vero Theodorus Jouffroy supremum veritatis criterium reposuit in fide cæca præstita naturali veracitati facultatum cognoscitivarum animi nostri : *Principium*, inquit in suo *Cours de droit naturel*, Tom. I. Lect. IX. *totius certitudinis et fidei est ante omnia actus fidei cæcæ in veracitatem naturalem nostrarum facultatum :* quam doctrinam tradit etiam in suis *Mélanges philosophiques*, *Histoire de la philosophie*, §. III. *de scepticismo*, ubi addit fidem illam esse *cæcam*, sed tamen *irresistibilem*. Contra quam sententiam sit conclusio :

VII. Fides cæca in veracitatem naturalem facultatum cognoscitivarum non potest esse principium totius nostræ certitudinis, seu supremum veritatis criterium. Probatur. Absurdum omnino est constituere ut supremum criterium certitudinis, seu certæ cognitionis, id quod per se et essentialiter importat carentiam cognitionis. Atqui hujusmodi est fides cæca quam adstruit Theodorus Jouffroy. Ergo fides cæca in veracitatem naturalem facultatum cognoscitivarum non potest esse principium totius nostræ certitudinis, seu supremum veritatis criterium. — *Major* probatione non indiget; probatur *minor*.

Fides cæca per se et essentialiter importat *carentiam cognitionis*, et multo magis *certitudinis* quæ est cognitio perfecta. Et revera. Fides essentialiter sumpta est assensus mentis rei in se non visæ, cognitæ tamen in principio sibi extrinseco, nempe, in auctoritate, quæ est criterium regens ipsum fidei assensum (58, II) : quo sublato, nulla, ut patet, est ratio cur mens assentiatur potius uni quam alteri parti *contradictionis;* imo assensus seu cognitio est impossibilis, quia nulla cognitio dari potest sine re cognita : et in nostra hypothesi res non cognoscitur neque in se neque in criterio revelante. Sed fidei actus, quem adstruit Jouffroy, destituitur non solum criterio intrinseco, sed etiam criterio extrinseco : non enim est solummodo fides, sed fides *cæca*, hoc est non suffulta neque evidentia intrinseca neque evidentia extrinseca veracitatis nostrarum facultatum, ut ipsemet auctor vi sui systematis cogitur fateri, et fatetur reapse. Igitur actus ille

fidei cæcæ est omnino impossibilis, et consequenter fides *cæca* per se et essentialiter importat carentiam cognitionis. — Unde nil mirum si Jouffroy hisce ductus principiis dixerit scepticismum esse ultimum scientiæ humanæ pronuntiatum (48, II).

VIII. Instinctus naturæ rationalis. Theodorus Jouffroy suam sententiam de fide cæca mutuavit a Thoma Reid et Emmanuele Kantio, qui ponunt cæco instinctu naturæ nostræ rationalis a nobis admitti ut certissima principia illa universalia et immediata, unde judicia particularia per syllogismum deducimus (inter quæ Kant reponit sua judicia synthetica-a-priori), vel judicia contingentia rerum existentium, unde inductive assurgimus ad universalia judicia empirica efformanda. Quocirca supremum veritatis criterium judiciorum tum *deductivorum* tum *inductivorum*, sunt quidem prima principia per se nota; sed certitudo ipsorum principiorum in *cæco* instinctu naturæ rationalis fundatur, qui hac de ratione supremi criterii dignitatem præ se fert. « Anima nostra, inquit Reid, prædita est facultate quadam *inspirationis* et *suggestionis*, si ita loqui fas est, quæ mentes penetrativas omnium pene philosophorum latuit, et cui tamen debemus innumeras notiones simplices, quæ non sunt neque *impressiones* neque *ideæ*, et multa principia primitiva fidei. » Huic inspirationi naturali debentur judicia *primitiva*, sive *empirica* sive *rationalia*, quorum complexus constituit *sensum communem* seu *communem judicium*. — Cf. Sanseverino, *I principali sistemi della Filosofia sul Criterio*, Cap. III. § II. — Sed supra, cum de sensu communi fuit sermo, innuimus sensum naturæ communem posse considerari et prout est cuique homini proprius, quo sensu est criterium subjectivo-intrinsecum, et prout in omnibus hominibus uniformiter manifestatur, quo sensu est criterium *extrinsecum* (59, I et V), et dici a quibusdam solet *ratio impersonalis*. In præsenti, sensus naturæ communis sumitur individualiter, et consequenter ut est criterium intrinsecum et subjectivum : nam de ipso sensu communi prout constituit *rationem*, ut dicunt, *impersonalem*, dicemus cum de systemate Lamennesiano erit sermo.

IX. Instinctus cæcus nequit assumi ut supremum criterium certitudinis primorum principiorum. Antequam veniam ad probationem hujus conclusionis, secernere oportet quid veri sententia reidiana contineat, ut expeditius quid falsi in ipsa sit demonstretur. — Et imprimis facultatibus

animi nostri inesse inclinationem quamdam primitivam, naturalem, præpotentem ad propria objecta, negabit nemo qui vel leviter facta interna proprii animi per conscientiam consideravit, quæ inclinatio ad propria objecta, ut S. Thomas profunde notavit, I-II. Qu. LI. Artic. I. est quodammodo scientia *inchoative*, non solum quia ipsa mediante trahimur ad sciendum, sed etiam quia vi naturæ, cujus est ipsa inclinatio, certo adhæremus veritati primorum principiorum : *ex ipsa enim natura animæ intellectualis*, prosequitur ibidem Angelicus, *convenit homini, quod statim cognito quid est totum, et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte : et simile est in ceteris.* Et hoc sensu dicitur quod « inest unicuique homini quoddam principium scientiæ, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim a principio naturaliter quædam universalia principia omnium scientiarum », ut notat ipsemet Angelicus, P. I. Qu. CXVII. Artic. I, et alibi passim, præsertim in quæstione *De Magistro*, inter Quæstiones disputatas *De veritate*. — Hac inclinatione animæ nostræ sublata, nec non connaturalitate et spontaneitate intellectus ad intelligendum prima et immediata scientiarum principia, scientia ipsa et quælibet certitudo in nobis evanescunt. Hoc igitur sensu admittimus instinctum in nobis ut principium radicale et subjectivum certitudinis : idem dicatur de fide, non tamen cæca, in veracitatem naturalem nostrarum facultatum. Imo addimus errores et arbitria, quibus vel ignorantia vel malitia hominum subvertere machinantur fundamenta tum scientiæ tum religionis, inexpugnabile obstaculum habere in natura rationali ad veritatem et ad Deum essentialiter inclinata. His igitur concessis, probatur conclusio.

Instinctus reidianus pervertit naturam cognitionis, non explicat ipsa judicia sensus communis, et labitur in scepticismum, quem vult devitare.

Pervertit naturam cognitionis. Etenim cognitio humana absolute significat quamdam mentis nostræ visionem (1. I et II). Igitur et in judiciis efformandis, quæ Reid dicit esse sensus communis, aut mens nostra videt conformitatem suam cum objectis de quibus judicat, aut non videt. Si primum, non a cæca spontaneitate naturæ, ut vult Reid, sed ab objecto mens determinatur ad judicium ferendum; si alterum, ergo judicia sensus communis reidiani nonnisi pervertendo naturam cognitionis dici possunt cognitiones.

Non explicat ipsa judicia sensus communis. Adde quod

judicium, cum sit actio facultatis intellectivæ, est quodammodo medium inter facultatem ipsam, a qua procedit, et objectum, ad quod terminatur et de quo est judicium. Sed undenam est quod de uno eodemque objecto habeantur inter homines diversa judicia, non exclusis judiciis quibusdam sensus communis? Procul dubio cum natura eadem sit in omnibus, et, *ut natura*, uniformiter in omnibus agat, eadem necessario haberentur in nostra hypothesi judicia dictata ab inspiratione ejusdem naturæ. Numquid forte respondebit Reid in quibusdam naturam esse vitiatam? Verum id alio criterio, quod non sit sensus communis, expendi deberet; et sic etiam ex hoc capite rueret opinio Reid. Igitur illa judiciorum inter homines diversitas nonnisi ad objecto repeti debet, quatemus nempe objectum magis minusve perspectum in seipso, diversas sui in diversis mentibus cognitiones ingenerat : nihil enim est tertium inter objectum cognitum et facultatem cognoscentem, ad explicandam rationem assensus.

Labitur in scepticismum. Denique *spontaneitas*, quam ponit Reid, aut a mente nostra dignoscitur tum ut est *factum* tum ut est *criterium*, aut nos prorsus latet, ita ut sit in nobis sicut gravitas in lapide. Si primum, patet quod aliis criteriis distinctis a spontaneitate, hujus tum existentia tum necessaria et infallibilis connexio cum veritate statuitur; si vero nos prorsus latet, omnis nostra certitudo nonnisi in principio seu criterio fundatur, quod utrum detur et naturam criterii præ se ferat nescimus. Quod est dogma scepticismi absoluti. Quocirca Reid, qui ut sese expediret a scepticismo Berkeley et Humii (50, XII), ad sensum communem confugit, in eumdem scepticismum labitur.

Huc faciunt quæ contra Jouffroy supra attulimus, et contra judicia *synthetica-a-priori* Kantii diximus (19, V et VI) : hujusmodi enim judicia ex Reidii doctrina Kant intulit.

X. Sentimentalismus. Hucusque diximus de systematibus, quibus supremum criterium nostrorum judiciorum in alio principio *cognoscitivo* animi nostri reponitur, sive illud principium sit sensus, sive, conscientia, sive intellectus, sive denique naturæ rationalis instinctus. Sed nos non solum cognoscimus sed appetimus etiam; qui actus animi nostri dicitur appetitio, seu affectio, quia affectione afficimur ab objecto et in ipsum dilectione ferimur. In hac igitur affectiva propensione animi nostri, Jacobi (1743-1819), qui propterea habetur ut parens scholæ *sentimentalis*, reposuit principium et normam omnium nostrorum judiciorum. Forte Jacobi hanc

suam opinionem a schola cartesiana derivavit, cui persuasum erat, judicium non esse opus rationis, sed voluntatis, cujus actus est affectio.

XI. Affectiva animi nostri propensio nequit admitti ut supremum veritatis criterium. Probatur. Nam illa affectiva propensio animi nostri aut consideratur prout est in individuo, aut prout est in seipsa. Atqui neutro sensu dici potest supremum criterium veritatis. Igitur sentimentalismus nequit admitti. — *Major* certa est : affectio enim illa non aliter considerari potest, nisi vel prout est individui, vel prout est naturæ. — *Minor* probatur quoad utramque partem.

Non prout est in individuo. Etenim cum veritas apud omnes eadem sit et esse debeat, criterium veritatis nostræque certitudinis debet esse quid firmum, stabile, necessarium, independens denique a peculiari et contingente dispositione subjecti cognoscentis, ut quisque per se videt. Atqui, ut experientia quotidiana docet, affectiva animi propensio, considerata prout est in singulis individuis, non est quid firmum et stabile, et maxime dependet a peculiari et contingente dispositione subjecti cognoscentis. Non igitur animi affectio, ut est in individuo, assumi potest ut suprema norma judicandi.

Non prout est in seipsa. Namque, ut fert commune adagium, conscientiæ testimonio roboratum, *ignoti nulla cupido;* et insuper ex ipsa conscientia scimus, quod animi affectiones excitatæ ita a ratione diriguntur, ut non raro ad agendum contra ipsas affectiones voluntatem flectamus. Repugnat autem naturæ supremi criterii, quod natura sua aliud principium cognoscitivum, movens et dirigens ipsum, subaudiat necessario (62, III). Igitur affectiva animi propensio nequit esse supremum nostrarum cognitionum criterium (1).

(1) Peropportunum videtur addere notulam quamdam de philosophia quæ dicitur « *nova* », nempe de *Pragmatismo.*

Pragmatismus (πραγμα — factum) vel *voluntarismus*, vel *philosophia immanentiæ, actionis*, etc., adnumerari debet inter defectiva systemata quæ certitudinis falsum proponunt criterium. — *Pragmatismus negative* est *reactio* contra intellectualismum philosophicum, quia denegat rationi puræ capacitatem cognoscendi quæ phænomenon trascendunt et voluntatis dominium supra intellectum extollit. *Positive* est nova phasis subjectivismi kantiani, aliquid etiam de positivismo comptiano participans, quatenus asserit veritates non ab extrinseco provenire, sed ex intima natura animæ, ab exigentiis humanæ psychologiæ, non vi rationis ra-

ARTICULUS TERTIUS

(64)

Systemata, quæ supremum veritatis criterium in principio extrinseco reponunt.

I Generalis partitio systematum, quæ docent supremum veritatis criterium esse criterium extrinsecum. Inter criteria extrinseca recensuimus (*Prolog.* ad. Cap. III. Lib. II.) auctoritatem divinam, sensum naturæ communem, et humanam auctoritatem. Quocirca systemata omnia in quibus defenditur supremum totius certitudinis nostræ criterium esse quærendum in aliquo principio extrinseco, aut unum aut aliud ex tribus recensitis in medium proferunt, ut magis ex dicendis erit manifestum.

II. Revelationistæ. Daniel Huetius (1630-1721), vir eruditissimus, episcopus Atrebatensis in Gallia, scripsit librum, post ejus mortem publici juris factum, cui titulus est, *De imbecillitate rationis humanæ*, in quo docet divinam reve-

---

tiocinantis, sed ope conscientiæ ad veritatem natæ et impulsæ. Hæc theoria in ipsa anima perscrutatur inclinationes, impulsus ad verum assentiendum et *producendum*, qui impulsus naturales sunt *conditiones certitudinis*. Cor hominis habet argumenta et postulata quæ ratio ignorat, unde ultimum certitudinis criterium est vox intima naturæ, idest *vita, opus, bonum* a veritate productum, *satisfactio spiritus*, etc.

Animadvertimus hoc systema *psychologice* et *apologetice* expendere non esse hic locum. Tamen dicimus quod in hac theoria sunt multa vera et pulchra quibus hodierni fascinantur; cum revera optima methodus assequendi veritates, morales præsertim et religiosas, sit ipsas investigare *tota anima*, videlicet *omnibus* animæ *viribus* et *facultatibus*, non tantum speculatione pura et arida: licet, in hoc systemate sit excessus quatenus in cognitione veritatis nimis vires intellectivas debilitat et parvifacit, dum nimis vires voluntatis extollit. *Criteriologice*, est systema quod favet *sentimentalismo* et omnia inconvenientia secum affert aliorum systematum subjectivorum, ac proinde rejiciendum sicut et ipsa. Pro fusiori tractatione.

Cf. Ballerini. *Il principio di causalità e l'esistenza di Dio* 1908. Parte I, Cap. 11.

Revue Néo-scolastique, Maggio, 1907, p. 220-243.

De Groot. *Neo-Apologetica. Summa.* Q. I, a. 3.

Revue des sciences philosophiques et théologiques, 1907, p. 105, 432, etc.

De Tonquedec. *La notion de vérité dans la philosophie nouvelle*, Paris, 1908.

lationem, cujus custos et interpres fidelissima est Catholica Ecclesia, ita pernecessariam homini esse, ut, ipsa sublata, ratio humana impotens per se sit ad consequendam cum omnimoda certitudine veritatem. Hinc logice sequebatur, normam seu criterium supremum nostrarum cognitionum in divina revelatione esse reponendum. Hæc Huetii opinio vix aliquos et obscuri nominis sectatores tunc temporis habuit; at nostris hisce temporibus eam ardentiori studio excitarunt De Bonald, De Lamennais, Bautain, Bonnetty, Ventura aliique traditionalistæ, ac plus minusve eidem subscripsere. De horum sententiis sermo explicitior erit in processu hujus articuli; nunc ad doctrinam Huetii generice acceptam, contra quam sit conclusio :

III. Divina revelatio non potest esse supremum criterium veritatis seu certitudinis naturalis. Nota hic divinam revelationem a nobis sumi eo exclusivo sensu, quem alibi declaravimus (58, I et II). Probatur conclusio. Veritates quæ accipiuntur per quodcumque magisterium sive divinum sive humanum, aut certo tenentur quia in seipsis videntur, aut certo creduntur vi solummodo auctoritatis magisterii (58, II). Atqui in neutro casu magisterium divinum revelans potest esse supremum veritatis criterium. Igitur absolute negandum est supremum veritatis criterium in divina revelatione esse positum. — Probatur *minor*. Etenim si veritates, quæ ab alieno magisterio proponuntur, videntur in seipsis, ratio seu criterium assensus est ipsa veritas sive immediate, sive mediate, in principiis nempe intrinsecis, percepta (*ibid.* et 60, IV), et magisterium est solummodo medium proponens, non criterium *(ibid.)*; si vero veritates non videntur in seipsis, haud certo creduntur, nisi de conditionibus quibus auctoritas magisterii prædita esse debet, scilicet de scientia et veracitate nobis constet (58, III) : quæ conditiones aliunde quam a magisterii auctoritate perspectæ nobis esse debent, ne absurde in infinitum abire cogamur et circulo vitioso implicemur, probando vim auctoritatis magisterii per scientiam et veracitatem, et veracitatem et scientiam per auctoritatem magisterii. Quocirca fides concessa magisterii auctoritati, aliud criterium subaudit et quidem intrinsecum, quo per certitudinem nobis constet, non solum de nostra existentia, sed etiam de conditionibus auctoritatis magisterii. Sive igitur divina revelatio in primo casu accipiatur, sive in secundo, non potest constitui ut supremum criterium veritatis seu nostræ naturalis certitudinis.

IV. De certitudine doctrinæ Christianæ. Conclusio nostra est de certitudine generice accepta, non autem de hac vel illa certitudine quæ peculiares veritates respicit : equidem scio theologiam catholicam in auctoritate divina revelante totam fundari, cui videlicet per fidem assentimur « non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest », ut loquitur Concilium Vaticanum in sua *Constitutione dogmatica* de fide Catholica, Cap. III. *De fide.* Attamen (et hoc est notatu pernecessarium) *assensus fidei* supernaturalis *nequaquam est motus animi cæcus*, ut ipsum Concilium ibidem addit, *cum recta ratio fidei fundamenta demonstret*, ut in Capite IV. ejusdem Constitutionis legitur, inter quæ fundamenta procul dubio adsunt veracitas et scientia Dei. Unde Christianus dogmata fidei credit quia Deus revelavit, credit etiam Deum *de facto* illa dogmata revelasse; at non solum credit sed etiam scit ratione demonstrativa Deum neque falli neque fallere posse, ac consequenter, credito facto revelationis divinæ, infert fidei divinæ impossibile esse subesse falsum : quæ est conclusio theologica ex *majori*, ratione etiam certa, de Dei infallibilitate, et ex *minori* de fide, scilicet ex *facto* divinæ revelationis. — Ex quo sequitur quod licet fides divina præstantior sit ratione (58, VI); tamen fides subaudit rationem et ratione posterior est, seu, ut verbis utar S. Indicis Congregationis in tertia propositione ex quatuor quas occasione traditionalistarum et contra traditionalistas posuit (1855), *Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit.*

V. Systema Lamennesianum. Doctrinam Danielis Huetii novo apparatu in medium protulit, paucis abhinc annis, Felicitas de Lamennais in suo libro, *Essai sur l'indifférence en matière de Religion*, et in *Defensione* ejusdem libri. Hoc tamen discrimen intercedit inter Huetium et de Lamennais, quod primus revelationem divinam supernaturalem, ut normam supremam certitudinis absolute pronuntiat; alter vero, cum revelationis divinæ sive cujusvis veritatis depositarium, ut ita dicam, et organum constituerit humanum genus, hujus *concordem* auctoritatem dixit esse habendam veluti expressionem divinæ auctoritatis, eaque solummodo cum omnimoda certitudine inniti posse omnem nostram cognitionem. Hanc *concordem* auctoritatem humani generis, modo sensum naturæ communem, modo rationem publicam vel socialem, modo universalem consensum vocat de Lamennais, in quo

claritas idearum maxime desideratur. Rationes vero, quas adducit ad probandum suum systema, sunt illæmet quibus veracitatem tum sensuum, tum conscientiæ, tum intellectus et rationis denegare contendit, et quas alibi expendimus (53, VII). Qua de causa ab illis adducendis supersedemus, et de systemate in seipso solummodo erit sermo. Unde sit conclusio :

VI. Repugnat absolute auctoritatem seu consensum humani generis esse supremum criterium veritatis. Probatur. Repugnat absolute constituere ut supremum criterium illud quod aliud necessario subaudit criterium in quo fundatur et a quo probatur, quod non est universale, quod utrum et quando existat probari debet, quod fallax esse potest. Atqui hujusmodi est auctoritas vel consensus humani generis. Ergo repugnat absolute auctoritatem seu consensum humani generis esse supremum criterium veritatis. — *Major* certa est ex dictis (62, III) de natura supremi criterii. Probatur *minor* per singulas partes.

Subaudit aliud criterium, in quo fundatur et a quo probatur. Nam auctoritas humana est criterium extrinsecum, cujus efficacia ad ingenerandam nobis fidem ex sua scientia et veracitate pendet : quæ scientia et veracitas non auctoritate ipsa, sed aliunde nobis probantur, ut supra, n. III. declaratum est. Neque Lamennais ad sensum naturæ communem recurrat : nam ipse sensum communem accipit ut est criterium extrinsecum (59, I); consequenter hujus sensus communis veracitas certo nobis constare debet, non sensu communi, ne circulo vitioso implicemur, sed per se et intrinsece, ut ipsi acquiescamus.

Non est universale. Nam sensus naturæ communis intra quosdam limites concluditur, nec ad omnes veritates se porrigit (59, II); auctoritas vero humana pressius accepta, ut a sensu communi distinguitur, ad res facti præcipue destinatur, et in rebus scientificis non est, per se loquendo, nisi infirmissimum criterium veritatis (60, II).

Utrum et quando existat probari debet. Etenim si de mera auctoritate tum in re facti tum in re scientifica agatur, necesse omnino est ut, antequam ipsam uti criterium adducamus, certi simus de existentia conditionum, sine quibus auctoritas nulla est (58, III); quæ quidem conditiones num adsint in peculiaribus casibus (60, VII et VIII) expendere debemus, non auctoritate, ut dictum est, sed ratione ipsa et criterio intrinseco. — Si vero sermo sit de sensu naturæ com-

muni, cum judiciis veris sensus communis falsitates sæpe admisceantur (59, IV), non potest adduci ut criterium, nisi prius extricetur ab elementis sibi extraneis : quod quidem, ut patet, non ipso sensu communi, sed reflexione solummodo fieri potest. — Adde quod sensum naturæ communem esse criterium veritatis demonstrari necesse est, et reapse demonstravimus (59, III) aliis argumentis, non petitis a sensu communi, ne idem per idem circulo vitioso probaretur.

Potest esse fallax. Et quidem hoc de humana auctoritate in promptu est probare. Dato enim etiam quod humana auctoritas de facto non fallatur, negari tamen nequit ipsam esse fallibilem, et non posse nisi moralem gignere certitudinem (58, III) : quæ duo de supremo veritatis criterio, a quo certitudo nostra metaphysica (40, III) pendet, dici sine absurdo non possunt. Relate vero ad sensum naturæ communem pronum est animadvertere, quod licet *per se* errori non sit obnoxius, potest tamen *per accidens*, hoc est pravitate cordis, consuetudine inveterata, non quidem circa prima principia seu speculativa seu practica, sed circa principia secundaria, præcipue practica, errare. Apposite S. Thomas, I-II, Qu. XCIV. Artic. VI : « Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones (eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias), vel etiam propter pravas consuetudines, et habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apost. dicit. *Rom.* I. »

VII. Systema Venturæ. Pater Joachim Ventura (1792-1861), ex Ordine Clericorum regularium Theatinorum, opus ediderat Romæ anno 1828, *De methodo philosophandi* (cujus nonnisi primum volumen lucem aspexit), in quo plus minusve aperte doctrinis Lamennesianis favebat. At postea eas temperavit, rationi individuali concedendo certitudinem primarum veritatum, ut sunt prima principia abstracta, existentia subjecti cogitantis et mundi sensibilis, ut videre est in Opusculo quod inscribitur, *Saggio sull'origine delle idee e sul fundamento della certezza*, §. XIV, in quo tamen sensum communem in iis quæ sensus communis sunt (59, II), et auctoritatem in respectiva arte vel scientia peritorum, ut supremum veritatis criterium defendit respectu *demonstrationis* seu veritatum mediatarum, quæ ratiocinio concluduntur: quatenus videlicet nonnisi aliorum auctoritate scimus de-

monstrationes nostras recte et secundum leges ratiocinii esse peractas. Denique in ultimo opere, *Cursus philosophiæ christianæ*, gallice conscripto, P. II. Cap. I. §. 2, distinguit triplex criterium, seu triplicem evidentiam : intuitivam nempe vel discursivam rationis respectu *intelligibilium; sensationis* seu perceptionis sensibilis respectu rerum *sensibilium; auctoritatis* competentis et legitimæ respectu rerum *historicarum* vel *super intelligibilium* rationi nostræ. Qua divisione præmissa atque §. 3. repetita, concedit auctoritati, sensui et intellectui rationem criterii veritatis seu certitudinis; sed quia triplex hoc criterium, ut sit revera tale pro nobis, debet præ se ferre conditiones naturales, quæ in concreto utrum nec ne verificentur ratione individuali decerni non potest, ad rationem communem confugit, et ideo in priorem sententiam Lamennesianam defensam subobscure in libro *De methodo philosophandi*, redire videtur. Ceterum non sub hoc ultimo adspectu systema Venturianum consideramus (esset enim actum contra Lamennais in præcedenti conclusione iterum agere), sed sub secundo adspectu, quatenus videlicet *auctoritas* constituitur *supremum criterium certitudinis mediatæ*. Quo sensu sit conclusio :

VIII. Auctoritas nequit esse supremum criterium veritatis seu certitudinis mediatæ. Probatur. Etenim sententia patris Ventura contradicit facto, sibi ipsi, et naturæ demonstrationis. Igitur admitti nequit. *Consequentia* patet. *Antecedens* per partes probatur.

Contradicit facto. Etenim nemo, postquam per syllogismum demonstrativum intulit aliquam scientificam conclusionem, quam vi ipsius syllogismi deprehendit necessario connexam cum primis principiis, expectat consensum hominum, vel auctoritatem doctiorum, ut eam conclusionem certo teneat. A quo facto ipsemet Ventura non recessit : siquidem tot libros conscripsit, tot demonstrationes proprio marte confecit, ut conclusionem suam et sibi et aliis persuaderet, antequam judicium ab auctoritate doctiorum daretur. Neque fiat recursus ad Doctorum antiquorum auctoritatem, quos Ventura protestatus est velle sequi : nam nonnisi studio et reflexione rationis propriæ doctus Auctor illos Doctores est interpretatus; et quamquam suas interpretationes et demonstrationes non indocti homines nostræ ætatis et inficiati fuerint et confutarint, non propterea a propria sententia recessit, sed mordicus ei adhæsit, et mordaciter adversarios est insectatus.

Contradicit sibi ipsi. Et revera. Nemo sanus affirmat auctoritatem sapientiorum in rebus scientificis, vel sensum naturæ communem *esse criterium veritatis*, inter principia immediata et per se nota esse adnumeranda. Sunt igitur veritates mediatæ, hoc est effectus demonstrationis. Sed undenam demonstramus et nos et Ventura hujusmodi veritates mediatas? Si auctoritate et sensu communi, demonstratur idem per idem; si aliis principiis ab auctoritate distinctis et a sensu communi, jam auctoritatem et sensum communem, ut suprema criteria nostrarum demonstrationum plane rejicimus. Quocirca, nonnisi per apertam contradictionem, prout contra Lamennismum hic supra animadvertimus, constituuntur a Ventura ut suprema demonstrationum criteria sensus communis, vel relativa auctoritas hominum.

Contradicit naturæ demonstrationis. Siquidem demonstratio est argumentatio procedens a principiis certis atque evidentibus (41, I), ita ut præmissis demonstrationis admissis, impossibile omnino sit ut mens a veritate conclusionis certo retinenda abstineat (53, V) : negatio enim conclusionis, in casu nostro, traheret negationem præmissarum concessarum; ac proinde mens sibi ipsi aperte contradiceret. Atqui menti nostræ sine auctoritate et consensu communi potest constare tum veritas præmissarum, ut ipse Ventura non negat, tum nexus conclusionis cum præmissis, ne mentem nostram naturaliter ordinatam ad syllogismum conficiendum dicamus simul naturaliter ineptam ad illationes ex præmissis inferendas seu ad ipsum syllogismum conficiendum. Mens, e. g., scit ex se hoc principium, *omne quod cogitat existit;* et hoc aliud a conscientia datum, *ego cogito.* In his autem *præmissis* et necessario et evidenter continetur conclusio, *ego existo;* cujus nexum si per se scire non potest mens, non video quo pacto possit a Ventura concedi, quod ratio per se valeat intelligere *præmissas* et in ipsis comparare extrema conclusionis, *ego* et *existo.* Ergo nonnisi naturam demonstrationis et necessarium processum mentis humanæ pervertendo, asseri potest quod conclusioni demonstrationis, ut puta, *ego existo*, non cum omnimoda certitudine adhæreamus, antequam aliorum auctoritas certos nos reddat rectam demonstrationem a nobis esse peractam.

Plus minusve contra Venturæ systema valent etiam alia argumenta quæ contra Lamennismum attulimus.

IX. Radix erroris de Lamennais et patris Ventura. Post con-

futatas opiniones tum de Lamennais tum patris Ventura, perutile existimo hic indigitare causas logicas ex quibus doctrina illa deducta est. Has autem causas ad duas reduximus. Diximus enim alibi humanam rationem *per accidens* falli posse, hoc est ex aliquo impedimento rectum rationis exercitium prohibente (53, IV). Quocirca, si a nostris conclusionibus, præsertim a primis principiis remote deductis, videamus homines doctissimos communi consensu recedere, dubium nobis prudentissime ingeritur, utrum in nostris ratiocinationibus vitium aliquod subrepserit, et consequenter in nostras ipsas ratiocinationes reflexione et severiori analysi redimus. Contra, si doctissimi viri communi calculo admittant ut recte deductas et certas nostras illationes, majori nisu in illas ferimur, non quasi certitudo nostra, consensu illorum, certior fiat qua parte certitudo excludit formidinem errandi, sed certior fit ex parte intensitatis assensus mentalis (40, IV). Ex quibus infertur, non quod sensus communis vel sapientium auctoritas sit supremum veritatis criterium, ut contendunt de Lamennais, Ventura, aliique horum placitis addicti, sed quod tum sensus communis tum auctoritas (quorum veracitas aliunde nobis probata est, ut supra diximus) dici solum debeant *criteria confirmantia* intellectum vel rationem in veritate, per ratiocinationem firmiter percepta. Unde præcitati Auctores non defendunt propriam sententiam, nisi quia confundunt criterium primarium et essentiale certitudinis cum criterio secundario et accidentali. — Alia causa est confusio certitudinis cum opinione. Accidit enim non raro ut quæstiones subdifficiles moveantur, quas intime penetrare non valemus, ut certitudinem assequamur : quo in casu ratio dictat ut præclariorum virorum, qui ingenio et doctrina maxime floruerunt, et in maxima existimatione sunt apud sapientes, sententiam teneamus, potius quam nullius nominis scriptori vel etiam propriæ imbecillitati confidamus. Quo in casu valet illud vulgare adagium : *peritis in arte credendum est.* Hæc in similibus casibus regula prudentiæ est, quæ tamen regula in necessariam et universalem pro omnibus singulisque veritatibus certo consequendis nonnisi per absurdum converti potest. Sed de his hactenus; cetera, quæ in hanc rem faciunt, vide in articulo ubi valorem auctoritatis humanæ definivimus (Artic. 60) (1).

(1) De *fideismo* et *traditionalismo* consuli possunt :
MERCIER. *Critériologie*, lib. III, etc.
LACORDAIRE. *Considérations sur le système philosophique de M. de Lamennais.*
ZIGLIARA. *Saggio sul tradizionalismo.*
REINSTADLER. *Critica*, Cap. IV.
His duobus systematibus opponitur *Dogmatismus* quatenus de

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ARTICULUS QUARTUS

(65)

Designatur supremum veritatis criterium.

I. Supremum veritatis criterium est quid objectivum Hæc propositio est corollarium eorum quæ disseruimus in superioribus hujus Capitis articulis. Dari enim aliquod supremum veritatis criterium certum est (62, II). Atqui supremum criterium non sunt neque criteria subjectiva (63), neque criteria extrinseca (64). Igitur supremum veritatis criterium est necessario aliquid objectivum. Quæstio igitur tota nobis est in determinando in quo specifice consistat hoc objectivum criterium (62, II).

II. Sententia cartesiana. Cum Cartesius, post suam de omnibus, quæ tum sensibus tum intelligentia tum ratione cognoscuntur, dubitationem hypotheticam (49, II), animadvertisset de principio, *cogito ergo sum*, conscientia innixo, haud posse dubitari *(ib.)*; rationem quæsivit cur hæc de eodem principio dubitatio esset impossibilis, invenitque rationem in eo sitam esse quod, *το cogito ergo sum* ideam claram atque distinctam menti exhiberet. Quocirca, a facto singulari ad universale principium assurgens, statuit, *ideam claram atque distinctam rei* seu, *quod continetur in idea clara atque distincta certum est* esse supremum veritatis criterium. Hanc suam doctrinam exponit Cartesius in suis *Meditationibus philosophiæ primæ*, illamque cartesiani omnes amplexi sunt.

III. Critica sententiæ cartesianæ. Hoc cartesianum de supremo criterio principium visum est aliis clarissimum, aliis contra, maxime erroneum; at, ut candide quod sentio proferam, hoc sententiarum discrimen mihi magis magisque suadet principium illud, ut non pauca alia Cartesii, æquivocatione laborare, atque proinde et sanæ et sinistræ interpretationi locum dare. Etenim si nomine ideæ claræ et distinctæ

---

signat sententiam scholasticorum : Qui dogmatistæ a « dogmatizando » dicti sunt nam scepticismi et falsi criticismi placita improbantes. *certitudinem naturalem* neque rejiciunt neque *positive* in dubium revocant, sed ejus *dogmata* ante omnem scientificam inquisitionem *directe* admittunt.

De dogmatismo, Cf. Reinstadler, *Critica*, cap. V.

intelligatur aliquid subjectivum, quasi subjecti cogitantis subjectiva modificatio, seu, *id quod nobis videtur*, ut quandoque dicimus, sententia cartesiana inducit subjectivismum et idealismum, quia hac in hypothesi, non de objectis ut in se sunt, sed ut nobis videntur, judicaremus; et est erronea, ut alibi probavimus (56, II et III). Quod si nomine ideæ claræ et distinctæ intelligatur non ipsum subjectum, sed objectum intelligibile in sua objectiva veritate menti præsens et mentis ad se assensum trahens; in hac secunda hypothesi idea clara et distincta coincidit cum evidentia objectiva, et sententia cartesiana vera est, ut in hoc ipso articulo demonstrabimus. Difficile autem est decernere quo sensu Cartesius ipse suam de supremo veritatis criterio sententiam intellexerit, ut alibi dictum est (54, IV).

IV. Prima principia demonstrationum non sunt suprema criteria veritatis. Paucis me expediam in probatione hujus conclusionis. Negari non potest, ut alibi probavimus (55, XI) principia prima et per se nota esse criteria : namque, ut optime notat S. Thomas, certitudo scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum : tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia. Sed hoc ipsum demonstrat illa prima principia esse criteria in sensu relativo, in ordine scilicet ad certitudinem conclusionum, non autem in sensu absoluto, quia supremum criterium in nulla alia cognitione fundari debet (62, III), et prima principia fundantur in cognitione transcendentalium, *entis*, *unius* et hujusmodi. Præclare idem S. Thomas, Lib. II. *Contra Gentiles*, Cap. LXXXIII : « Cum natura semper ordinetur ad unum, unius virtutis oportebit esse naturaliter unum objectum : sicut *visus* colorem, et *auditus* sonum. Intellectus igitur cum sit una vis, est ejus unum naturale objectum, cujus per se et naturaliter cognitionem habet. Hoc autem oportet esse id, sub quo comprehenduntur omnia ab intellectu cognita (sicut sub colore comprehenduntur omnes colores, qui sunt per se visibiles) : quod non est aliud quam *ens* naturaliter. Igitur intellectus noster cognoscit *ens*, et ea quæ sunt per se entis, in quantum hujusmodi : *in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia;* ut, *non esse simul affirmare et negare*, et alia hujusmodi. Hæc igitur sola principia intellectus noster naturaliter cognoscit; conclusiones autem per ipsa. »

V. Evidentia objective spectata est supremum veritatis criterium Quid sit evidentia objectiva alibi explicavi (54,

II). Probatur conclusio. In qualibet cognitione duo sunt essentialiter et exclusive, subjectum cognoscens, et objectum. Ergo motivum seu criterium certitudinis, aut ex subjecto cognoscente, aut ex objecto ipso cognito sumi debet. Non autem ex subjecto cognoscente, quia, teste conscientia, per ipsum non stat quod certitudo de re aliqua habeatur vel non habeatur, cum contra suam propriam voluntatem sæpe cogatur dubium hærere, sæpe intra limites opinionis contineri, sæpe etiam erret illusoria certitudine deceptum : insuper, ut contra Kantianum idealismum, probavimus (56, III), non subjectum cogitans mensurat rerum veritatem, sed a veritate rerum ejus veritas mensuratur. Ergo motivum seu criterium certitudinis ex objecto cognito est desumendum. Sed objectum cognitum, ut cognitum, est ipsum objectum seipso menti apparens, præsens, et vi suæ præsentiæ assensum mentis determinans. Objectum autem apparens vel præsens menti, et objectum patens vel evidens menti ipsi, sunt dictiones omnino synonymæ. Sed, ut patet, objectum non est evidens nisi *evidentia* (concipit enim noster intellectus abstracte evidentiam ut *formam* quamdam terminum concretum — 2, VII et VIII — afficientem), sicut est verum *veritate*, ens *entitate*, bonum *bonitate*. Igitur evidentia objective considerata est supremum veritatis criterium. — Hinc illæ dictiones cuique linguæ communes : *res patet*, *veritas claret meridiana luce*, *hoc evidens est*, et aliæ hujusmodi. — Et revera vel levis analysis nostrarum cognitionum argumentum nostrum mirifice confirmat. Si enim rationem quæramus, cur firmiter retinemus existentiam alicujus objecti sensibilis, indigitamus objectum ipsum quod præsentia sua sensus percellit nostros; si intellectus admittit certitudinaliter principia sive demonstrationum sive definitionum, ratio est quia eorum veritas per se menti patens non sinit quoad illa dubitare; si conscientia inconcusse refert ea quibus subjectum cognoscens afficitur, ratio est quia ab ipsa rei veritate quodammodo compellitur. Tolle ipsam rei veritatem evidentem, et non solum omnia nutant, sed assensus mentalis nulla amplius est ratio : quod in idem recidit ac si dicamus quod, sublato supremo evidentiæ criterio, assensus mentis est omnino impossibilis. Apposite S. Thomas, in III. *Sentent.* Dist. XXIII. q. II. art. II. qu. 3, corp. et ad 1 : « Certitudo (*quæ*, nihil aliud est quam determinatio intellectus ad unum)... consistit in duobus, scilicet in evidentia *(quæ se tenet ex parte objecti, et habet rationem causæ)*, et firmitate adhæ-

sionis *(quæ se tenet ex parte subjecti, et est evidentiæ effectus).* » Hinc « certitudo, quæ est in *scientia* et *intellectu*, est ex ipsa evidentia eorum quæ certa esse dicuntur » (1).

VI. De criterio excogitato a Vico. Joannes Baptista Vico (1668-1744), in Opere quod inscripsit, *Della antica sapienza d'Italia*, Lib. I. Cap. I. §. I. hæc de criterio docuit : « Criterium veritatis et norma ad eam cognoscendam, est ipsa *veritas facta*. Consequenter idea clara et distincta quam de nostro spiritu habemus non est criterium veritatis, et nec etiam est criterium nostri spiritus, quia anima cognoscendo seipsam non facit seipsam; et quia seipsam non facit, nescit modum quo seipsam cognoscit. Quoniam scientia humana habet pro basi abstractionem, scientiæ sunt tanto minus certæ quanto magis accedunt ad materiam corporalem. Ut uno verbo omnia dicamus, verum convertitur cum bono, si id quod cognoscitur ut verum habet *esse* a spiritu qui illud cognoscit, cum scientia humana imitetur scientiam divinam per quam Deus verum cognoscendo illud generat *ad intra* in æternitate, et *ad extra* illud producit in tempore. Criterium autem veritatis respectu Dei consistit in communicatione bonitatis objectis suæ cognitionis *(vidit Deus quod essent bona)*; et respectu hominum criterium consistit in *faciendo vero quod ipsi cognoscunt.* » Ex his Vico infert scientias mathematicas certiores esse quoad nos quia ipsæ sunt veluti quædam productiones mentis nostræ.

VII Critica. Jacobus Balmes in sua *Philosophia fundamentali*, Lib. I. Cap. XXX et XXXI. expendens hujusmodi criterium videt in eo viam ad scepticismum, potius quam scepticismi destructionem, ut Vicus sibi persuasit. Etenim, quid, inquit, ponit Philosophus neapolitanus? Nempe cognitionem mentalem objecti, quod est opus ipsius mentis. Sed in ambitu cognitionis nostræ continentur actus conscientiæ et objecta omnia idealia, quæ in ipsa nos efformamus. Hoc vel ipsi sceptici admittunt : nemo enim eo-

(1) Plures philosophi distinguunt duplex criterium supremum: *veritatis*, et *certitudinis*. Criterium *veritatis* est id quo ultimo veritas a falsitate distinguitur et est evidentia objectiva : criterium *certitudinis* id quo ultimo error a veritate secernitur et est evidentia subjectiva.

Dicimus quod præsupposita aptitudine intellectus humani ad cognoscendam veritatem (ut contra scepticos probavimus) statim ac veritas ipsi affulgeat, evidentia objectiva remanet ut *ratio formalis* supremi criterii, consequenter ab ipsa meretur proprie et simpliciter nomen criterii supremi et non aliter.

(2) Sententiam peculiarem quam habet Emus Card. Lorenzelli circa evidentiam objectivam quatenus supremum criterium veritatis vide in P. HUGON. *Logica Maior*, Tract. II, q. III, p. 371.

rum potest non admittere esse in nobis conscientiam, esse mundum idealem, uti opus hujus conscientiæ et ab ipsa renuntiatum. — Si ergo aliud criterium non admittimus quam *factum*, aperimus aditum scepticismo, relinquimus mundum realem et concludimus nosmetipsos intra limites *apparentis*. — Hæc Balmes, loc. cit., Cap. XXX. n. 303. Circa vero processum logicum Vici hæc addit. n. 297 : « Intelligentia cognoscit solummodo illud quod ab ipsa fit. Hæc propositio quæ summam continet totius systematis Vici, nulla ratione probari potest. »

His tamen non obstantibus, sententia Vici potest in recto sensu explicari. Illa propositio, quæ revera fundamentalis est in systemate Vici : intelligentia cognoscit solummodo illud quod ab ipsa fit, duplici sensu accipi potest. — *Primo* quidem intelligi potest in sensu *subjectivo*, quasi nempe objecta nostræ cognitionis sint ideæ *in nobis* et *a nobis*, eo modo quo Kant explicat suas formas seu categorias (Artic. 56). Hoc sensu accipitur a Balmes principium Vici, et rationabiliter rejicitur ut omni carens fundamento et ad idealismum et scepticismum ducens. — At *secundo* intelligi illud principium potest, ut significans quod objecta a nobis non intelliguntur nisi quatenus sunt in nobis, et *expressa* seu intelligibiliter *facta* vel *dicta* a nobis. Et in hoc sensu non *ideæ* seu formæ subjectivæ, sed objecta ipsa extramentalia sunt vere termini nostrarum cognitionum : attamen de ipsis non cognoscimus nisi illud quod est factum intelligibile vi mentis. Unde, quia in objectis mathematicis nihil est amplius quam illud quod intelligibiliter a mente formatur, hac de causa scientiæ mathematicæ habentur a Vico ut certiores. Hoc sensu accepta sententia Vici sustineri potest, et stat cum principiis a nobis declaratis circa criterium evidentiæ, et cum ipsis principiis cognitionis. Ut enim notat S. Thomas : *Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ.* P. I. Qu. XII. Artic. IV. — Cf. Qu. XIV, Artic. VI, ad 1.

VIII. Sententia rosminiana. Antonius Rosminius (1797-1855), vir in scientiis philosophicis egregie doctus, distinguit in sua *Logica*, Lib. III. Sect. I. Cap. II et III. criterium veritatis a criterio certitudinis. Nomine criterii veritatis intelligit, *principium evidens quod veritatem confert cognitionibus, quæ ab eo proveniunt* (ib. Cap. III. n. 1060); nomine vero criterii certitudinis intelligit, *principium quod quidem non confert veritatem propositionibus, sed nobis inservit ad indubie cognoscendum utrum propositiones ipsæ in se habeant nec ne veritatem, ac proinde*

ingerit nobis certitudinem earum veritatis vel falsitatis (ib.). Qua præmissa distinctione, tenet Rosminius, *ens naturaliter intuitum* (seu ideale) *esse supremum criterium veritatis* (ib., Cap. II, Artic. I). Ratio est quia *ens ideale* seu *intuitum* est ipsa veritas, quæ est causa formalis et elementum essentiale cognitionis : si enim cognitio generice accipiatur, essentiale ipsi est esse veritatem, seu esse veram; si vero accipiatur pro judicio, palam est in ipsa essentialiter *esse* affirmari vel negari, atque ex illa affirmatione vel negatione τοῦ *esse*, falsitatem vel veritatem judiciorum pendere (*ib.* 1047-49).

XI. **Critica sententiæ rosminianæ.** Contra sententiam rosminianam animadversum a quibusdam est, ipsam fundari in suppositione quod idea entis sit nobis a natura congenita, et in altera quod idea entis sit forma vel typus omnium aliarum nostrarum cognitionum : quæ duplex suppositio, de qua in ideologia erit sermo, falsa est. — Fateor illa duo a Rosminio doceri, sed, meo quidem judicio, hæc rosminiana de supremo criterio sententia non exclusive pendet a duplici illa suppositione. Sive enim idea entis sit innata sive acquisita, negari non potest ipsam esse elementum quod aut explicite aut implicite includitur in omnibus cognitionibus, ita ut omnis nostra determinata cognitio, ex parte objecti spectata, exhibeat ens magis vel minus determinatum, ut in Ontologia demonstrabimus. Porro vis argumenti rosminiani, ni fallor, in eo quod ens, respectu nostri, est elementum necessarium cognitionis cujuslibet, tota consistit.

Quoad vero sententiam Rosminii hoc modo explicatam, eam teneo non differre a sententia S. Thomæ, quam amplexi sumus, ut ex supradictis, nn. IV et V. est manifestum. Certitudo enim conclusionum tota pendet a certitudine principiorum, quæ *fundatur in cognitione entis et eorum quæ sunt per se entis* (sup., n. IV). Quod si his conjunxerimus a Rosminio poni criterium veritatis non simpliciter *ens*, sed ens ut *evidens;* in aperto erit sententiam rosminianam, quoad criterium, substantialiter non differre a sententia S. Thomæ. — Utrum vero idea entis sit nobis innata, ut vult Rosmini, vel sit acquisita sicut ceteræ ideæ, ut tenet S. Thomas, et utrum illud *esse* vel *ens* sit aliquid creatum et a Deo participatum, ut recte docet S. Doctor, vel aliquid increatum et *in se* divinum, ut falso contendit Rosminius, non hic sed in metaphysica est definiendum.

CAPUT SECUNDUM

DE SCIENTIARUM COORDINATIONE

Prologus. Deinde dicendum est (*Prol.* in tert. Lib.) de scientiarum coordinatione, et duo declaranda sunt : 1° Undenam scientiæ specificentur et ad invicem distinguantur; 2° Utrum et qua ratione una alteri subordinetur.

ARTICULUS PRIMUS

(66)

De specificatione et distinctione scientiarum.

I. Scientia nostra dicit ordinem realem dependentiæ ad scibilia, et non vice versa. Quid sit scientia ac de quibus objectis sit, satis alibi diximus (41, III), nec actum agere debemus. Statim igitur propositionem enuntiatam probamus. Et quoad ejus primam partem vix probatione indiget, præcipue post ea quæ contra idealismum criticum statuimus (56, III, IV) : etenim scientia sine scibili objecto dari non potest; nam si scitur, scitur profecto aliquid, quod est objectum et terminus cognitionis. Igitur scientia essentialiter dicit ordinem ad scibilia objecta. At pone objecta diverso modo se habere ac affirmantur ab intellectu, et jam non scientia sed falsa cognitio inducitur, ut dictum est (40, I). Ergo ordo quem scientia nostra dicit ad objecta est ordo realis et dependentiæ. — Secunda vero pars propositionis, quod scilicet objecta ipsa a scientia nostra minime pendeant, ex eodem principio probatur. Sublata enim scientia nostra, non propterea objecta scibilia pareunt. Ergo objecta scibilia non dicunt realem ordinem dependentiæ ad scientiam nostram.

II. Objectum materiale et objectum formale scientiæ. Hæc divisio objecti scientiæ in objectum *materiale* et in objectum *formale* facilis est, et simul scientiis distinguendis apprime necessaria. Objectum *materiale* est id quod cognoscitur vel scitur, ut *homo, angelus, Deus;* objectum *formale* est id *quod* primo et per se a scientia attingitur in objecto materiali, vel id *quo mediante* objectum ipsum cognoscitur vel scitur; sicut *homo, asinus* et *lapis* conveniunt in ratione

colorati, quod est objectum formale *visus*, quia est *ratio* cur visus videat illa objecta *materialiter sumpta*.

III. De duplici formali objecto scientiæ. Ex tradita notione objecti formalis scientiæ apparet illud duplex esse : nam res scibiles possunt et debent considerari : 1° ut res in seipsis sunt; 2° ut scibiles sunt : et prius est esse in seipsis, prioritate rationis, quam esse scibiles a nobis. Age porro : res in seipsis consideratæ habent propriam quidditatem seu essentiam, per quam et constituuntur in se, et distinguuntur a ceteris aliis, et tales denominantur : quod quidem principium constituens et distinguens et denominans res est, *objectum formale* rerum, ut res sunt, et dicitur etiam *objectum formale quod* vel *ratio formalis quæ* scientiæ : quatenus est ratio formalis eorum quæ per se conveniunt subjecto (21, IV) et de subjecto in scientia demonstratur; et secundum distinctionem horum principiorum seu *objectorum formalium* desumitur distinctio formalis rerum. — Atqui res, eo ipso quod est, scibilis est : sed scibilitas ipsa, quæ nonnisi denominatione extrinseca afficit rem, non una semper est respectu ejusdem entitatis : nam potest res sciri seipsa (sicut contingit in demonstrationibus proceden'ibus a definitionibus essentialibus), potest sciri criterio extrinseco auctoritatis, potest denique sciri aliis et aliis modis seu criteriis. Hæc ratio *scibilitatis* dicitur ratio formalis objecti ut objectum est, ratio *sub qua*, vocatur et *lumen* et etiam simpliciter objectum formale *quo*, vel *sub quo*, ut infra (n. VII) plenius declarabitur.

IV. Unitas specifica scientiarum ex unitate utriusque objecti formalis resultat. Loquor, ut patet, de unitate objectiva, seu specifica : subjective enim spectatæ, scientiæ sunt una vel plures numero ex unitate vel multiplicitate numerica subjecti scientis. — Probatur conclusio. Scientia nostra dicit essentialiter ordinem ad objecta scibilia, sicut ad proprium terminum. Quidquid autem importat essentialiter ordinem ad aliquid, sicut ad terminum, denominatur et specificatur a termino ipso : ita motus specificatur a termino, artes a natura operum ad quæ ordinantur, et ita porro. Igitur scientiæ specificantur ab objectis scibilibus; et consequenter ab unitate specifica scibilis habent scientiæ specificam unitatem. Sed scibilia, ut talia sunt, constituuntur ex duplici illa formalitate hic supra, n. III. declarata : nam impossibile est præscindere a re scibili illud per quod ipsa constituitur in se et est causa eorum quæ sibi per se conveniunt et de se

prædicantur, et modum scibilitatis, sub quo refertur ad facultates cognoscitivas et qui, juxta dicta n. præc. est ipsa ratio formalis *sub qua* res scitur. Igitur objectum scibile est unum specifice ex unitate utriusque rationis formalis *quæ* et *sub qua;* ac consequenter ex unitate utriusque rationis formalis desumunt scientiæ propriam unitatem specificam.

V. Diversitas specifica scientiarum a diversitate rationis formalis SUB QUA **præcipue resultat.** Nempe liquet ex hucusque explicatis quod ratio *sub qua* constituit ac determinat rationem et naturam scibilitatis ipsius rei; ita scilicet ut juxta naturam rationis formalis, seu principii quo in scientiis utimur, tuto determinetur natura et valor nostræ certitudinis circa rem scitam. Consequenter dicere possumus quod ratio formalis *sub qua* se habeat aliquo modo ad rationem *quam*, sicut differentia se habet ad genus, cum quo speciem constituit, ut alibi dictum est (4, III et V). Diversitas autem specifica rerum ex diversitate differentiarum, quæ ut generi superadditæ concipiuntur, desumitur. Ergo et scientiarum diversitas specifica ex diversitate præcipue rationis *formalis sub qua* accipienda est. Hinc quamvis theologia naturalis et theologia revelata circa idem objectum, nempe Deum, versentur, tamen specifice distinguuntur, quia prima ex principiis rationis lumine notis, altera vero ex principiis notis lumine fidei veritates divinas scientifice concludit. Qua de re cf. S. Thomas I. *Posterior.*, lect. XLI, et Cajetanus in I. P. *S. Th.*, Qu. I. Artic. III.

VI. Non immerito docuerunt Scholastici divisionem scientiarum generatim desumendam esse ex diverso abstractionis gradu a materia. Probatur. Diversitas, seu distinctio, seu divisio scientiarum a diversitate rationis formalis *sub qua* præcipue resultat, ut in superiori conclusione satis, ut puto, probatum est. Atqui abstractio a materia est conditio adnexa objecto scibili, et manifestativa differentiæ rationis formalis *sub qua*. Igitur hoc sensu non immerito dici cum Scholasticis potest, divisionem scientiarum generatim desumendam esse ex diverso abstractionis gradu a materia. — *Minor* probatur ex eo quod, quanto magis objectum a materia abstrahitur, tanto magis est intelligibile (quia immaterialitas requiritur ut objectum sit proportionatum naturæ subjecti intelligentis); unde abstractio a materia est conditio adnexa objecto scibili et manifestativa differentiæ rationis formalis *sub qua* scientiarum.

VII. Præcedentium conclusionum plenior dilucidatio. Ad pleniorem præcedentium conclusionum dilucidationem, transcribo annotationem *v* quam apposui Lectioni XLI. S. Thomæ super Lib. I. *Poster. Analytic.* : Quæ in hac lectione de unitate et diversitate scientiarum disserit S. Thomas cum Aristotele, nonnisi a paucis recentioribus tractantur : ea enim plerique aut omnino ignorant, aut inter vanas scholasticas subtilitates amandant. Attamen nisi quis ea habuerit plane perspecta, philosophus nullatenus esse potest. Interest enim maxime scientias nostras rimari, ut quo ordine se habeant ad invicem, qua ratione specifice inter se differant, utrum denique sibi invicem subordinentur, definiatur; et exinde inferatur unitas vel diversitas scientiarum, et unicuique propria principia applicentur, et unaquælibet intra limites proprii objecti contineatur, et propria, ut ita dicam, luce illustretur.

Ut autem novitius ediscat quantum hæc doctrina philosophica intersit etiam theologiæ nostræ, audiat S. Thomam ipsum applicantem hæc eadem principia, imo eadem exempla, ad distinguendam scientiam mere philosophicam a scientia seu sapientia nostra theologica, quæ non a ratione, ut illa, sed a divina revelatione sua mutuatur principia: « Diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit. Eamdem enim conclusionem demonstrat astrologus et naturalis, puta quod terra est rotunda; sed astrologus per medium mathematicum, id est a materia abstractum; naturalis autem per medium circa materiam consideratum. Unde nihil prohibet de eisdem rebus, de quibus philosophicæ disciplinæ tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, et aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis. Unde theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quæ pars philosophiæ ponitur. » (P. I, Qu. I, Art. I, ad 2.)

Scholastici merito distinguebant objectum scientiæ in objectum materiale et objectum formale. Primum est res de qua habetur scientia, ut mundus, anima, ens, Deus, etc.; objectum autem formale est modus seu ratio secundum quam res attinguntur ab intellectu. Ratio hujus divisionis est, quia aliud est esse rei *in se*, aliud est esse rei in ratione *scibilis*, prout scilicet est objectum cognitionis : nam ratio materialis, qua res est in se ipsa constituta et distincta formaliter a ceteris rebus, potest stare sine ratione formali scibilitatis, quæ importat ordinem ad facultatem cognoscitivam, et quæ est simul causa et terminus cognitionis. Patet in sensu. Etenim res materiales sunt in seipsis distinctæ : non tamen in ordine ad sensitivam cognitionem omnes habent

eamdem rationem formalem *sensibilitatis*, quia non omnes quoad totalitatem propriæ entitatis possunt ab omnibus sensibus attingi (Cf. lect. XXX, not. α). Quia vero scientia non a re sed a scibili pendet et terminatur, ratio diversitatis vel unitatis scientiarum non ab objecto materiali, seu a rebus prout sunt in seipsis unius vel diversi generis, sed a scibilitate, seu ab objecto formali repetenda est. Hinc S. Thomas non ab unitate generis, seb ab unitate vel diversitate *generis scibilis* repetit unitatem vel diversitatem scientiarum.

Sed objectum formale duplex est : aliud enim est objectum formale *quod*, seu ratio formalis *quæ;* aliud autem est objectum formale *sub quo*, seu ratio formalis *sub qua*. Quæ distinctio sæpe occurrit in theologicis disciplinis, et habet suas radices in ipsa natura scientiæ proprie dictæ. Etenim scientia et est in intellectu ut in subjecto, et est de objecto ut de termino ipsius scientiæ. Sistamus imprimis in consideratione objecti scibilis. Dictum est supra (41, IV) quod scientia proprie dicta, prouti nempe est effectus demonstrationis, est de universalibus, de immutabilibus et sempiternis, quæ non est possibile aliter se habere : sed dictum etiam est (*ib.*, VII) quod tunc vere scimus de hujusmodi rebus, quando eas cognoscimus per causas. Hoc autem habetur quando scitur non solum quod *de omni* (Cf. lect. IX), et quod *per se* (Cf. lec. X), sed quando scimus de objecto secundum quod est *universale*, seu primo et secundum quod est ipsum (Cf. lect. X et XII); quia hæc ultima conditio complectitur præcedentes de *omni* et *per se* (Cf. lec. IX, n. 3) et est causa seu ratio passionum, quæ inferioribus subjectis convenire demonstrantur; proindeque est *primum* quod attingitur a demonstrante (Cf. lect. XII. n. 11). Sic habere tres angulos æquales duobus rectis, convenit quidem *isosceli*, attamen convenit ipsi non secundum quod isosceles est, sed secundum quod est triangulus; triangulo vero talis passio convenit secundum quod est triangulus. Primo ergo attingitur ratio trianguli, et per hanc rationem tanquam per veram causam demonstratur ejus passiones competere speciebus trianguli, non quatenus species sunt, sed quatenus continentur sub illo tanquam sub genere. — Ratio quæ primo et per se attingitur, et per quam, tanquam per causam propriam, de subjectis demonstrantur passiones communes, vocatur *objectum formale quod*, seu ratio formalis *quæ* scientiæ.

Deinde objectum scibile debet considerari in ordine etiam ad subjectum intelligens, seu ad intellectum. Cognitio enim, cum sit actio immanens, et aliunde repugnet dari sine objecto cognito, postulat necessario ut locum non habeat nisi quatenus objec-

tum cognitum est in cognoscente. Atqui non potest objectum cognitum esse in cognoscente, nisi congruenter ad naturam intellectus in quo recipitur, hoc est immaterialiter, sicut immaterialis natura sua est intellectus. Ergo in ordine ad potentiam intellectivam nostram, objectum, quantumcumque fingatur per imaginationem universale, immutabile, sempiternum non potest tamen primo et per se habere rationem formalem scibilitatis, nisi sub ratione immaterialitatis (Cf. S. Th. sup. Boetium, *De Trinitate*, qu. V. artic. I). Iste modus, seu medium seu conditio, seu ratio requisita in objecto, ex natura potentiæ intellectivæ, sub qua solum manifestatur intellectui nostro objectivum formale *quod*, vocatur objectum formale *sub quo*, seu ratio formalis *sub qua*. Et quia id quod facit manifestationem quocumque modo, vocamus etiam lumen (Cf. lect. XXXVI. not. σ); hæc ratio formalis vocatur lumen *sub quo;* sicut objectum formale *quod* dicitur etiam lumen *quod* (Cf. Cajet. in I. *Poster.*, Cap. XXII. §. *Circa secundam et tertiam conclus.*, fol. 68, col. 3, seqq. Venet, 1554; et in P. I. Qu. I. Artic. III. §. *Ad evidentiam hujus rationis*, etc.).

Vult ergo S. Thomas quod, ad unitatem scientiæ duo objecta ipsa formalia requirantur; nempe et unitas subjecti scibilis, hoc est eadem ratio formalis *sub qua;* et unitas principiorum, hoc est eadem ratio formalis *quæ*. Et sapienter. Nam per solam unitatem formalem *sub qua*, res sub uno lumine, seu gradu abstractionis a materia intellectui manifestantur; et per solam unitatem formalem *quæ*, res in uno eodemque principio superiori uniuntur, quod primo explicat passiones earum, quatenus supremo illi principio connectuntur. — Sufficit autem, addit Angelicus, diversitas principiorum, hoc est, rationis formalis *quæ*, ad scientias diversificandas. Et ratio est, quia ubi existat præfata diversitas, objecta scibilia non uniuntur in uno principio superiori, quod sit ratio scibilitatis passionum communium. Addit autem S. Doctor quod hanc diversitatem rationis formalis *quæ* comitatur diversitas generis scibilis, hoc est rationis formalis *sub qua* (Cf. Cajet. in P. I. Qu. I. Artic. I. §. *Ad hoc respondetur*, etc.). Nequit enim ratio formalis *quæ* in scientiis esse diversa genere, quin simul involvat rationem majoris vel minoris abstractionis a materia, et ideo diversitatem rationis formalis *sub qua*. Abstrahere enim a materia contingit tripliciter : vel secundum esse et secundum rationem, sicut sunt *trancendentia*, quæ considerantur in metaphysica generali, seu ontologia; vel secundum rationem et non secundum esse, sicuti ea quæ considerantur a mathesi, scilicet *quantitates*, quæ non sunt nisi in materia, sed a mathesi conside-

rantur ut a materia abstractæ; vel neque secundum rationem neque secundum esse, prouti sunt *naturalia*, quæ, quatenus abstrahuntur a sola materia individuali, considerantur a scientia naturali. Porro alia sunt principia quibus probat metaphysicus suas conclusiones; alia sunt quibus probantur conclusiones mathematicæ; alia quibus probat physicus.

ARTICULUS SECUNDUS

(67)

De divisione et subordinatione scientiarum.

I. Scientiæ generice inspectæ, non incongrue dividuntur in quinque primarias, nempe Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam et Moralem. Probatur. Ratio distinguendi scientias ab abstractione a materia optime desumitur, ut a conditione necessaria qua objectum redditur universale, atque ideo intelligibile, ut superiori articulo dictum est. Atqui illa abstractio locum habere potest : 1° quidem, a materia solummodo *individuali*, retenta tamen integra ejus natura *mutabili et sensibili*, prout consideratur a *Physica;* 2° ab ipsa materia ut sensibili et mutabili, at retenta tamen quadam materia ut ita dicam intelligibili, quæ sufficiat ad notionem *corporis*, et quæ est quantitas sive discreta sive continua, qua corpus mathematicum constituitur, quod est objectum *Matheseos;* 3° ab ipsa materia quocumque modo sumpta, et in hoc gradu habentur tres scientiæ, nempe *Metaphysica*, *Logica* et *Moralis*, ut dictum est in principio hujus Operis, *de Philosophia in genere*, n. III. — *Metaphysica*, qua consideratur entitas realis, sive hæc entitas in se ipsa ab omni materia sit dissociata, ut Deus, Angelus, anima rationalis; sive sit talis vi solummodo abstractionis et in sola mente, ut *ens*, *substantia*, aliaque hujusmodi. — *Logica*, qua consideratur entitas non secundum quod est in seipsa, sed secundum quod est in mente et a mente ordinatur. — *Moralis* denique, qua ens ipsum, abstractione habitum ab intellectu cognoscente, ordinatur ad dirigendam voluntatem. Igitur in illas quinque primarias non incongrue scientia nostra generice dividitur.

II. Notio subalternationis scientiarum. Scientia omnis non est de principiis, circa quæ est *intellectus*, sed de conclusionibus, ex principiis ipsis illatis per demonstrationem

(41, III). Atqui conclusiones in scientiis aut inferuntur ex principiis non solum immediatis sed etiam propriis illius scientiæ; aut contra hujusmodi principia quibus utitur peculiaris aliqua scientia ex principiis propriis alterius scientiæ deducuntur. Ita metaphysica argumentatur ex principiis *entis*, *unius*, aliorumque transcendentium, quorum consideratio ad ipsam pertinet; contra musica ex principiis procedit, quæ ut probata in mathesi supponit. Scientia *subalternata* dicitur, quæ ex præsupposita certitudine principiorum procedit, de quibus agit alia scientia, quæ ideo respectu subalternatæ dicitur *subalternans*. Hinc, ut in eodem sistamus exemplo, mathesis est scientia subalternans respectu musicæ.

III. Cardinalis Cajetani animadversiones quoad scientias subalternantes et subalternatas. Profunde, ut assolet, et in hanc rem dilucide ratiocinatur doctissimus Cajetanus, Commentar. in P. I. Qu. I. Artic. II. cujus verba hic transcribere perutile censemus. « De ratione, inquit, scientiæ absolute, ut distinguitur contra alios habitus, seu virtutes intellectuales, est habere conclusiones visibiles in alia, id est in principiis : quoniam omnis scientia ex principiis oritur necessario. Et ex hoc sequitur quod nec scientia *subalternans* nec *subalternata* habet evidentiam conclusionum in seipsis, sed adjuta habitu principiorum. Verum in hoc differunt, quod *subalternantis* conclusiones visibiles sunt *ex* et *in* principiis immediate, id est absque alio medio habitu *(scientifico diverso ab habitu scientifico suarum conclusionum)*; *subalternatæ* vero conclusiones visibiles sunt *ex* et *in* principiis per se notis *mediate*, mediante scilicet habitu scientifico *subalternante (quo subalternata utitur ut principio)*. Et hæc est essentialis et *per se* differentia inter *subalternantem* et *subalternatam* scientiam. Ceteræ autem conditiones sunt consequentes, aut sunt *talis subalternæ*, non *subalternæ* ut sic. Puta, quod una dicat *quia*, et altera *propter quid* (41, VI et VII), aut quod objectum addat definitionem accidentalem extraneam. Hæc namque est conditio *subalternationis* quoad objectum, illa vero *subalternationis* quoad principia, gratia materiæ... Et ex his deducuntur quinque. — *Primo* quod omnis scientia est scientia ex sua continuatione ad habitum superiorem, quoniam nonnisi ex illa continuatione evidentiam habet conclusionum... — *Secundo* quod scientia subalternata est scientia ex continuatione, seu continuabilitate ad scientiam superiorem eadem ratione. — *Tertio* quod *per se* habitus principiorum proximorum subalternatæ est ha-

bitus scientificus subalternans. — *Quarto*, quod scientia *subalternans* et *subalternata* non necessario opponuntur ex parte objecti, nec ex parte subjecti, sed potius ex parte conditionum medii, quia, scilicet, medium in *subalternante* immediate jungitur principiis per se notis, *subalternatæ* vero mediate, mediante scilicet habitu alterius speciei. — *Quinto* quod *subalternata* et *subalternans* sunt compossibiles in eodem subjecto, quia non opponuntur ex parte subjecti. » §. *Circa hanc.*

IV. Inter quinque supra enumeratas scientias nulla datur PROPRIE DICTA **subalternatio.** Probatur. In subalternatione scientiarum hoc semper verificatur, quod subjectum scientiæ subalternatæ est species subjecti scientiæ subalternantis, ut recte cum Aristotele notat S. Thomas in I. *Poster.* Lect. XXV; unde provenit quod subalternata a subalternante principia mutuatur, ut in superioribus numeris dictum est. Ita Metaphysica specialis, quæ Cosmologiam, Psychologiam et Theologiam naturalem complectitur, versatur circa objecta quæ generice sunt objecta Metaphysicæ *generalis*, cujus proinde Metaphysica specialis est quasi determinatio. Atqui nullum objectum illarum quinque scientiarum est species subjecti alterius ex ipsis. Nulla igitur est inter ipsas proprie dicta subalternatio. — *Minor* declaratur. Esto enim quod principia Metaphysicæ in aliis quatuor scientiis continue adhibeantur, attamen istæ principia propria habent et consentanea gradui propriæ abstractionis a materia. Ita Physica, licet principiis Metaphysicæ utatur, nihilominus principiis illis admiscet principia propria et homogenea distincta a metaphysicis et alterius ordinis, quæ respiciunt naturam reduplicative sensibilem, a qua Metaphysica abstrahit. Et hoc idem in aliis scientiis enumeratis contingere facile est demonstrare (Cf. quæ scripsimus in I. *Poster.*, lect. XV. not. et lect. XVII. not. π.).

V. De præeminentia Metaphysicæ, Logicæ et Moralis ac præcipue Theologiæ Christianæ. Præcedens conclusio erat de subalternatione proprie dicta, et consequenter non officit quominus latiori sensu subalternationis unam alteri præeminere dicamus. Revera enim Logica, quæ dirigit mentem in cognitionem veritatis, criteriaque designat quibus certitudinem consequimur, de facili sub hoc aspectu primatum obtinet. Pari modo Moralis, quia de ultimo hominis fine agit, actiones omnes scientiamque ipsam temperat, ne a consecutione ultimi finis aut inscitia aut temeritate deflectamus : et

sub hoc aspectu primatum obtinet super alias scientias. Metaphysica denique est veluti fundamentum omnium aliarum, quia nulla scientia est, cui principia sua communia non subministret, et in quam hoc sensu influxum non exerceat. Imo, considerata natura sui objecti sive in ordine abstractivo sive in ordine reali, aliis omnibus humanis scientiis de facili præstat et eas sibi subordinat : nam in ordine abstractivo maxime intelligibilia contemplatur, transcendentia nempe et suprema genera rerum, quæ ceteræ scientiæ ut fundamenta subaudiunt; in ordine reali animam rationalem Deumque considerat, objecta nempe supra omnia nobilissima. — Ceterum Metaphysica ipsa cedit et subjacet Theologiæ revelatæ tum *principio* tum *objecto*; ut loquitur Concilium Vaticanum, Sess. III. *Constitut. dogmatic. de Fide catholica*, Cap. IV. *De fide et ratione : principio*, quia Theologia revelata nititur divina revelatione (58, VI); *objecto*, quia circa veritates divinas supernaturalis ordinis versatur, quas Deus misericordia sua nobis revelavit, ut major certiorque cognitio Dei charitatem suscitet in cordibus nostris, et nisu vehementiori per virtutem tendamus ad consecutionem æternæ beatitudinis, repromissæ per merita Christi, qui nobis factus est *via*, *veritas et vita* (1).

(1) 1° Auctor in primo articulo hujus capitis principia tradit quibus scientiæ specificari et distingui possunt, in secundo vero articulo illa principia applicat et quæstionem solvit. Baco autem, Ampère, Comte et Spencer alias scientiarum distinctiones et divisiones invexerunt plus minusve corrigendas et improbandas, de quibus. Cf. HUGON. *Logica Maior*, p. 457. Pro nobis sufficiat adnotare :

I. Scientiam dividi etiam posse in *subjectivam* quatenus existit in mente, et in *objectivam* quatenus efformat seriem veritatum connexarum circa aliquod objectum.

II. In *contemplativam*, quæ sistit in *veritatis contemplatione*, et in *praticam*, quæ intendit operationem, nempe quid sit agendum.

III. Ex *parte objecti formalis* tot possunt esse scientiæ distinctæ quot sunt objecta formalia diversa; quorum numerum difficile est assignare; auctor vero dividit ex *gradibus diversis abstractionis*.

IV. Dividuntur etiam scientiæ in *rationales* vel *experimentales* secundum quod precipue utuntur methodo deductiva vel inductiva.

2° Quæ Scientiæ omnes subordinantur ad invicem sive *ratione objecti*, sive *ratione finis*, sive *ratione principiorum* secundum quod vel obiectum materiale unius scientiæ continetur sub extensione objecti formalis alterius, vel obiectum unius refertur ad obiectum alterius tanquam medium ad finem, vel principia unius sunt conclusiones demonstratæ ab alia. Cf. PESCH. *Inst. Logic.* II, 1 nn. 1094 et sqq.

METAPHYSICA GENERALIS.

METAPHYSICA GENERALIS

SEU

ONTOLOGIA.[1]

Prologus. Pluries in Logica occurrit sermo de universalibus principiis, a quibus mens procedit ad veritates peculiares, ope syllogismi, inferendas, et in quæ redit analysi propriarum cognitionum. Hinc necessitas cognoscendi et statuendi naturam objectorum principum, seu universalium, ex quibus exurgunt in mente illa principia (L. 65, IV). Quæ investigatio scopus est Metaphysicæ generalis, seu, ut communi vocabulo dicitur, *Ontologiæ*, quæ idem sonat ac, *sermo de ente*, quia revera de transcendentibus agit, deque supremis rerum generibus. — Porro, de universalibus duo declaranda sunt, nempe eorum existentia, et eorum essentia. Igitur divisio Ontologiæ bimembris est : in *prima Sectione* de existentia universalium, in *secunda* de eorum natura est dicendum. Atqui ex universalibus quædam proprius dicuntur transcendentalia, quædam vero strictius universalia seu suprema rerum genera : de quibus omnibus, quantum patiebatur natura Logicæ, aliqua jam delibavimus in Dialectica (art. 4 et 5). Quia denique res non solum sunt, sed etiam agunt, necesse omnino est ut tractatum de natura transcendentium et universalium sequatur e vestigio tractatus de causalitate rerum. In quatuor igitur libros Ontologia distribuitur : in quo-

(1) AUCTORES CONSULENDI :
ARISTOTELES, IX. *Metaphysicorum.*
S. THOMAS. *Comm. in XI metaphysicorum. De ente et essentia.*
LEPIDI. *Elementa phil. christ.*, vol. II.
PESCH. *Inst. Logic.* II, 2.
HUGON. *Metaphysica ontologica*, 3 vol.
MERCIER. *Metaphysique générale.*
REINSTADLER. *Elem. phil. Schol. — Ontologia.*

rum 1° sermo est *de existentia universalium;* — in 2° *de transcendentibus;* — in 3° de universalium, proprie dictorum, natura, seu *de supremis generibus entium;* — in 4° *de causis* (1).

LIBER PRIMUS.

DE EXISTENTIA UNIVERSALIUM

Prologus. Hæc quæstio de universalibus communiter agitari solet in Logica, sed a communi hac methodo recedendum esse duplex mihi ratio potissimum suadet. Imprimis Logica superior, seu Critica, ut a recentioribus aptissime vocatur, nonnisi de Criteriis disserere debet, ut vox ipsa indicat; ac consequenter, ut in theologicis disciplinis exemplum splendidissimum primus exhibuit merito percelebris Melchior Canus in duodecim libris de *Locis Theologicis*, ad alias quæstiones excurrere non potest, quin proprios limites excedat. Deinde, ut ex superiori Prologo est manifestum, quæstio de universalibus ita intime connexa est cum Ontologia, cujus proprium est de universalibus agere, ut nescio qua de causa membrum proprium ei fuerit præcisum, et Logicæ, quasi di-

(1) Hæc philosophiæ pars quæ a Wolff *Ontologia* appellata fuit, ab Aristotele vocabatur *philosophia prima*, quia pro objecto habet ens ejusque generales determinationes, quæ sunt *primum* et *supremum* in omnibus rebus et scientiis; vocabatur etiam *metaphysica*, i. e. *transphysica*, quia *post physicam* proximo ordine tractanda est et quia de rebus transphysicis agit, i. e. de ente ut est ens.

Augustus Comte et Emmanuel Kant possibilitatem et existentiam metaphisicæ negarunt, asserentes mentem humanam cognoscere phænomena, facta experimentalia cum eorum successione et concomitantia; at nihil aliud. Sed cum per virtutem abstractivam intellectus rationes universales acquirantur quæ de rebus realiter existentibus vere et realiter prædicari possunt, sequitur quod Ontologia, quæ illas rationes universales respicit, sit *scientia realis*, habens ordinem repræsentationis ad ea quæ aliquo modo existunt. Cf. SENTROUL. *L'objet de la métaphysique selon Kant et Aristote.* Louvain, 1907.

Scopus Ontologiæ est *illuminare* intellectum primis notionibus et primis principiis, ut sic rite ad cognitionem eorum quæ sunt magis determinata intellectus instituatur ac preparetur.

Ex hoc apparet etiam hujus scientiæ *necessitas*. Nisi enim hæ primæ notiones et prima principia clare ac distincta percipiantur, nulla cognitio clara, distincta, solida ac certa est possibilis. Cf. LEPIDI. *Prolegomena Ontologiæ.*

cerem, contra naturam insertum. Oculatior S. Thomas, qui de universalibus copiose disserit in opusculo de *Ente et Essentia*, hoc est in Opere exclusive ontologico. De universalium igitur existentia primo loco in Ontologia dicemus : quam quæstionem unico Capite definire in animo est.

CAPUT UNICUM

DE EXISTENTIA UNIVERSALIUM

Prologus. Nolim mireris, lector optime, nos hic quæstionem movere de *universalium existentia*, contra illud verissimum vulgatumque effatum Aristotelis *scientiam non probare sed supponere ut certam proprii objecti existentiam;* nam nobis non est quæstio utrum existant nec ne universalia, sed ubinam existentiam habeant : quæ secunda quæstio valde diversa est a prima. — Circa existentiam universalium tres sunt opiniones, duæ extremæ et altera media. Alii enim sine distinctione, nonnisi existentiam nominalem aut idealem universalibus concedunt; alii contra, sine distinctione, docent universalia realiter existere; alii denique, præmissis distinctionibus, asserunt universalia aliqua ratione habere solummodo existentiam idealem, sed alia ratione revera existere extra nos in rerum natura. Ut igitur omnes istas opiniones ea qua par est diligentia discutiamus : 1° nonnulla scitu pernecessaria præmittemus; — 2° de Nominalismo sermonem habebimus; — 3° de Conceptualismo; — 4° de Realismo platonico; — 5° de Realismo aristotelico.

ARTICULUS PRIMUS

(1)

Prænotiones quædam.

I. Existentia universalium. Universale, ut abunde in Logica diximus (3, II), significat unum pluribus commune. Atqui quotidie nobis sermo est de hujusmodi objectis, quæ pluribus tribuuntur. Igitur universalia aliquo modo sunt : non enim de nihilo loquimur, cum de ipsis loquimur. Utrum vero existant in rebus, vel solummodo in vocibus, vel in intellectu, hoc est quod relinquitur definiendum, ut ex dicendis erit manifestum.

II. De primo modo quo potest considerari et de facto consideratur universale ; seu de universali UT EXISTIT IN SINGULARI. Quia diversas universalium acceptiones cognoscere magni momenti est, eas in hoc numero et in sequentibus exemplis illustrabo. — Dum dico : *Petrus est homo* (et idem dicito de aliis), affirmo prædicatum *homo* de individuo *Petrus*. Atqui *homo* sic acceptus exhibet notionem pluribus communem ut n. I dictum est. Sed quamvis in judicio illo, *Petrus est homo*, identitatem affirmem inter Petrum et hominem (L. 19, III), nihilominus dicere sine derisione non possum quod *Petrus* sit quid *universale* et *commune* pluribus, sicut et *homo*. Hoc autem ostendit manifeste quod *homo* in *Petro* retinet quidem totum id quod est hominis, sed alia tamen complectitur, nempe principia individuantia, ut more scholastico loquamur, quibus fit talis homo, nempe *Petrus*, et qua talis amittit rationem universalitatis. — Universale hoc primo modo consideratum, dicitur *universale ut existens in singularibus*, et verbo tenus est universale : revera enim singulare potius est dicendum.

III. Secunda consideratio universalis, seu de universali LOGICO. Deinde universale, non prout est in singularibus et in eis individuatum : sed in seipso considerari potest, et de facto consideratur : nempe reduplicative ut universale est, seu ut dicit sui communicabilitatem ad plura, ut ad inferiora quæ illud participant, et, quatenus participant, in determinata *unitate* specifica vel generica constituuntur, præcise ratione *unitatis* universalis specificæ vel genericæ. Ita, e. g., *homo* consideratur ut *species*, seu ut *una* natura communicabilis omnibus ac singulis individuis humanis, quæ ideo sunt *unum* unitate specifica. Universale, consideratum ut quid unum *relativum* ad inferiora quæ illud participant et ab eo denominantur, dicitur universale *formale*, seu *formaliter* sumptum, seu *relativum*, seu essentialiter *ideale*, seu *logicum*, seu *secundæ intentionis* (L. 2, IX), cujusmodi sunt *genera* et *species* (L. 4, III).

IV. Tertia consideratio universalis, seu de universali METAPHYSICO. Atqui unusquisque de facili intelligit, universale, e. g., *homo*, vel quodvis aliud, concipi non posse *formaliter*, seu ut quid commune et relativum pluribus, nisi antea quid in seipso sit intelligatur. Impossibile enim esset asserere *hominem* significare naturam individuis humanis communem, nisi antea sciretur quid in seipsa sit natura illa. Universale consideratum in seipso, prout scilicet exprimit

naturam quamdam, quæ per definitionem explicatur, ut cum dicitur, *homo est animal rationale*, vocatur universale *directum*, vel *metaphysicum*, vel universale solummodo *fundamentale* seu *fundamentaliter* sumptum : quia revera *relatio* qua constituitur universale proprie dictum, seu *logicum*, non esset, nisi præsupponeretur universale metaphysicum, cui talis relatio ut superaddita intelligitur.

V. Quarto consideratio universalis, seu de universali QUOAD REM CONCEPTAM et QUOAD MODUM CONCIPIENDI. Quod quidem universale metaphysicum, seu tale fundamentaliter, in se sumptum non dicit explicite nisi id quod convenit sibi secundum suam naturam, seu quod in ejus definitione ponitur, quin explicite enuntiet suam abstractionem vel non abstractionem ab individuis, vel relationem aut non relationem ad ipsa, et in ipsis existentiam vel non existentiam. Nempe nudam naturam exprimit, non incluso neque excluso alio elemento : ut, *homo*, in hoc sensu, dicit *animal rationale*. — Attamen nemo non videt quod *status* abstractionis ab individuis potest adjungi huic universali metaphysico, et prædicata nova admittere præcise ut consideratur sub hac ratione formali, scilicet in hoc abstractionis statu. Ita cum dicimus, e. g., natura humana, vel universale abstracte sumptum non potest esse nisi unum, *universale* accipitur ut dicit naturam in suo statu abstractionis ab individuis. — Universale metaphysicum in primo sensu acceptum dicitur universale *quoad rem conceptam;* in secundo sensu dicitur universale *præcisive* seu *quoad modum concipiendi.*

VI. Quinta consideratio universalis seu de universali CONCRETE et ABSTRACTE accepto. Denique universale ipsum metaphysicum duplici modo exprimi potest, *concrete*, ut *homo*, et *abstracte*, ut *humanitas*. Concrete significat aliquod totum, sicut omnia concreta (L. 2, VII), subjectum scilicet et formam; e. g., *homo* dicit *subjectum* habens *humanitatem;* abstracte vero nonnisi formam designat (L. *ibid.*) et consequenter non significat nisi partem totius expressi per universale concrete acceptum. — De his omnibus distinctionibus sæpe in suis Libris agit S. Thomas, præsertim vero in opusculo *De Ente et Essentia*, et quantum ipsæ scitu sint necessariæ ex dicendis in hoc ipso Capite plene erit manifestum.

VII. Quæstionis natura et gravitas. Quibus præmissis explicationibus quæritur : universalia, quæ aliquo modo existere diximus n. I. existuntne etiam realiter extra mentem nostram et in rerum natura? De cujus quæstionis gravitate

nemo qui philosophiæ historiam cognoscat dubitare amplius potest. « Postquam, inquit recte Genuensis, invaluit apud quosdam pantheismus, tunc tandem cognitum est quanti referret hæc universalia perpendere. » (Genuensis. Elementa Metaphisicæ, P. 1ª. *Potissimæ Propositiones Ontophysicæ et Cosmophysicæ*, c. VII.) Deinde scientia nostra est de universalibus; at quid est scientia nostra nisi mentis illusio, si universalia non existant reali extra nos existentia? Unde miror a viro doctissimo et prudentissimo Melchiore Cano, Lib. IX. *De loc. theol.*, Cap. VII. quæstionem de universalibus inter alias quæstiones subtiles et inutiles accenseri, in quibus Scholastici minoris subsellii mirifice deiectabantur : at eo tempore scribebat magnus Theologus, quo pantheismus vel idealismus in Scholis, non sicut nostris temporibus, grassabantur. Sed ad rem nostram est redeundum (1).

(1) Antequam ulterius progrediamur peropportunum ducimus adnotare quod *Materialistæ* contendunt omnia entia mundana esse *materialia* et quemlibet effectum viribus materialibus explicari posse. De materialismo loquitur Auctor in Cosmologia et Psycologia.

Positivistæ autem, cum nullum, aliud cognoscendi medium admittant nisi experientiam sensibilem, non negant directe existentiam entium spiritualium, sed negant eorum *cognoscibilitatem*. Juxta ipsos dictamina conscientiæ circa operationes nostras spirituales sunt *vanæ illusiones*, et unica via certitudinis acquirendæ est *cognitio sensitiva*. Quæcumque extra ambitum sunt hujus cognitionis sensitivæ non sunt neganda, sed *negligenda;* consequenter disciplinis deductivis valorem scientificum negant, scientiam Ontologiæ vilipendunt cujus obiectum illusio vel *nomen* (nominalismus) reputatur. Sic A. Comte, Littré, Taine, Spencer, Stuart, Mill. Hoc systema quia negat cognoscibilitatem eorum quæ experientiam sensuum transcendunt, ideo vocatur etiam *agnosticismus*. *Refutatio* hujus systematis fit per integrum cursum philosophiæ quoties ad cognitionem intellectivam ascendimus. Pro nunc sufficiat adnotare quod principium fundamentale positivismi — Sola sensibilia humana ratione sunt cognoscibilia — nullo modo probatur, sed gratis affirmatur; insuper hoc systema supponit ut certum spiritualia non esse cognoscibilia, quod manifeste dici nequit absque cognitione aliqua spiritualium; tandem experientia nostri intellectus constat quod sensibilia non exhauriunt totam vim cognoscitivam hominis. Licet enim cognitio humana a sensibilibus habeat initium — nihil in intellectu nisi prius fuerit in sensu — tamen negare oportet cognitionem nostram sensibilibus coarctari. Cf. REINSTADLER. *Criteriologia*, cap. III.

ARTICULUS SECUNDUS

(2)

De nominalismo.

I. **Nominalismi notio.** Quæstioni positæ n. VII. superioris articuli respondent nonnulli aiendo, universalia nihil objectivi in se referre, sed esse meras voces in nostris sermonibus usitatas. Ob hanc causam dicti sunt *Nominales :* quorum parens habetur Roscelinus Compendiensis, qui labente sæculo undecimo floruit. Nominalismum jam fere in scholis obsoletum renovavit sæculo decimo quarto, acriterque propugnavit Okamus; ipsique systemati adhæserunt sæculo decimo septimo et decimo octavo Locke, Condillac ceterique sensistæ, et illud vehementer placet positivistis nostræ ætatis, utpote aptissimum ad Metaphysicam evertendam, ut jam alibi innuimus (L. 63, II).

II. **Nonnulla historice circa Nominales.** Non desunt qui opinantur priores Nominales potius in modo quam in re a vera sententia circa universalia discedere; inter quos, quamvis loquatur dubitative, est Suarez, *Dispp. Metaphys.*, Disp. VI. Sect. II. §. I. cujus hæc sunt verba : « Merito reprehendendi sunt *(Nominales)* quoad aliquos loquendi modos, nam in re fortasse non dissident a vera sententia : eorum rationes huc solum tendunt, ut probent universalitatem non esse in rebus, sed convenire illis prout sunt objective in intellectu, seu per denominationem ab aliquo opere intellectus : quod verum est. » Nescio utrum hæc Suaresii opinio sit æque vera ac benigna est. Procul dubio difficile admodum videtur veteres nominales inter meras voces universalia retulisse : forte conceptualismum, qui revera in nominalismo includitur, aliis et aliis verbis docebant. Qua de re legi potest Victorius Cousin, *Fragments de Philosophie du moyen âge*, §. *Conceptualisme d'Abélard.* Attamen quæ S. Anselmus edisserit in Lib. *de fide Trinitatis, sive de Incarnatione Verbi contra Blasphemias Roscelini*, Cap. II. intelligi non queunt nisi de nominalismo stricte accepto, ut nempe distinguitur contra conceptualismum : exprobrat enim nominalibus quod docerent *non nisi flatum vocis esse universales substantias.* Et Anselmum multi sequuntur ex scriptoribus medii ævi. Verum quidquid sit de vera sententia veterum nominalium, illud unum certum est, postquam

sensistæ in scholas iterum irruperunt, quæstionem de nominalismo non modum loquendi, sed objecta ipsa atque scientiæ nostræ fundamenta respicere. Unde sit sequens conclusio :

III. Nominalismus purus est prorsus absurdus. Dico nominalismum *purum*, quatenus non complectitur conceptualismum, sed ab illo distinguitur. — Probatur conclusio. Nominalismus purus falso nititur supposito, vocabulorum naturam pervertit, et facto ipso sibi contradicit. Ergo nominalismus purus est prorsus absurdus. — *Consequentia* patet; probatur *antecedens* per partes.

Nititur falso supposito, nempe sensismo, cujus nominalismus est legitima consequentia, ut jam animadverterat S. Anselmus in Opere et loco supra citatis, et factum ipsum ostendit sensistarum et recentium positivistarum (L. 63, III), quibus vehementer arridet nominalismus. Et revera ponere quod universalia sint meræ voces, est omnem humanam cognitionem objectivam intra limites existentium rerum sensibilium concludere : quæ cognitio sensuum externorum et phantasiæ facultatem non excedit.

Vocabulorum naturam pervertit. Etenim vocabula a nobis non assumuntur neque ad aliud ordinantur nisi ad exterius exprimendos internos mentis conceptus : a qua significatione si abstrahatur, vocabula non sunt nisi meri soni, seu aliquid singulare sensibile. Sed vocabula, docentibus nominalibus, sunt universalia. Ergo non sunt universalia nisi quatenus exprimunt universales conceptus mentis. Consequenter nominales, nonnisi pervertendo naturam vocabulorum, possunt istis concedere exclusive universalitatem.

Facto ipso sibi contradicit. Nam nominalismus nobiscum agitat non quidem imaginatione sed ratione quæstionem circa existentiam naturarum universalium. Atqui nihil ratione statui potest, quod utcumque ratione non percipiatur, ut constat ex terminis : impossibile enim est de omnino ignotis judicium proferre. Ergo nominalismus facto ipso suo ponit menti inesse conceptus naturarum universalium, neque has in meris vocibus consistere sine aperta sui contradictione affirmare ei licet.

ARTICULUS TERTIUS

(3)

De conceptualismo.

I. Conceptualismi notio. Roscelini doctrinam acriter impugnavit Abælardus, ejusdem Roscelini olim discipulus, qui rudiorem formam nominalismi expolivit, in conceptualismum explicite eam transformando. Conceptualismus igitur concedit nominalismo, universale realiter non existere extra nos; at negat illud esse mere vocabulum, et docet revera existere idealiter in mente nostra : seu, sententia conceptualismi, universale est quædam *forma* seu *categoria*, quæ in mente nostra exclusive existit, et cui extra nos non respondet nisi *multitudo*, seu *collectio* individuorum.

II. De vera mente conceptualistarum. Si quis affirmaret conceptualismum veterum scriptorum fundari in æquivocatione *universalis*, forte, mea quidem sententia, a veritate haud aberraret. Modus enim loquendi quo Abælardus utitur non satis distinguit universale logicum ab universali metaphysico, neque hoc ultimum, quoad suas diversas acceptiones, quas supra enumeravimus (1, III. et seqq.), explicat. Quibus tamen distinctionibus non adhibitis, non facile est devitare æquivocationes et errorem. Potius rigido conceptualismo aperte favet criticismus Kantianus, quo asseritur menti nostræ inesse *formas* ingenitas *a priori*, inter quas sunt ipsa universalia; quibus utrum respondeat realitas extra subjectiva vel secus, ratio deprehendere nullatenus potest, quamvis natura sua feratur ad hujusmodi realitatem affirmandam. Hinc *antinomiæ* rationis (L. *artic.* 56). Sed jam quid sentiendum sit de conceptualismo dicendum nobis est. Sit igitur :

III Conceptualismus absolute spectatus rejici debet. Cur addam, *absolute spectatus*, patet ex iis quæ numero superiori notavi : nam, ut inferius dicam, universale sub aliqua ratione consideratum est exclusive aliquid ideale, at non sub omni ratione. Quocirca impugno conceptualismum absolute spectatum et prout a suis auctoribus, idealistis præsertim, explicatur. Quibus prænotatis, probatur conclusio. — Absurdum est ponere aliquid esse exclusive ideale, quod vere affirmatur realiter inesse alicui reali subjecto. Atqui universale aliquo modo vere affirmatur realiter inesse realibus

individuis subjectis. Ergo absurdum est ponere universale esse aliquid exclusive ideale. — *Major* est per se nota ex terminis. — Probatur. *Minor*. Sit hæc propositio : *Petrus est homo*. Sensu naturæ communi, ratione, idealistis ipsis consentientibus, illa propositio de reali subjecto *Petro* vera est, quia vere affirmatur prædicatum *homo* ipsi subjecto realiter inesse. Sed *τὸ homo*, prædicatum illius propositionis, est quid universale : designat enim id quod exprimitur in hominis definitione scilicet *animal rationale*, quod sicut realiter ac vere affirmatur de *Petro*, ita realiter ac vere affirmatur de omnibus individuis humanis, et hoc tum in concreto, ut cum dico : *Paulus* vel *Petrus* vel *Antonius est animal rationale*, tum in abstracto, ut cum dico : *Petrus habet humanitatem*. Igitur universale aliquo modo vere affirmatur realiter inesse realibus individuis.

IV Argumentis idealistarum satisfit. Placet imprimis audire ipsum Abælardum. — *Objectio prima*. « Speciem dico, inquit ille, esse non illam essentiam hominis solum, quæ est in Socrate, vel quæ est in aliquo alio individuorum, sed totam illam collectionem ex singulis aliis hujus naturæ conjunctam. Quæ tota collectio, quamvis essentialiter multa sit, ab auctoritatibus tamen una species, unum universale, una natura appellatur, sicut populus, quamvis ex multis personis collectus sit, unus dicitur. » (Apud Cousin, *Fragments de philosophie du moyen âge*, §. *Abélard*).

Resp. Paucis me expediam ab hoc Abælardi argumento. Etenim manifeste sumit Auctor universale in sensu exclusive logico (1, III); concedimus autem universale logicum esse quid mere ideale, ut vox ipsa *logicum* indicat. Sed hoc non probat universale quovis modo sumatur esse quid ideale, nisi daretur universale non posse accipi nisi in sua significatione logica; quod ex dictis in primo articulo hujus Capitis falsum est. Addendum insuper ab Abælardo universale falso definiri collectionem ex singulis individuis : non enim natura, quam universalem dicimus, collectio naturarum est, sed est essentia unica, quæ per definitionem exprimitur, et cui a mente adjungitur intentio *universalitatis*, ut supra explicavimus (1, III et IV).

Objectio secunda. Quod ut tale neque existit neque existere potest, et tamen a mente concipitur, est merus conceptus mentis. Atqui universale neque existit neque existere potest, et tamen a mente concipitur. Ergo universale est merus conceptus mentis.

Resp. Distinguo *minorem :* universale ut universale reduplicative, hoc est, retenta propria universalitate, neque existit ut tale, neque existere potest, *concedo;* universale ut simpliciter dicit *naturam* (1, V) non potest existere, *nego.* — Argumentum est sophisma a *secundum quid* ad *simpliciter* (L. 43, IV) : quia ex eo quod universale aliquo modo sumptum neque existit, neque existere potest, concluditur absolute quod nullo modo potest existere. — Concedimus siquidem universale logice acceptum non habere nisi in mente nostra existentiam; concedimus insuper universale metaphysicum prout explicite dicit nudam essentiam abstracte acceptam, vel præcisam a conditionibus individuantibus, reali gaudere existentia non posse; sed ex nostris hisce concessionibus nullum jus est idealistis concludendi absolute quod universalia sint quid mere subjectivum et ideale, quia, ut in articulo primo explicavimus, præter illos sensus alii dantur quibus universalia sumi possunt.

Objectio tertia. Subsumes : Atqui universale quocumque modo sumatur existere nequit. Ergo falsa distinctio data. Probatur : nam universale in se spectatum dicit *communicabilitatem,* dicit *necessitatem.* Atqui quocumque sensu intelligatur universale, si ponatur tamen quod realiter existat extra mentem, nullo ex illis characteribus insigniri potest. Ergo universale quocumque modo sumatur existere acquit.

Resp. Nego *subsumpt.* Ad ejus probationem, distinguo *majorem.* Universale in se spectatum, seu ut *natura* dicit essentialiter communicabilitatem, *nego;* accidentaliter, *concedo.* Ex parte vero *necessitatis,* pariter distinguo *majorem :* dicit necessitatem quoad existentiam, *nego :* quoad essentiam, *subdistinguo;* dicit necessitatem participatam, *concedo;* imparticipatam, *nego.* — Et in hoc sensu distinguo *minorem :* quocumque sensu intelligatur universale, posito tamem quod existat, non potest habere communicabilitatem, *concedo;* aliquam necessitatem et quoad essentiam, *nego.* — Hoc argumento nititur, in sua radice, totus criticismus idealisticus Kant, ad concludendum categorias esse formas a priori, id est subjectivas, et consequenter leges nostrarum cognitionum non ab objectis sed a subjecto ipso cogitante repetendas esse, ut in Logica diximus (*Artic.* 56). Ut autem vitium criticismi idealistici evidenter appareat, paulo fusius distinctiones datas ad argumentum explicabo.

Profundissime animadvertit S. Thomas. Opusc. *De Ente et Essentia,* Cap. IV. quod de universali considerato fundamentaliter, hoc est secundum naturam et rationem propriam (1, IV et V) nihil est verum dicere, nisi quod conveniat sibi secundum quod

hujusmodi. Unde quidquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio. Verbi gratia, homini, in eo quod est homo, convenit *rationale* et *animal*, et alia quæ in ejus definitionem cadunt, quatenus *per se* de homine dicuntur (L. 21, IV); *album* vero vel *nigrum*, vel quodcumque hujusmodi, quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo, sed aliunde et modo accidentali.

Ex quibus principiis indubitatis legitime infert S. Doctor quod universali naturæ sic acceptæ non *essentialiter* convenit esse unam (unitate numerica, nam unitas transcendentalis rei cuique convenit, quia convertitur cum illa. — L. 4, II) vel multiplicem, esse in intellectu vel extra intellectum, in individuis vel extra ipsa, communicabilem pluribus vel incommunicabilem. Et ratio est in promptu. Quod enim essentioliter alicui subjecto convenit ut pars ejus definitionis, ab eodem separari non potest; at universale de quo exclusive impræsentiarum loquimur, indifferenter consideratur, — ut unum in se et multiplex in individuis, — ut in intellectu existens præcisum a notis individuantibus et existens extra intellectum circumscriptum illis notis, — communicabile pluribus ut in se est, incommunicabile ut est individuatum. Ergo hujusmodi prædicata, *unum*, *multiplex*, etc., non conveniunt nisi accidentaliter universali sic accepto. Quocirca, quando Kant ex consideratione universalis, ut induit ex mentis consideratione aliquod ex hujusmodi prædicatis, concludit subjectivitatem universalis simpliciter sumpti, incidit in eamdem fallaciam, quam in responsione ad secundam objectionem notavimus.

Concessi autem universale, secundum naturam et rationem propriam consideratum, habere *necessitatem*, a Deo participatam, non quidem quoad existentiam sed solummodo quoad essentiam; sed hoc non officit quominus possit existere extra nos : nam universale, illo sensu acceptum, dicit naturam definitione expressam; quæ sive in se consideretur, sive in individuis et individuata, eamdem ipsam habet necessitatem : etenim *homo* in se est necessario animal rationale, et *homo* ut affirmatur de Petro in hac propositione, *Petrus est homo*, est etiam necessario animal rationale : nam necessitas essendi id quod est, seu essentia propria, non universali solummodo, sed individuis ipsis contingentibus convenit, quia individua non dicuntur contingentia quoad essentiam qua constituuntur, sed quoad existentiam.

Objectio quarta. Degerandus in sua *Histoire de la philosophie*, quem nonnulli alii scriptores sequuntur, hanc conceptualisticam doctrinam S. Thomæ tribuit : quibus assentiens Haureau in suo Opere, *De la Philosophie scholastique*, hæc scribit : « Abælar-

dus concludit realitatem in individuo solummodo esse; universale vero purum mentis conceptum. Haud diversimode loquitur S. Thomas. Atqui Deus est universale absolutum. S. Thomas igitur concludere deberet Deum esse meram ideam, merumque conceptum. Quam quidem blasphemiam ne proferat, in paralogismum incidere mavult, defendendo Dei realitatem. Quæ sane inconsequentia non solius est Doctoris Angelici, sed omnium nominalium medii ævi. » Hæc ille.

Resp. Nego prorsus assertum horum scriptorum utpote manifeste oppugnans veritatem. Nominalismum et conceptualismum rationibus S. Thomæ confutavi, et ejus moderatum verumque realismum defendam in ultimo articulo hujus Capitis. Nusquam vero S. Doctor docet universale esse merum conceptum mentis, ut absolute affirmat Haureau; quamvis enim Angelicus. I. *Contra Gentiles*, Cap. XXVI et LXV. Opusculo XV. *De substantiis separatis*, seu *de Angelorum natura*, Cap. II. et alibi, doceat universale esse solummodo in intellectu, id exclusive affirmat de universali logico vel de universali cum explicita præcisione ab individuantibus principiis, non vero de universali secundum ejus naturam expressam definitione, ut ex toto contextu doctrinæ in locis citatis patet et præsertim ex Opusculo *De Ente et Essentia*, ex quo in hac quæstione, sæpe verba transcribo. I. Sent. Dist. XIX. Q. V a. I. S. Thomas ait ! « Humanitas enim, est *aliquid* in re, non tamen ibi habet *rationem universalis*, cum non sit extra animam aliqua humanitas *multis communis;* sed secundum quod accipitur in intellectu, adjungitur ei per operationem intellectus *intentio*, secundum quam dicitur species. » — Supersedere possem a confutando paralogismo, quem Haureau Angelico affingit, quia numquam S. Doctor principium nominalisticum somniavit, sicut Haureau imaginatur; sed pauca tamen animadvertere in ipsum Haureau non pigeat. Deus, inquit Haureau, subsumendo contra S. Thomam, est universale absolutum : quæ assertio viam sternit, nisi probe intelligatur, maximis erroribus. Scholastici, et nos cum illis distinguimus : 1° universale *in causando*, quod scilicet potest producere multa; 2° *in repræsentando*, quod potest repræsentare multa; 3° *in essendo*, quod potest inesse pluribus et affirmari de illis. Quibus distinctionibus præmissis, dicimus utique Deum esse universale in *causando*, quia ab ipso omnia creata sunt, quæ Universum constituunt; dicimus insuper Deum esse universale in *repræsentando*, quia in ipso sunt ideæ archetypæ omnium rerum quæ ab ipso extra se fiunt; at vehementer negamus Deum esse universale in *essendo*, de quo unice est quæstio utrum realiter existat extra mentem vel secus. Nam hoc universale et

est in rebus et de rebus vere atque realiter affirmatur, sicut contra conceptualismum in hoc ipso articulo probavimus : non potest autem sine nota pantheismi affirmari quod Deus sit in rebus creatis tanquam forma quæ de ipsis possit prædicari.

ARTICULUS QUARTUS

(4)

De realismo platonico.

I. Realismi platonici descriptio. Realismus platonicus tum quoad suam originem tum quoad suam naturam graphice describitur a S. Thoma, P. I. Qu. LXXXIV. Art. I. his verbis : « Primi Philosophi, qui de naturis rerum inquisiverunt, putaverunt nihil esse in mundo præter corpus. Et, quia videbant omnia corpora mobilia esse, et putabant ea in continuo fluxu esse, existimaverunt quod nulla certitudo de rerum veritate haberi posset a nobis. Quod enim est in continuo fluxu, per certitudinem apprehendi non potest, quia prius labitur, quam mente dijudicetur, sicut Heraclitus dicit quod *non est possibile aquam fluvii currentis bis tangere*, ut recitat Philosophus in IV. *Metaphysicorum*. — His autem superveniens Plato, ut posset salvare certam cognitionem veritatis a nobis per intellectum haberi, posuit præter ista corporalia aliud genus entium a materia et motu separatum, quod nominabat *species* sive *ideas*, per quarum participationem unumquodque istorum singularium et sensibilium dicitur vel homo, vel equus, vel aliquid hujusmodi. Sic ergo dicebat, *scientias* et *definitiones* et quidquid ad actum intellectus pertinet, non referri ad ista corpora sensibilia, sed illa immaterialia et separata, ut sic anima non intelligat ista corporàlia, sed intelligat horum corporalium species separatas. » — Et Artic. IV. Angelicus addit : « Plato posuit formas rerum sensibilium *per se* sine materia subsistentes, sicut *formam* hominis, quam nominabat per se hominem; et *formam* vel ideam equi, quam nominabat per se equum : et sic de aliis. Has ergo formas separatas ponebat participari et ab anima nostra, et a materia corporali. Ab anima quidem nostra ad cognoscendum; a materia vero corporali ad essendum : ut, sicut materia corporalis, per hoc quod participat ideam lapidis, fit hic lapis; ita intellectus noster, per hoc quod participat ideam lapidis, fit intelligens lapidem. Participatio

autem ideæ fit per aliquam similitudinem ipsius ideæ in participante ipsam, per modum quo exemplar participatur ab exemplato. Sicut igitur ponebat formas sensibiles, quæ sunt in materia corporali, effluere ab ideis, sicut quasdam earum similitudines; ita ponebat species intelligibiles nostri intellectus esse similitudines quasdam idearum ab eis effluentes. »

II. De vera mente Platonis quæstio historico-critica. At quæstio hic movetur, utrum doctrina de *formis* seu de universalibus separatis revera sit Platonis, ut asserit Aristoteles et cum Aristotele S. Thomas aliique fere omnes Scholastici tenent; vel potius cum Augustino sit retinendum per formas separatas non aliud a Platone intelligi quam ideas æternas in mente divina existentes, ad quarum similitudinem supremus æternusque Artifex res omnes creatas efformavit. Henricus Martin in suis *Studiis in Timæum Platonis*, D. Affre in sua *Introductione ad studia philosophica Christianismi*, Scriptores Ephemeridis *La Civiltà cattolica* aliique bene multi recentiores, tenent cum Scholasticis. At Cousin variis in locis suorum operum, Carolus Jourdain in sua *Philosophia S. Thomæ Aquinatis* et alii cum illis, veriorem habent interpretationem S. Augustini, et præcipuum argumentum desumunt ex *Republica* et *Phædone* Platonis, quos libros, aiunt, quia Scholastici ignorabant, ab invidia Aristotelis in Platonem decepti sunt. — Utraque opinio suam habet probabilitatem. At quamvis cum S. Thoma secundam interpretationem probabilem existimem, primam tamen ut valde probabiliorem cum ipso Angelico censeo. Revera Aristoteles qui per viginti annos Platonis auditor fuit, sententiam veram Magistri sui ignorare non poterat : sed puto serio dici non posse falsam sententiam Platoni ab Aristotele fuisse impositam : etenim sufficit percurrere libros Aristotelis ut videatur quanti semper iste fecerit Magistrum; imo se platonicum dicit. Deinde non privatim sed publice Magistri sui doctrinam exponebat et refutabat, et quando maxime schola platonica florebat; quin tamen ex aliis discipulis Platonis ullus, quod sciamus, de calumnia impacta Magistro ab Aristotele conquestus fuerit. Ad S. Augustini auctoritatem quod attinet, respondere cum Angelico, P. I. Qu. LXXXIV. Art. V, possumus, ideas platonicas ab Augustino benignius acceptas esse et christiano sensu explicatas atque repositas in mente divina.

III. Refellitur realismus platonicus. Realismus platonicus in sensu augustiniano intellectus verissimus est, et nemo eum impugnat quin simul admittat Deum sine ideis et conse-

quenter sine cognitione, sed casu et temeritate rerum universitatem creasse. — At acceptus in sensu, quo exponitur ab Aristotele, est prorsus rejiciendus. Etenim hoc systema falso nititur fundamento, cognitionum nostrarum objecta destruit, et alia objecta penitus contradictoria fingit. Ergo systema platonicum est rejiciendum. — Probatur *antecedens.*

Nititur falso fundamento. Ideo enim Plato movebatur ad asserendas *formas* seu *ideas* universales et per se subsistentes, quia, ut ipse aiebat, res sensibiles utpote mutabiles et contingentes non possunt esse objecta scientiæ, quæ ideo firma est, quia est de rebus immutabilibus et necessariis. Unde concludebat Plato quærenda esse extra sensibiles res alia objecta universalia et necessaria, et per se existentia, quæ valeant esse scientiarum nostrarum objecta. Atqui hæc Platonis ratio nulla est. Nam sive scientia nostra consideretur ex principio a quo procedit, scilicet *definitione*, sive ex conclusionibus quæ sunt ejus proprium objectum (L. 41, III), ipsa non solum est de substantiis, sed etiam de accidentibus, ut de *virtute*, de *pulchritudine*, de *bonitate* et similibus. Si igitur ratio platonica valeret, non solum darentur formæ substantiales separatæ, sed etiam formæ accidentales per se existentes separatæ. Quæ tamen consequentia, Platone ipso consentiente, est aperte absurda : nam *esse formam accidentalem* et *esse aliquid per se subsistens* sunt ideæ omnino insociabiles (L. 8, VII).

Cognitionum nostrarum objecta destruit. Siquidem cognitiones nostræ circa res sensibiles quæ nos circumstant primo versantur, ut, earum natura percepta, ad alia cognoscenda legitima ratiocinatione evehamur. Atqui cognitio uniuscujusque rei perficitur per cognitionem substantiæ ejusdem rei, et non per cognitionem aliquarum substantiarum rei ipsi extrinsecarum. Sed in systemate platonico non naturæ intrinsecæ rerum sensibilium, sed formæ illæ, seu substantiæ separatæ, proprie et primo essent cognitionum nostrarum objectum; quæ substantiæ cum sint extrinsecæ naturis rerum sensibilium, per cognitionem earum nullatenus perficeretur nostra cognitio respectu sensibilium, quæ, in tali hypothesi non ratione, sed solo sensu perciperentur. Hinc merito concludit Angelicus, P. I. Qu. LXXXIV. Artic. I. : « Derisibile videtur, ut dum rerum, quæ nobis manifestæ sunt, notitiam quærimus, alia entia in medium afferamus, quæ non possunt esse eorum substantiæ, cum ab eis differant secundum esse. Et sic, illis substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus judicare possemus. »

Objecta contradictoria fingit. Et revera : ex sententia Platonis, et vi suæ doctrinæ, illæ ideæ seu formæ separatæ sunt universales, et ideo participabiles ab individuis; sed simul eædem formæ sunt per se subsistentes et existentes, ad invicem distinctæ nedum distinctione specifica sed etiam numerica, id est sunt individuæ atque ideo incommunicabiles, sicut cetera individua subsistentia. Proinde formæ platonicæ vi positionis sunt universales simul et individuales, communicabiles et incommunicabiles: quod est absurdum. — Quod si dicas formas platonicas esse universales in repræsentando vel in efficiendo; respondeo nobis hic non esse quæstionem de universalibus in efficiendo vel repræsentando, sed in *essendo*, ut superiori articulo jam notavimus in responsione ad quartam objectionem.

Alias rationes contra Platonem urget Aristoteles I. *Metaphysicorum*, quas late exponit S. Thomas Lect. XIV. et seqq. in eumdem Librum.

IV. Realismi platonici modificatio ontologistica. Realismus platonicus varias subiit, progressu temporum, modificationes, quas inter illam primo recensemus, quæ recte ontologistica dici potest. Ut enim supra innuimus, S. Augustinus formas, seu ideas platonicas, non ut per se existentes, sed ut existentes in mente divina explicavit. Nonnulli ergo dixerunt universalia esse ideas seu formas in mente divina existentes, quas mens nostra immediate intuetur, et quæ ideo objecta sunt tum definitionum, tum scientiæ nostræ, eo modo quo numero superiori explicavimus platonicæ doctrinæ fundamentum. Unde universalia, ut talia, realiter existunt extra mentem nostram, at non in rebus creatis, sed in mente divina. Hanc doctrinam post Malebranchium et Gerdilium prosecuti sunt recentiores ontologistæ, Vercellone, Milone, Fabre, Sans-Fiel, aliique. — Quod autem isti de universalibus dixerunt, Rosminius docuit de transcendentali *ente* vel *esse* (L. 4, 11), quod primo cadit in apprehensionem intellectus nostri, et de omnibus et singulis rebus essentialiter prædicatur *(ib.)*. Hoc enim *esse* seu *ens* Rosminius contendit esse *aliquid divinum in se*, realiter idem cum divina essentia et sola distinctione rationis ab eadem divina essentia distinctum (*Teosofia*, vol. IV. *Del divino nella natura*. Sez. I. Cap. I. n. 2, seqq. — Cf. nostr. *Propæd.* Lib. I. Cap. XII. Edit. 2ª) (1).

(1) Semel pro semper et debita reverentia erga tantum virum maxima scientia et virtute præditum, notamus *ens* qualiter a Rosmini concipitur evadere quodammodo omnia. Nunc est *veritas*,

V. Realismus ontologisticus admitti nullatenus potest. Probatur. Realismus ontologisticus extra quæstionem omnino vagatur, species universalium confundit, judicia nostra affirmativa aut impossibilia aut falsa statuit. Ergo admitti nullatenus potest. — Probatur *antecedens*.

Extra quæstionem vagatur. Quæstio enim de qua agitur tota est in designanda natura existentiæ, quæ convenit universalibus, per quæ naturæ rerum sensibilium intrinsece constituuntur in se, distinguuntur ab invicem, et ad quæ terminantur cognitiones nostræ scientificæ, ut rerum sensibilium sunt. Atqui asserere universalia esse ipsas ideas divinas, est quidem assignare suprema principia extrinseca et exemplaria rerum, sed non principia earum constitutiva, et non terminum qui sit natura ipsarum rerum, sed quid extrinsecum ipsis, nempe exemplare, ut supra in secundo argumento contra Platonem probatum est. Ergo realismus ontologisticus extra quæstionem vagatur, et nihil explicat.

Species universalium confundit. Et confirmatur ac magis urgetur præcedens argumentum. Nam de universali in *essendo* quæstio nobis exclusive est. At vero ideæ sunt *universalia* in *repræsentando* (3, IV, ad 4), ut omnes concedunt; neque sine absurditate dici possunt universalia in *essendo*, quia sequeretur quod ideæ divinæ essent in rebus ut constituentes earum naturam specificam, ac proinde haberetur pantheismus. Igitur realismus ontologisticus confundit species distinctissimas universalium.

Judicia nostra affirmativa aut impossibilia aut falsa statuit. In tantum enim judicia nostra affirmativa vera sunt, quia vera est identitas, quæ in omnibus judiciis affirmativis asseritur inter prædicatum et subjectum. Atqui tum universale tum transcendentale *ens* affirmatur de singularibus, ut cum dico *Petrus est homo*, *Petrus est ens*. Ergo in hujusmodi judiciis aut affirmatur identitas inter individuum et

---

imo veritas unica, universalis, absoluta qua omnia noscuntur; modo evadit *lumen rationis* quo anima e sensitiva fit rationalis; postea *forma esse divini*, *aliquid ipsius Verbi Dei*, *Deus ipse*. Aliquando evadit *ipsum bonum*, *suprema lex moralis*, *prima regula judiciorum moralium*, etc.; taliter ut sermo concludat: « Noi fermamente crediamo che tutti quelli i quali togliesser via la teoria dell'ente da noi pubblicata, sono costretti (eziandio che non vogliano) a rendere impossibile la moralità delle azioni ». Et sic patet cur in Philosophia persæpe fiat sermo sub diverso aspectu hujus ideæ entis a Rosminio propositæ. Cf. A. FRANCHI, *Ult. Crit.* vol. I, 49.

ideam divinam vel divinum esse, si universale vel transcendentale est divinum esse aut ipsa idea divina; et hoc est impossibile, sicut impossibilis est pantheismus; aut judicia omnia in quibus universale vel transcendentale affirmatur de singularibus erunt falsa.

VI. Solvuntur argumenta realismi ontologistici. Ne nimius præsens articulus evadat remitto ad sequentem articulum alias formas realismi platonici. Hic argumentis realismi ontologistici satisfaciam.

Objectio prima. Quælibet perceptio animi nostri est quid singulare, sicut singulare est quidquid existit in rerum natura; atqui idea abstracta, ut puta, triangulus in genere, qui est immediatum objectum cognitionis intellectivæ, non est quid singulare, sed universale; ergo triangulus in genere, et generatim idea abstracta, seu objectivum respondens tali ideæ, non potest esse nisi in Ente infinito, in quo objectiva illa universalia mens nostra immediate intuetur. Hæc Gerdilius, *Défense du sentiment du père Malebranche*, Sect. VI. Cap. II. n. 4.

Resp. Distinguo *majorem :* Perceptio animi subjective spectata, est quid singulare, *concedo;* objective spectata, est semper quid singulare, *nego.* Secundam partem *majoris* etiam distinguo : Omnis natura realiter existens, est singularis ratione sui, *nego;* ratione adjuncti, *concedo.* Et concessa *minori*, nego *consequens* et *consequentiam.* — In qualibet perceptione duo constanter sunt distinguenda, actio vitalis, qua anima percipit, et objectum perceptum, quod est terminus perceptionis. Prima dicitur perceptio objective spectata; alterum perceptio objective sumpta. Subjective spectata, perceptio est semper quid singulare, sicut singularis est facultas a qua manat, et anima a qua est ipsa percipiendi facultas. Sed objective spectata, perceptio est singularis vel universalis, secundum quod objectum perceptum est singulare vel universale (Cf. S. Th. II. *Sent.*, Dist. III. Qu. I. Artic. II. ad 3). — Deinde concedimus existentiam realem non competere nisi singularibus; sed in unoquoque individuo natura dupliciter considerari potest et debet. Uno modo ratione *adjuncti* secundum quod est *individuata*, talis nempe ut unius sit propria et nullo pacto dicatur esse alterius. Hanc essentiam individualem (quæ *hæcceitas* a Scholasticis dicebatur) ut in se est non cognoscimus, sed ipsam tamen ab accidentibus distingui, quæ illi essentiæ insunt, probe scimus; nam accidentia transeunt, essentia vero eadem manet. — Alio modo *natura* accipi potest *secundum se*, nempe ut est non propria uni individuo, sed multis etiam communis:

natura siquidem seu *essentia humana* dicitur de uno et dicitur de omnibus humanis individuis, et hinc dicimus quod Petrus, Paulus, Dominicus, etc., habent humanitatem. — Hanc naturam, quæ complectitur illa elementa solummodo quæ ejus definitionem ingrediuntur (ut in homine *animal rationale*), diximus (I. IV. seq.) esse universale fundamentaliter, et realiter existere in realibus singularibus; at eo ipso quod non existit nisi in singularibus, a singularitate seu a principiis individuantibus naturæ singularis contrahitur, et quod erat virtualiter atque implicite *talis* natura, fit *talis* actu et explicite.

Objectio secunda. Universale, ut puta, *species*, est exemplar æternum ac divinum, ad cujus similitudinem individua a Creatore formantur. Atqui hujusmodi exemplar non potest esse nisi in Deo, ut ex terminis patet. Ergo universalia non sunt nisi ideæ existentes in divina mente. — Ita argumentatur pseudonymus Joannes *Sans-Fiel*, in sua *Discussion amicale sur l'Ontologisme*, Dial. I. n. 30, quem alii ontologistæ sequuntur.

Resp. Nego *majorem* uti ponitur ab adversariis. Etenim universale aut consideratur absolute secundum suam naturam expressam per definitionem, aut logice, prout dicit unum quid relative ad inferiora. De his distinctionibus fuse diximus in primo articulo hujus Capitis. Absolute spectatum, universale non est exemplar divinum, sed exemplatum ab ipso, et ejus identitas affirmatur cum individuo, ut cum dico : *Petrus est animal rationale.* — Relative consideratum, prout nempe est species vel genus, est ens logicum seu *secundæ intentionis* (L. 2, IX), quod constituitur per relationem quæ universali ipsi fundamentaliter accepto a mente additur (3, IV ad 4); atque ideo non potest sine aperta absurditate cum ideis divinis confundi.

Objectio tertia. Universale est quid immutabile, necessarium et æternum. Quod autem est immutabile, necessarium et æternum, aut Deus est, aut est in Deo. Ergo universale realiter non potest esse nisi in Deo.

Resp. Distinguo *majorem :* Universale est quid immutabile, necessarium et æternum, quoad existentiam, *nego;* quoad essentiam, *subdistinguo :* immutabilitate et necessitate participata, et æternitate negativa, *concedo;* immutabilitate et necessitate imparticipata, et æternitate positiva *nego.* Et contradistinguo *minorem:* Quod autem est immutabile, necessarium et æternum imparticipate et tum quoad essentiam tum quoad existentiam, et æternitate positiva, aut Deus est, aut est in Deo, *concedo;* immutabile, necessarium et æternum participate et quoad solam essentiam, et æternitate negativa, *nego.* Et nego *consequens* et *consequentiam.*

— Omnis res creata, eo ipso quod est, propriam habet naturam qua constituitur, non quidem a se, sed a Deo participatam, a qua tamen abstrahi non potest, quin simul destruatur (3, IV, ad 3). Est igitur immutabiliter talis, necessario talis, et talis etiam independenter a loco, tempore, circumstantiis, etc., in qua independentia consistit æternitas negativa. At præter essentiam in se, consideratur etiam existentia realis illius naturæ : quæ existentia realis non necessario, neque immutabiliter, neque æterne ipsi rei creatæ competit; atque ideo ex parte realis existentiæ est mutabilis, contingens et temporanea. At contra. Deus est immutabilis, necessarius, æternus, quia est actus purus, seu talis essentia ut sit ipsa actualis existentia; et consequenter sicut essentia est inseparabilis a se ipsa, ita et actualis existentia in Deo est inseparabilis ab ejus essentia. — Et hæc satis sint ad argumenta realismi ontologistici : fusiori calamo illa expensa habes in Opere quod inscripsi, *Della luce intellettuale e dell' Ontologismo*, Lib. II. Cap. II-VI.

ARTICULUS QUINTUS

(5)

De duabus aliis formis realismi platonici.

I. Realismus empiricus. Gilbertus Porretanus, scriptor sæculi duodecimi, et Guillelmus Campellensis universalia, formaliter ut universalia, docuerunt esse formas neque per se existentes extra individua neque existentes in mente divina, sed in ipsis individuis existentes independenter a mentis consideratione; ita ut ipsa individua essent universalia. Horum realismus recte dici potest empiricus, quia revera, sicut individuorum, ita et universalium per experimentum sensuum cognitionem immediate acquireremus. Quidam tenent a sententia Gilberti Porretani et Guillelmi Campellensis vix ac ne vix quidem differre sententiam Scoti, qui voluit naturas in seipsis esse *formaliter* universales *a parte rei* ante omnem mentis considerationem, quamvis nonnisi per individua et in ipsis individuis existentes.

II. Refellitur realismus empiricus. Verum realismus empiricus admitti nullatenus potest. Etenim realismus empiricus non potest accipere universale nisi in sensu formali seu logico, aut in sensu directo, cum formali tamen præcisione ab individuationis principiis, sive in hac præcisione sumatur

abstracte sive concrete (1, III et seqq.). Atqui in neutro sensu universale extra mentem existit. Ergo realismus empiricus nequit admitti. *Major* disjunctiva completa est et vera ex dictis in primo articulo. Etenim universale sumptum formaliter ut individuatum in singularibus et in singularibus existens, singulare est, nec nisi improprie dici potest universale (*ibid.*, II); pariter universale consideratum secundum suam naturam, expressam per definitionem, non affirmata neque negata explicite relatione ad individua, non est formaliter universale (*ibid.*, IV). Igitur, si ut vult empirismus, universalia, ut universalia formaliter sunt, realiter extra mentem existunt, existere debent universalia vel in sensu logico, vel in sensu naturæ seu essentiæ ut præcisæ ab individuis. Declarata *majori* argumenti, probatur *minor*.

Universale logice acceptum realiter non existit extra mentem. Id imprimis patet ex ipso vocabulo *logice*, quod indicat universale hoc modo sumptum præ se ferre aliquid ipsi reali naturæ a ratione nostra superadditum (1, III). — Deinde. Universale logice acceptum est una natura pluribus tanquam inferioribus communis, sive illa natura dicatur genus sive species; ita ut, præcisa hac communicabilitate ad plura, jam cesset ratio universalis logici, ut ex his quæ in Logica diximus (3, II) abunde constat. Atqui naturæ ut existunt a parte rei extra intellectum, nedum non important, sed essentialiter excludunt sui communicabilitatem pluribus : absurdum enim et ridiculum est dicere quod *Petrus est species humana*, vel quod *Petrus est unum in multis*, vel quod *sub Petro coordinantur omnia individua humana*, sicut de universali logico dicitur. Ergo repugnat universale logice acceptum realiter existere extra intellectum.

Universale sumptum præcisive ab individuis non existit extra mentem. Etenim nihil realiter extra mentem existere potest quod individuum non sit : quidquid enim existit aut existere potest extra intellectum, certam atque determinatam habet naturam, in se indistinctam, distinctam a qualibet alia, propriis facultatibus atque actionibus donatam, aliisque similibus principiis designatam. Quæ omnia notæ sunt singularitatis (L. 3, II). Igitur universale sumptum præcisive ab individuis non potest poni extra mentem realiter existere, quin ponatur ipsum esse simul universale et singulare. Quod est absurdum. Qua de causa recte Angelicus eadem ratione concludit de universali logico et de universali sumpto in sensu præcisivo. — *Ratio speciei*, inquit (*De Ente et Essentia*,

Cap. IV.) *accidit naturæ humanæ, secundum illud* esse *quod habet in intellectu... Quod humanitas*, addit (P. I. Qu. LXXXV. artic. II. ad 2), *apprehendatur sine conditionibus individuantibus..., accidit humanitati secundum quod percipitur ab intellectu.*

III. **Realismus pantheisticus.** Ultima denique realismi forma est pantheistica. — Realismus sive platonicus sive ontologisticus ponit universalia, qua universalia sunt, vel per se subsistentia vel subsistentia in divina mente, at semper extra mentem nostram et extra individua; contra, nominalismus seu conceptualismus concedit realismo platonico universalia esse extra individua, sed negat ea esse extra mentem. Tertius venit realismus empiricus qui docet universalia, qua talia, esse quidem in mente, sed et insuper vult ea etiam esse in individuis : attamen retinet distinctionem inter universale ideale et universale reale. His supervenit realismus pantheisticus et sentit cum realismo empirico qua ex parte iste ponit realitatem universalis, sed negat ejusdem realismi empirici distinctionem inter ideale et reale, quia hæc vult esse identica. Igitur *idea* in forma pantheistica est ipsa realitas, imo unica realitas, seu ipsum esse reale : et omnia quæ sunt aut esse possunt non sunt nisi diversa *momenta*, quibus *ens*, seu *idea*, seu *absolutum* sese explicat et determinat; et est *natura*, quatenus ponit se extra se; est *spiritus*, quatenus ope conscientiæ ad se redit seque cognoscit. Hoc systema debetur Hegelio, cujus principia logica alibi exposuimus (L. 57, III et seqq.). « Systema Hegelii, inquit hegelianus Vera, componitur ex tribus partibus, ex *Logica*, ex *Philosophia Naturæ* et ex *Philosophia Spiritus*. Logica, Natura et Spiritus non sunt nisi partes unius et ejusdem totius. Sunt tres modi τῆς *Ideæ*, tres gradus quos ipsa percurrit et quorum connexio interna et necessaria constituit ejus unitatem et plenitudinem suæ existentiæ; seu, ut usurpemus formam loquendi hegelianam, sunt tres termini ex quibus componitur *syllogismus absolutus* cognitionis τοῦ esse. » (*Introduction à la philosophie de Hégel*, Chap. V. § I. page 179, 2e *édit.*).

IV. **Critica.** Realismi pantheistici absurditates rejecimus in Logica (*Artic.* 57), convellendo fundamenta systematis hegeliani. Videsis. — Deinde, non difficile est probare hujusmodi realismum aperte contradicere conscientiæ et manifesta implicari contradictione.

Contradicit conscientiæ. Ex ipsa enim scimus maximum intercedere discrimen inter *subjectivum* et *objectivum*, *idea-*

te et *reale* : nam judicia nostra, quæ ope idearum efformantur, non semper vera sunt, quia non semper adæquantur rebus de quibus judicamus. Signum est ergo quod *subjectivum* et *objectivum* non sunt idem : idem enim sibi non discordat. Unde ipse Hegel fassus est processum suum *idealem-realem* non omnibus hominibus posse esse persuasum; quinimo addit processum illum, seu identitatem *subjectivi et objectivi*, repugnare omnino fundamentalibus legibus *intellectus*, et non animadverti nisi a quadam superiori facultate, quam ipse *rationem* appellat; ita ut intellectus et ratio mutuo opponantur, et quod unus proclamat esse falsum, altera denuntiet uti verum!

Manifesta implicatur contradictione. Sed demus etiam *ideale* esse *reale*, et, si placet, demus esse reale etiam ipsum *esse* indeterminatum, quod justa placita Hegelii, in primo momento immediato est ipsum *non-esse* (L. 57, III); hoc *esse* hegelianum plane monstruosum esset : quia existere supponitur, imo additur ipsum sese explicare gradatim per varias species et genera et individua; sed simul non existeret, quia fingitur ut non habens naturam determinatam, quam tamen habere debet quidquid realiter existit. Ad rem S. Thomas, I. *Contra Gentiles*, Cap. XXVI : « Quod est commune multis non est aliquid præter multa, nisi sola ratione : sicut *animal* non est aliud præter Socratem et Platonem et alia animalia, nisi intellectu qui apprehendit formam animalis expoliatam ab omnibus principiis individuantibus et specificantibus. Homo enim est quod vere est animal : alias sequeretur quod in Socrate et Platone essent plura animalia, animal scilicet ipsum *commune*, et homo *communis*, et ipse Plato. Multo ergo minus et ipsum *esse* commune est aliquid præter omnes res existentes nisi in intellectu solum. Si igitur Deus sit commune *esse*, Deus non erit aliqua res existens, nisi quæ sit in intellectu tantum. » — Unde in hujusmodi pantheismum sapientissime animadvertit Concilium Vaticanum, Sess. III. Cap. *de Deo rerum omnium Creatore*, Can. IV : « Si quis dixerit... Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem, in genera, species et individua distinctam; anathema sit. »

ARTICULUS SEXTUS

(6)

De realismo temperato.

I. Realismi temperati natura. Realismus temperatus medius inter nominalismum seu conceptualismum et realismum platonicum consistit. Ex una enim parte concedit nominalismo et conceptualismo universale, *logice* acceptum, esse ens rationis non realiter existens extra mentem, imo contra realismum empiricum affirmat universale, reduplicative ut *abstractum* (1, VI) et *præcisive* sumptum (*ibid.*, V), habere realem existentiam solummodo in mente. Ex alia vero parte, contra conceptualismum et nominalismum, asserit cum realismo empirico, universale, quoad rem seu naturam conceptam et definitione expressam, realiter extra mentem existere non solummodo in Deo, ut vellent Ontologistæ, neque ut subjectum unicum subsistens, quod sit simul ideale et reale, ut volunt Hegeliani, sed in ipsis individuis realiter existentibus. Hunc realismum temperatum docuit primus Aristoteles, et postea expolitum magisque determinatum exponit passim et defendit S. Thomas, cui adhærent fere omnes Scholastici majoris nominis (si Scotistas excipias) et scriptores recentiores non pauci.

II. Sententia S. Thomæ. Quia S. Thomas a nonnullis accensetur conceptualistis (3, IV, *ob.* 4), a nonnullis vero inter realistas platonicos ponitur, dabit lector quod hic transcribam verba ipsa S. Thomæ, quibus evidentissime probatur neutri ipsum adhæsisse systemati, sed pro realismo temperato expresse stetisse: « Cum dicitur, inquit, universale abstractum, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei *(sine præcisione et quoad rem)* (1, V), et abstractio *(natura nempe sumpta in sensu præcisivo) (ibid.)*, seu universalitas *(scilicet universale ut tale seu logicum) (ibid.*, III). Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi vel abstrahi vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus *(et hoc contra nominales)*. Sed hoc ipsum quod est intelligi vel abstrahi vel intentio universalitatis, est in intellectu *(et hoc contra realistas absolutos)*. Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi sine ejus odore. Si ergo quæratur, ubi sit color qui videtur sine odore, manifestum est quod color qui videtur non est nisi in pomo. Sed quod sit sine odore perceptus,

hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter *humanitas*, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine : sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus *(in sensu præcisivo)*, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis *(qua constituitur universale logicum)*, accidit humanitati secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei et non individualium principiorum. » Hæc Angelicus, P. I. Qu. LXXXV, Artic. II ad 2, quibus adamussim concordant quæ ipsemet S. Doctor scribit in Opusc. *De Ente et Essentia.* Cap. IV.

III Realismus temperatus veram doctrinam circa existentiam universalium tuetur. Probatur. Realismus temperatus asserit universale non *logice* neque *præcisive* neque *abstracte* sumptum, sed secundum suam naturam expressam per definitionem realiter existere, non quidem *per se* neque solum in mente divina, neque in sola mente creata, sed etiam in singularibus realiter existentibus. Atqui hæc doctrina vera est tum ex eo quod universale ante omnem mentis operationem singularibus realiter inest, tum ex eo quod essentiam ipsorum singularium constituit. Ergo realismus temperatus veram doctrinam circa existentiam universalium tuetur. *Major* constat ex declarata natura realismi temperati. — Probatur *minor.*

Universale ante omnem mentis operationem singularibus realiter inest. Universale, inquam, in sensu explicato in *majori*, in quo sensu exclusivo in præsenti loquimur. Et revera, ut supra jam notavimus contra conceptualistas, ante omnem mentis operationem, seu abstractionem, verum realiter est quod *Petrus*, e. g., *sit homo*, quod *Paulus sit homo*, et sic de aliis : non enim *Petrus est homo* dependenter a mea ratione quatenus nempe ego id affirmo, sed hoc ipsum vere affirmo, quia in se et independenter a meo judicio *Petrus est homo :* quod si id negarem, non propterea Petrus non esset homo. Atqui quod ante omnem mentis nostræ operationem realiter verum est de aliquo subjecto, realiter inest eidem subjecto ante omnem ejusdem mentis operationem, ut ex ipsis terminis est manifestum. Ergo ante omnem mentis considerationem, universale realiter inest singularibus individuis realiter existentibus.

Universale essentiam ipsorum singularium constituit. Equidem individua humana, exempli gratia, non constituuntur realiter homines ex eo quod habent principia individuantia,

quibus ad invicem distinguuntur, sed ex eo quod habent naturam humanam, secundum quod hæc per definitionem exprimitur et constituit universale *quoad rem* (1, V). Atqui quod realiter constituit ens aliquod reale, realiter in ipso esse debet, ut ex ipsis terminis patet. Igitur universale, in sensu explicato acceptum, realiter est in individuis realiter existentibus, ut vere sustinet realismus temperatus (1).

IV. Solvitur difficultas. Dices : Hæc nostra sententia vix ac ne vix quidem differt a realismo empirico : quia cum realismo empirico admittimus universale ante omnem mentis operationem realiter existere in individuis.

Resp. Nego assertum. Ad ejus probationem, distinguo : ponimus universale *formaliter* vel *præcisive* sumptum existere ante omnem mentis operationem, ut ponit realismus empiricus, *nego;* universale solummodo quoad rem conceptam, *concedo.* Solutio patet tum ex prænotaminibus positis in primo articulo, tum ex iis quæ in primo hujus articuli numero diximus, explicando naturam realismi temperati.

Alias objectiones prætermittimus : sunt enim eædem, quæ ab idealistis adducuntur, et in articulo tertio solutæ sunt. Finem igitur facimus tractatui de existentia universalium : quærere enim quo pacto universalium ideæ menti nostræ insint, ad ideologiam proprio pertinet.

V. De modo loquendi recentiorum circa ABSOLUTUM. Si quis recte consideret universale, quod statuimus existere in rebus ipsis singularibus existentibus, cum exhibeat, ut sæpe diximus, naturam per definitionem expressam, aliquid necessarium refert, immutabile, æternum *negative*, ut supra dictum est (4, VI, ad 3). At hoc *immutabile* in rebus existens toto cœlo distinguitur ab accidentibus, quæ illud veluti circumdare intelliguntur imo et a notis individuantibus, quæ utique necessariæ sunt ad constituendam naturam singularis individui, sed mera accidentia sunt,

(1) Nominalismus igitur tenet universale in essendo reperiri totum in subjecto loquente; conceptualismus totum in subjecto cogitante; realismus platonicus totum in objecto; realismus ontologisticus totum in idea divina; realismus empiricus totum in objecto singulari; realismus pantheisticus, totum in subjecto simul et in objecto, cum ordinem idealem asserat eumdem esse ac idealem; realismus temperatus partim in objecto et partim in subjecto : non eo tamen pacto, quo ipsum esse naturæ universalis dividatur; verum eo modo quo in objecto sit individuantibus conjuncta et contracta notis, ab istis in subjecto sejuncta et abstracta.

si in ordine ad ipsam naturam, quæ ut universalis concipitur, spectentur. Potest igitur universale hoc sensu acceptum dici τὸ *essentiale* et *absolutum* ejusdem naturæ realis, per comparationem ad ea quæ illi accidunt, et quæ proinde hac ratione dici possunt *relativa* et *contingentia*. In hac significatione sumunt nonnulli recentiores *absolutum*, cum dicunt in *absolutum* reale scientiam nostram terminare, ut videre est in litteris datis ab Aloysio Ferri ad Comitem Mamiani et passim in alio ejusdem Auctoris Opere : *Essai sur l'Histoire de la Philosophie en Italie au dix-neuvième siècle*. Neque nos cum Scholasticis abhorremus ab hujusmodi significatione. At nonnulli, Hegeliani præsertim (5, III), illo vocabulo *absoluti* abutuntur ad significandum universale, de quo hucusque sumus locuti, ut simpliciter absolutum : cumque inter universalia maximum sit *ens*, et ens in hoc suo statu abstractissimo sit unum et unicum, illud statuunt ut principium, cujus cetera tum idealia tum realia haberi debeant ut simplices qualitates seu modificationes non habentes entitatem propriam in seipsis. Hoc sensu negamus universalia, quorum existentiam realem in individuis affirmamus, esse quid *absolutum*. Quam vero sint necessariæ hujusmodi distinctiones, illi probe sciunt qui idealistas recentiores legunt : isti enim, ex æquivoca definitione *absoluti*, viam sibi sternunt ad pantheismum inducendum. Distinguamus absolutum *simpliciter* ab absoluto *secundum quid*, seu in comparatione ad relativa et accidentia, et sciemus utriusque naturam, et rationem absoluti secundum quid, non autem absoluti simpliciter, universali in *essendo* (3, IV, ad 4) convenire fatebimur (1).

(1) Qui de hac quæstione plura cupit adeat ZIGLIARA. *Della luce intellettuale*, ecc. lib. I, cap. VII, et sqq.

LIBER SECUNDUS.

DE TRANSCENDENTIBUS

Prologus. Determinata existentia universalium, ad eorum naturam explicandam accedimus *(Prolog. gener. in Ontolog.)*. Inter vero universalia quædam in Logica distinximus, quæ extra omnem speciem omneque genus posita, sunt ultimus terminus in quem resolvuntur peculiares nostri conceptus, quæque proinde *transcendentia* in Scholis nominantur, non quidem sumpto vocabulo *transcendens* in sensu Kantiano ad significandum illud quod excedit vires mentis humanæ, sed in sensu scholastico ad designanda objecta quæ sunt supra genera et species (L. 4, II; 56, II). Inter transcendentia autem primum locum habet *ens*. Unde methodi syntheticæ leges secuti ab *ente* exordimur : atque de ente secundum se, *primo loco* dicemus; *deinde*, de entis proprietatibus; *tertio*, de entis divisionibus secundum varios perfectionis gradus.

CAPUT PRIMUM

DE ENTE

Prologus. Acturi in hoc capite de ente, ejus naturam *præprimis* declarabimus. *Deinde* dicemus de notionibus quæ immediate in mente pullulant ex tradita entis notione, scilicet de *potentia* et *actu*. Et quia potentia in subjectivam et objectivam dividitur, de prima quidem in eodem *secundo* articulo, de objectiva vero in *tertio* articulo sermo habebitur. Quæ omnia eo nos ducunt ut edisseramus in *quarto* et sequentibus articulis de essentia et existentia, quæ se habent ut *potentia* et *actus* respectu ipsius entis.

ARTICULUS PRIMUS

(7)

De entis natura.

I. **Entis notio.** Notio *entis* communissima est, et unicuique pervia, cognitione saltem cōnfusa; et nomine entis communiter intelligitur, *id quod existit, aut saltem existere*

potest. Quæ enim intrinsecus repugnant, nullatenus dicuntur entia. Ab hac communi sententia in *entis* acceptione non recedimus.

II. De ente reali et ente rationis. Ens autem hoc sensu acceptum dividitur in ens *reale* et ens *rationis*.

Ens reale. Quia *ens* diximus definiri vel describi per ordinem ad *esse* seu existentiam, dicitur ens *reale* id quod habet vel potest habere *esse* in rerum natura. Quo sensu dicimus mundum, homines, Deum esse entia realia. Subdividitur in *actuale* et *possibile*. Dicitur *actuale*, si habeat actualiter existentiam in rerum natura; dicitur vero *possibile*, si existentiam actualiter non habeat, sed solummodo eam possit habere. — Communiter autem *reale* dicitur id quod actualiter existit; quod vero actualiter non existit, sed tamen potest existere, dicitur *possibile*, et etiam *ideale*.

Ens rationis. Ens *rationis* dicitur per oppositum ad ens *reale*, et est illud quod neque existit neque existere potest in rerum natura, sed suum totum *esse* habet in apprehensione rationis, seu est, *id quod habet* esse objective *tantum in intellectu*. Quam definitionem sic declarat Goudin in sua *Philosophia*, IV. Part., Disp. II. Qu. IV. *Appendix*, Artic. I : « Tripliciter aliquid potest esse in intellectu, *subjective, effective* et *objective*. Ea sunt subjective in intellectu, quæ ipsi inhærent tanquam accidentia subjecto, ut *habitus* et *species intelligibiles*. Ea sunt effective in intellectu, quæ ab illo producuntur tanquam motus vitales ab eo physice procedentes; ejusmodi est ipsa intellectio. Ea vero sunt objective in intellectu, quæ ab illo pure apprehenduntur. Ens igitur rationis est, quod habet tantum *esse objective* in intellectu, id est, cujus totum *esse* in eo consistit ut apprehendatur. Ex quo infertur non esse meram denominationem extrinsecam, sed aliquid ad modum entis apprehensum. » — Hinc intelligis recte a Scholasticis teneri Logicæ formale objectum esse *ens rationis*. Logica enim, præcipue Dialectica, tota est in disponendis rebus ut melius a mente percipi possint : quæ dispositio non in rebus ipsis sed in sola mente existit.

III. Distinctio rei ab ente. Duo autem in ente concipimus, sicut et in quolibet concreto (L. 2, VII), nempe *subjectum* existentia affectum, et *formam* seu ipsam *existentiam* qua subjectum illud afficitur. Subjectum illud dicitur *essentia*, vel *res*, vel etiam *ens substantive*, seu *nominaliter* sumptum. Idem vero subjectum concrete sumptum, seu ut affectum existentia, dicitur *ens* sumptum ut *participium*, et etiam *ens*

↑ Ens est concretum significans simul formam (existentia realis) et subjectum ejus (essentia vel res).

simpliciter; nam, ut sæpe docet Angelicus, *ens est id cujus actus est esse*, nempe existere. — Hæc theoretice : in praxi enim *res* et *ens* promiscue usurpantur, et nonnisi ob quæstionum necessitatem illa distinctio inducitur.

IV. Distinctio rei ab ente antiquioribus philosophis notissima. Genuensis in sua Metaphysica, P. I. Cap. I. §. I. *Schol.*, postquam probavit distinctionem rei ab ente, eam a se primum in scientias invectam asserere his verbis videtur : « Quum autem hucusque *Res* et *Ens*, quorum vocabulorum notiones nos distinguimus, apud metaphysicos pro eodem usurpata sint, quæretur fortasse ex nobis, qua ratione dispescuerimus. Quibus respondemus id factum, ut commodius cogitationes nostras explicaremus : quæ non levis causa est, cur philosophus novas vocabulorum definitiones tradat. » At hæc Genuensis assertio factis est minime consona. Etenim. Qq. Disp., *De veritate*, Q. I. Artic. I. hæc habet S. Thomas : « Hoc nomen... *res*... in hoc differt ab *ente*, secundum Avicennam, quod *ens* sumitur ab actu essendi, sed nomen *rei* exprimit quidditatem sive essentiam *entis*. » Et I. Dist. XIX. Qu. V. Art. I. ait : « Cum... in re sit *quidditas* ejus et suum *esse (existentia)*, veritas fundatur in *esse* rei magis quam in quidditate; sicut et nomen *entis* ab *esse* imponitur. » Fusius etiam, Lect. II. in IV. *Metaphysicorum*. Imo ipse titulus Opusculi *De Ente et Essentia* præfatam distinctionem indicat manifeste.

V. De conceptu formali et de conceptu obiectivo entis. Opportunum ducimus hoc loco declarare distinctionem inter conceptum formalem et conceptum objectivum *entis*, quæ aliis mentis nostræ conceptibus communis est (L. 1, VII), et quæ maxime confert ad evitandas confusiones satis frequentes in hujusmodi rebus abstractis, non sine magno veritatis detrimento. Itaque conceptus formalis est ipsa mentalis conceptio, qua mens sibi rem exprimit mentali locutione, et *in qua* rem ipsam intelligit : unde etiam dicitur *verbum* mentis, sicut id, per quod ore aliis rem ipsam conceptam exterius manifestamus, vocatur verbum orale. Dicitur autem conceptus ille *formalis*, ut recte notat Suarez, *Dispp. Metaphys.*, Disp. II. Sect. I. §. I. « vel quia est ultima forma mentis, vel quia formaliter repræsentat menti rem cognitam, vel quia revera est intrinsecus et formalis terminus conceptionis mentalis, in quo differt a conceptu objectivo. » — Conceptus vero *objectivus* est res ipsa, seu objectum, quod proprie et immediate per conceptum formalem et in ipso conceptu formali cognoscitur ac repræsentatur. Hinc *triangulus*, e. g.,

ut expressus a mente et in mente, est conceptus *formalis;* triangulus ipse, ut terminus ad quem refertur conceptus formalis, est conceptus *objectivus.* Recteque dicitur *objectivus*, quia revera non est forma intrinsece terminans conceptionem, ut conceptus formalis, sed est materia circa quam versatur et ad quam terminatur, ut dictum est, intellectus vi formalis conceptionis. — Nemo igitur non intelligit discrimen quod inter unum et alium conceptum intercedit. « *Formalis*, inquit *loc. cit.*, ipsemet Suarez, semper est vera ac positiva res, et in creaturis qualitas menti inhærens, *objectivus* vero non semper est vera res positiva : concipimus enim interdum privationes, et alia quæ vocantur entia rationis, quia solum habent esse objective in intellectu (*sup.*, n. II). Item conceptus formalis semper est res singularis et individua, quia est res producta per intellectum, eique inhærens; conceptus autem objectivus interdum quidem esse potest res singularis et individua, quatenus menti objici potest et per actum formalem concipi; sæpe vero est res universalis vel confusa et communis, ut est *homo*, *substantia* et alia similia. » Cf. Cajetan. *Comment.* in Lib. *De Ente et Essentia*, Cap. I. Qu. II. §. *Secunda est ista.* — In comperto est in hoc tractatu *ens* sumi secundum conceptum objectivum.

VI. Entis seu rei dotes. Ex tradita entis seu rei notione jam scire possumus quibus dotibus res insignitur. Principaliores atque utiliores recensemus.

Prima dos. Ens est maxime transcendens. Etenim, ut in Logica jam probavimus, resolvendo per analysim omnes nostros conceptus objectivos in species, genera, genera suprema, ad *ens* pervenimus; quo habito, ultra progredi non licet, quia præter ens est *nihilum* seu negatio. Maxime autem transcendens est illud, quod est ultimus terminus analysis cujusque conceptus nostri objectivi.

Secunda. Ens ut quid simplicissimum menti exhibetur. Analysis enim divisio quædam est. Quod vero ne mente quidem partibile est, ut quid simplicissimum jure habetur. Est autem ens ultimus terminus ad quem per analysim pervenitur, ut dictum est. Ergo ens ut quid simplissimum menti exhibetur.

Tertia. Ens est quid communissimum, inclusum nempe in omnibus sive genericis, sive specificis, sive individualibus, sive quocumque modo determinatis rebus, uti earum prædicatum essentiale. Et revera, *individuum* est *ens*, *species* est *ens*, *genus* est *ens*, quidquid concipitur ut habens aliquam

essentiam est ens : deme ens, et eo ipso negas individuum, speciem, genus, aliaque entia determinata, quæ procul dubio talia sunt quia entia sunt. — Hæc dos est proprie *entis* ut est *res*.

Quarta. Ens proprie non est genus, neque species. Sequitur ex præcedenti dote. Siquidem genus trahitur ad speciem per differentiam a se distinctam, hoc est positam extra id quod intelligitur in natura generis : secus ubicumque esset genus, haberetur differentia, quod est falsum : non enim ubicumque invenitur animalitas, est simul rationalitas. Atqui nulla differentia dari potest extra ens, seu quæ ens non sit, ut ex dictis patet. Ergo ens proprie non est genus, neque species. Cf. S. Th. *Contra Gentiles*, Lib. I. Cap. XXV. et P. I. Qu. III. Artic. V.

Quinta. Ens non est quid univocum generibus, speciebus, individuis, vel rebus quocumque modo determinatis, seu non *eadem ratione* de omnibus istis prædicatur (L. 3, VI). Scholastici multis adductis rationibus hanc entis dotem probabant contra Scotum : nos hac sequenti ratione contenti erimus, scilicet : Notio univoca est semper generica vel specifica, in qua species aut individua conveniunt eadem ratione; differunt autem per differentias proprias extra notionem illam univocam positas, ut in quarta dote declaranda dictum est. Cum igitur ens nequeat proprie dici genus, neque species, nec univocum proprie dici potest (1).

(1) Scotus affirmat hanc notionem objectivam entis de suis inferioribus prædicari posse secundum rationem omnino eamdem, idest *univoce*.

S. Thomas et hodie philosophi communiter docent uti Auctor. Rosmini autem conciliationem utriusque tentavit, ita procedens : Si ratio objectiva entis consideratur prout est in re, determinata a modo essendi Dei et creaturæ, sic planum est, ipsam *analogice* prædicari. At ratio objectiva entis, si de Deo et creaturis prædicatur, *servando eum modum secundum quem ipsa concipitur ab humano intellectu*, quo1 scilicet prædicetur ut ratio una, simplicissima, ab omni determinatione essendi separata, tunc bene potest *univoce* prædicari : sic enim accepta, de omnibus prædicatur sub una, eademque simplicissima notione. — Cf. *Nuovo Saggio* delle idee, vol. III, sez. 7, cap. 7, a. 2; Lettera sull' *univocità dell' ente*, 16 marz, 1846.

Sed « *tentamen Rosmini conciliantis hac in re Thomam et Scotum, vanum est, a veritate prædicationis alienum.* Enimvero, quando fit sermo de prædicatione univoca vel analoga entis. unitas, quæ pro tali prædicatione requiritur, non est unitas se tenens ex parte rationis subjectivæ *prout considerationi intellectus subjicitur;* sic enim chimerica esset prædicatio : sed est unitas se

Sexta. Ens proprie non est universale. Est corollarium eorum quæ dicta sunt. Universalia enim divisimus in Logica (4, III) in genera, species, differentias, propria et accidentia, quæ *univoce* prædicantur de inferioribus, ita ut si sustuleris ab universali rationem univocationis, eo ipso ejus naturam perimas. Diximus autem ens neque genus aut speciem esse, nec quid univocum. Proprie igitur non est universale, ut recte animadvertit Aristoteles, Lib. IV. *Metaphysic.*, cujus doctrinam egregie *ibid.*, lect. IV, illustrat S. Thomas. Sæpe tamen concedimus enti universalitatem, non quidem ratione univocationis, quasi ad aliquod prædicamentum (L. 6, I et seqq.) pertineat, sed quia, ut diximus, ratione suæ maximæ *transcendentalitatis*, est essentiale omnium prædicatum.

Septima. Ens a nobis definiri propria definitione non potest. Est alterum corollarium præcedentium. Etenim omne quod propria definitione definitur : 1° componitur ex genere et differentia; 2° consequenter est in aliquo genere;; 3° et ideo suscipit differentiam extraneam suo generi. Quæ tres conditiones, quas in Logica de definitione agendo probavimus, repugnant enti, ut ex dictis liquet. Non igitur ens a nobis propria definitione definiri potest, quamvis sit notio omnibus communissima et clarissima.

Octava. Entia generica, specifica, individua, vel quocumque alio modo determinata, non sic ad invicem distinguuntur quasi per differentias extraneas *enti*, sed quatenus exprimunt diversum essendi *modum*, qui solo ente non exprimitur. Est pariter alterum corollarium. Namque ens est quid commu-

---

tenens ex parte rationis objectivæ, *prout est in re*. Siquidem ratio quælibet objectiva cum prædicatur de suis inferioribus, comparatur cum ipsis secundum totam eam formalitatem quam habet a parte rei. Et proinde formalitas illa entis de cujus prædicatione quæritur, si reipsa secundum similitudinem omnino eamdem in pluribus reperitur, tunc *univoce* prædicatur; si autem secundum aliqualem proportionem tantum, tunc *analogice*. Atqui ratio objectiva entis, etsi confuse percepta et ab inferioribus abstracta, ut una et eadem obversetur menti; comparata tamen cum ipsis non est omnino eadem et uniformis, sed diversa in diversis cum aliqua proportione tantum et convenientia. Ergo *analogice* tantum prædicatur ». Cf. P. Lepidi, *Ontologia*, cap. II, p. 24.

Ens igitur non dicitur *univoce* de omnibus, quia non prædicatur de omnibus *eadem* ratione; neque dicitur de omnibus *diversa* ratione; verum *analoge*, quia prædicatur de omnibus *simili* ratione.

Alias rationes pro prædicatione analoga vide apud P. Hugon, *Ontol.*, tract. I, q. 1, a. 2.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nissimum, hoc est prædicatum essentiale omnium rerum, quod propterea non suscipit differentias sibi extraneas. Ergo entia non ad invicem differunt per differentias, quæ entia non sint. At differunt tamen. Ergo differunt per ipsum ens magis minusque in ipsis explicatum, sicut duo lucida non differunt in ratione lucis, sed in ejusdem lucis intensitate.

Nona. Hinc ens, quamvis genus non sit, ut diximus, et ideo non *univocum*, est tamen quid *analogum* (L. 3, VI et VII) respectu eorum omnium, quibus tribuitur. Non enim *æquivoce* (L. 11, I et II) ens dicitur de rebus diversis, sed quatenus hæ omnes, quamvis non eodem modo, conveniunt in communi ratione *essendi* : quod sufficit ad rationem *analogiæ*.

VII. De tertia acceptione entis. Hucusque *ens* consideravimus vel prout dicit essentiam, vel prout importat etiam existentiam. Sed tertio quoque modo *ens* sumitur prouti est *copula* judicii vel propositionis (L. 18, I) et ejusdem propositionis veritatem significat. Hoc tertio modo « potest dici *ens* omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat; per quem modum privationes et negationes *entia* dicuntur : dicimus enim quod affirmatio est opposita negationi et quod cæcitas est in oculo. » At prioribus modis, « non potest dici aliquid quod sit *ens*, nisi quod in re aliquid ponat, » et in hoc sensu, « cæcitas et hujusmodi non sunt entia. » S. Th. *De Ente et Essentia*, Cap. I (1).

ARTICULUS SECUNDUS

(8)

De potentia et actu (2).

I. Ratio articuli. In superiori articulo diximus *rem* ab *ente* differre in hoc quod *res* dicit *essentiam* seu subjectum quoddam, cui intelligimus supervenire perfectionem, quam *existentiam* nominamus, et qua *res* fit *ens* seu *existens*.

(1) Enti opponitur *nihilum*, de quo Auctor loquitur infra, (O. 9, IV), ubi de potentia objectiva. — Quamvis autem hæc omnia videantur subtilia et prima fronte forsan inutilia, tamen notandum ex confusione harum notionum procedere maximam partem deliramentorum Hegel. — *De negatione entis* cf. Pesch, *Inst. Logic.*, II, 2, 1214, sqq.

(2) Privationes et negationes realiter et objective sunt non entia, seu non sunt entia; logice tamen et intentionaliter sunt entia, quia cognoscuntur ad modum entium; cognoscuntur entia,

Quæ duplex consideratio exhibet conceptus *potentiæ* et *actus*, de quibus in hoc articulo pauca explicabimus, ut jam in prologo promisimus.

II Notio potentiæ. Nomine *potentiæ* communiter intelligitur, *principium* seu *aptitudo aliquid suscipiendi vel faciendi :* ita in rege est potentia condendi leges; in cera est potentia suscipiendi figuram. Privatio potentiæ dici solet *impotentia.*

III. Potentiæ species. Exinde inferuntur diversæ potentiarum species.

Potentia logica, quæ et *objectiva* dicitur, et etiam verius, mera *possibilitas*, est *pura non repugnantia ad existendum*, seu idealis aptitudo ad existendum fundata in non repugnantia idearum. Hinc dicimus potentia logica esse possibiles plures alios mundos, quia hæc propositio, *plures mundi existunt*, spectata natura ideali tum *pluralitatis* tum *mundi* tum *existentiæ*, nullam includit repugnantiam. Objectum præditum potentia logica dicitur *possibile, logicum, objectivum, ontologicum.* — Cf. S. Th. in IX. *Metaphysic.*, Lect. I.

Potentia realis est aptitudo ad aliquid fundata non in sola et mera non repugnantia, ut de potentia ideali dictum est, sed in reali entitate subjecti, cui talis potentia tribuitur. Unde realis *potentia* esse nequit nisi in subjecto jam existente, et propterea dicitur *subjectiva*. Ita homini existenti inest potentia *realis* ad habendas perfectiones, et inest etiam potentia realis ad *non-esse*, quia mors ei accidit ex intrinseca natura sui corporis, quod ex se corruptibile est. — Ceterum, quia quidquid possibile est potentia ideali seu logica seu mere objectiva, est etiam possibile potentia *reali* omnipotentis Dei, hinc notat Cajetanus (in P. I. Qu. IX. Artic. II, §. VI.) « possibile *logicum* vocari posse etiam possibile *reale, extrinsece* tamen, quia per potentiam in alio »; cum contra possibile potentia reali tale sit per potentiam intrinsece existentem in ipso. Quod ut intelligas, sume duas istas propositio-

---

quorum sunt defectus.

Cf. Domet de Vorges. *L'acte et la puissance, Annales de phil. chrét.*, août 1886.

Farges, *Théorie fondamentale de l'acte et de la puissance, du moteur et du mobile.*

Card. Mercier, *Ontologie.* Troisième partie, chap. II.

Gardeil, *Diction. de théolog.*, V. *Acte.*

Baudin, *L'acte et la puissance dans Aristote.* Revue thomiste, 1899, 1900.

Hugon, tome V, pp. 28-49.

nes : *Brutum habet potentiam ad non-esse; Anima humana habet potentiam ad non-esse.* In prima propositione potentia est realis et intrinseca, quia brutum natura sua subjicitur corruptioni; at in secunda propositione potentia est *logica*, quia, absolute loquendo, non repugnat quod anima humana non existat, sed non est potentia realis intrinseca, quia anima humana est natura sua intrinsece incorruptibilis. Et nihilominus potentia illa logica est *realis*, non in ipsa anima, ut dictum est, sed in Deo, qui sua omnipotentia *absoluta* posset animam humanam in nihilum redigere, sicut ex nihilo traxit eam ad realem existentiam.

Potentia activa. Potentia *realis* alia est activa, et est aptitudo seu principium agendi; ita voluntas dicitur potentia agendi, hoc est eliciendi virtute propria actionem quæ dicitur volitio.

Potentia passiva. Altera potentia *realis* est passiva, quæ definitur a S. Thoma in V. *Metaphysicorum*, Lect. XIV : *Principium per quod alicui competit ut moveatur vel patiatur ab alio* (Ed. P., fol. 68, col. 3. — Cf. ib., Lib. IX. lect. I, fol. 116, col. 2). Ita dicimus in marmore, vel ligno, vel tela esse potentiam passivam ad recipiendas figuras ab aliquo agente. « *Potentia* primo imposita est ad significandum principium *actionis;* sed secundo translatum est *(nomen potentiæ)* ad hoc, ut illud etiam quod recipit *actionem* agentis, *potentiam* habere dicatur : et hoc est potentia *passiva*. Et sicut potentiæ *activæ* respondet *operatio* vel *actio*, in qua completur potentia activa; ita etiam illud quod respondet potentiæ *passivæ*, quasi *perfectio* et *complementum*, *actus* dicatur. » (I. Dist. XLII, Qu. I. Artic. I, ad 1.)

IV. De potentia naturali et obedientiali. « In qualibet creatura, inquit S. Thomas, consideratur duplex potentia *passiva*. Una quidem per comparationem ad *agens naturale*. Alia vero per comparationem ad *agens primum*, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale; et hæc consuevit vocari *potentia obedientiæ* in creatura..., secundum ordinem divinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum. » (P. III. Qu. XI. Art. I. *corp.*, et Qu. I, Artic. III, ad 3). — Hæc divisio *potentiæ* in *naturalem* et *obedientialem* in creaturis potissimum in Theologia occurrit. — Igitur potentia *naturalis* est *ad actum viribus naturæ proportionatum;* ut ad *calefieri* est potentia naturalis in aqua, vel ferro, etc.; — potentia vero *obedientialis* est *ad actum vires naturæ excedentem*

et a Deo inductum : quatenus Deus, supra naturæ leges existens, supra naturæ leges in creaturis operatur.

Potentiam *obedientialem* creaturis inesse negari non potest : ut enim ratiocinatur ipsemet S. Thomas, Qq. Disp. *De potentia*, Qu. VI. Artic. I. ad 18 : « Quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem potest perducere in altiorem effectum. Unde natura potest ex terra facere aurum, aliis elementis commixtis, quod ars facere non potest. Et inde est quod res aliqua est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad diversos agentes. Unde nihil prohibet quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam *(quæ et altior maxime est virtute finita creaturæ, et ipsi virtus creaturæ subjicitur)*, quæ inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia *obedientiæ*, secundum quam quælibet creatura Creatori obedit. »

Sed insuper Angelicus potentiam *obedientialem* vocat potentiam *passivam*, et recte : non enim videtur posse dari potentiam obedientialem activam in creaturis *ad agendum sine additione virtutis* quidquid per eas Deus facere voluerit. Et revera. Hæc potentia obedientialis activa, aut est idem entitative ac ipsa potentia naturalis activa creaturæ, aut est vis superaddita virtuti naturali, quæ omni creaturæ insit, veluti quædam participatio divinæ omnipotentiæ. Uterque autem modus repugnare videtur. — Etenim illa vis insita cuilibet creaturæ esset naturalis, ut supponitur, et simul, quia natura sua ordinata ad effectus supernaturales, foret eo ipso supernaturalis; consequenter esset simul naturalis et supernaturalis : quod repugnat. — Si autem dicatur primum, nempe hanc potentiam *activam* obedientialem esse entitative ipsam potentiam naturalem activam creaturæ, habetur manifeste simile inconveniens, videlicet quod supernaturale est id quod est supra potentiam activam naturalem creaturæ, et tamen non est supra potentiam naturalem activam (qualis ponitur potentia obedientialis activa) ipsius creaturæ. — Cf. Goudin, *Philosoph.*, P. IV. Disp. I. Qu. I. Artic. IV.

V. Notio actus. Sicut *potentia*, ut potentia est, dicit imperfectionem, ut ex dictis est manifestum, ita *actus*, generatim sumptus, *perfectio quædam est*, ut ait S. Thomas, P. I. Qu. V. Artic. III. Potentia enim activa completur in sua *actione*, et *actum* diximus complementum et perfectionem potentiæ passivæ.

VI. Definitio actus ex Aristotele. Aristoteles in Libro IX. *Metaphysicor.*, Cap. IX, *actum*, generatim definiens, ait : *Est*

autem actus rem existere, non ita quemadmodum dicimus potestate, seu potentia. Possumus enim dicere quod in marmore vel in tela sit *imago* Petri vel Pauli *in potentia;* at si in marmore sculpatur vel in tela pingatur imago illa, tunc dicimus esse imaginem *actu* in hujusmodi subjectis, quæ non sunt sicut erant antea, cum dicebantur esse in potentia. Neque mirum esse debet si actus (cujus notio per se clara et vulgaris est) non definiatur propria definitione. Etenim prima simplicia proprie definiri non possunt. Actus autem est de primis simplicibus. Unde definiri non potest, « sed, inquit S. Thomas, per proportionem aliquorum duorum ad invicem, potest videri quid est actus. Ut, si accipiamus proportionem ædificantis ad ædificabile, et vigilantis ad dormientem, et ejus qui videt ad eum qui habet clausos oculos cum habeat potentiam visivam... Et ita proportionaliter ex particularibus exemplis possumus venire ad cognoscendum quid sit *actus* et *potentia.* » — In IX. *Metaphysicor.*, Lect. V.

VII. Actuum species. Porro perfectio in aliquo subjecto triplex generatim consideratur : 1ª quidem, qua subjectum ipsum in propria specie determinatur et constituitur; quo sensu dicimus quod anima est *actus* corporis; — 2ª qua subjectum ut constitutum in propria specie realiter existit, et distinguitur a mera essentia ideali; — 3ª qua subjectum non solum constitutum in propria specie sed existens realiter aliquo modo perficitur, ut doctrina in homine. Primus actus dicitur *essentialis;* secundus dicitur *existentia* vel *esse;* tertius dicitur *proprietas* vel *accidens* prædicamentale (L. 4, III; 6, IV).

VIII. De aliis divisionibus ACTUS. Præter has genericas divisiones actus, alias dabant Scholastici, quas hic recensemus ex Goudin, *Metaphys.*, P. IV. Disp. I. Qu. I. Artic. II.

ACTUS PURUS et ACTUS NON PURUS. « Actus *purus* est, qui non est admixtus potentiæ. Duobus autem modis actus potest admisceri potentiæ : 1° quia est actus alicujus potentiæ, ut anima est actus corporis; 2° quia ipse est in potentia ad ulteriorem actum, ut angelus est in potentia ad suum esse : non enim est suum esse. — Itaque actus *simpliciter purus* est, qui nec est alicujus potentiæ, nec ipse est in potentia ad ulteriorem actum. — *Actus non purus* dicitur, qui est admixtus potentiæ : seu qui vel est actus alicujus potentiæ, vel ipse est in potentia ad ulteriorem actum. »

ACTUS FORMALIS et ACTUS ESSENDI. « Actus non purus divi-

ditur in actum formalem, et actum essendi, seu in actum essentiæ, et actum existentiæ. — Actus *formalis* est, quo essentia determinatur ad certam speciem rei; unde idem est ac forma, de qua alibi. — Actus *essendi* est ipsum esse, seu *existentia*, » ut supra, n. præc., dictum est.

ACTUS PRIMUS et ACTUS SECUNDUS. « Dividi etiam solet in actum primum, et actum secundum. — Actus *primus* est, qui alium non supponit, sed expectat; ut forma substantialis est actus primus : priorem enim non supponit, cum ipsa det primum esse. — Actus *secundus* dicitur, qui priorem alium supponit, eique accedit; sic operatio est actus secundus : supponit enim formam. Existentia quoque in creaturis comparatur ad formam, ut actus secundus; esse enim est actualitas omnis formæ, inquit S. Thomas (Par. I. Quæst. III. Art. 4). »

ACTUS SUBSISTENS et ACTUS NON SUBSISTENS. « Actus primus dividitur in actum subsistentem, et non subsistentem. — Actus *subsistens* est, qui solus existere potest, ut angelus et anima rationalis. — *Non subsistens* vero, qui solus esse nequit, sed tantum cum sua potentia, ut forma lapidis, bruti, etc. »

ACTUS COMPLETE SUBSISTENS et ACTUS SUBSISTENS INCOMPLETE. « Actus subsistens dividi rursus potest in actum *complete subsistentem*, qui ita est in seipso, ut in potentia recipi nequeat, ut angelus; et actum *incomplete subsistentem*, qui solus quidem esse potest, sed tamen ordinatur ad potentiam, in qua esse etiam potest et exigit, ut anima rationalis. »

ACTUS SUBSTANTIALIS et ACTUS ACCIDENTALIS. « Actus non subsistens potest itidem subdividi in substantialem et accidentalem. — *Substantialis* est, qui dat esse simpliciter suæ potentiæ; ut forma quævis substantialis. — *Accidentalis* vero, qui supponit esse in sua potentia; ut albedo est actus accidentalis parietis : advenit enim ei jam existenti. »

IX. Potentiæ et actus relationes Ex supra dictis de facili infertur potentiam et actum generatim sumpta in mutua quadam oppositione consistere. Etenim potentia, ut talis, dicit carentiam perfectionis, quam actus natura sua importat. Hinc axiomata illa scholastica, quæ hic transcribere perutile est.

X. Axiomata scholastica. Sex axiomata cum perdocto Goudin *(ibid.)* recensemus, aliis omissis, quæ, occasione data, adducemus.

Primum. In tantum aliquid est perfectum in quantum est in actu, imperfectum vero in quantum est in potentia.

Ratio est, quia potentia, ut potentia, caret suo complemento, quod respectu potentiæ activæ est *operatio*, et respectu potentiæ passivæ est *actus*, ut supra, n. III. dictum est.

Secundum. Actus omnino purus est omnino perfectus. Nam actus purus importat absolutam actualitem cum exclusione cujusque potentiæ. Secus non esset purus. Quocirca veritas enuntiati axiomatis in promptu est. Actus enim est perfectio; ergo actus purus seu omnimode actus est omnimoda perfectio.

Tertium. Actus in aliquo ordine purus, in eo ordine perfectus omnino est. Est corollarium præcedentis. Actus enim purus dicit perfectionem; ergo quo modo est aliquid actus purus, eo modo est perfectus.

Quartum. In tantum aliquid agit, in quantum est in actu; patitur vero in quantum est in potentia. — Pati enim proprie nihil potest, nisi aliquid patiendo acquirat vel amittat; neque aliquid agit nisi activitate, quæ *actus* quidam est. « Sicut potentia passiva, inquit Angelicus, sequitur ens in potentia, ita potentia activa sequitur ens in actu. Unumquodque enim ex hoc agit quod est actu : patitur vero ex eo quod est potentia. » — *Contra Gentiles*, Lib. II. Cap. VII. n. 2.

Quintum. Potentia nequit semetipsam ad actum reducere, sed reduci debet ab alio existente in actu. Potentia enim, qua talis, est carentia actus; quem non posset sibi dare nisi per actum, quo, ex facta hypothesi, destituitur. — Hinc quoniam potentia passiva dicit potentiam aliquid suscipiendi non ex se (secus esset *activa*) sed ab alio : et potentia *logica* seu *objectiva* est potentia *realis* in aliquo sibi extrinseco, ut dictum est; sequitur possibilia omnia sive potentia *objectiva* sive potentia proprie *passiva*, dici per respectum ad aliquam primam potentiam, quæ essentialiter activa esse debet. — Hoc corollarium maximi momenti infert Aristoteles in V. *Metaphysic.*, et illustrat S. Thomas, *ibid.*, Lect. XIV. — (Cf. sup., n. III).

Sextum. Omne ens mutabile constat potentia et actu. Ens enim non mutatur, nisi quatenus, — vel incipit esse *actu* id, ad quod ante mutationem erat in potentia, — vel desinit esse *actu* et incipit esse *potentia* id, quod antea erat actu. Tolle hanc duplicem conditionem, et mutabilitatis natura prorsus evanescit. At, ut ex ipsis terminis est manifestum, hæc duplex conditio subaudit in ente mutabili rationem potentialitatis et rationem actus.

XI. Actus et potentia, essentialiter ad actum illum ordinata, sunt in eodem genere supremo. Ad intelligentiam hujus principii scholastici nonnulla sunt prænotanda. — 1° Loquimur exclusive de potentia *reali* seu subjectiva essentialiter ordinata ad actum tanquam ad suum essentiale completivum et specificativum, cum quo componere intelligitur tertium quoddam, quod est potentia *actuata;* sicut intellectus essentialiter ordinatur ad actum qui est *intelligere*, quo perficitur et completur potentia intellectiva. Non autem loquimur de qualibet potentia respectu actus, ad quem non essentialiter ordinatur ut ad suum essentiale completivum et specificativum, esto aliunde ab ipso actu accidentaliter perficiatur, ut anima perficitur a suis potentiis. — 2° Nolumus affirmare quod, si potentia, seu subjectum essentialiter ordinatum ad actum et ipsius actus receptivum, sit, e. g., in genere *qualitatis*, actus etiam debeat in eodem qualitatis genere computari : etenim intellectus vel voluntas sunt potentiæ essentialiter ordinatæ ad actus respectivos, qui tamen *(actio)* non sunt in eodem prædicamento cum potentiis ipsis *(qualitas)* (L. 6, VII). — 3° Igitur sumimus genera suprema, hoc est, *substantia* et *accidens*, et dicimus quod, si *actus* potentiam afficiens et perficiens, eo modo quo explicavimus hic supra, est in genere accidentis vel substantiæ, in eodem genere reponi debet potentia immediate affecta per ipsum actum. Hinc apud S. Thomam, I. Dist. VII. Qu. I. Artic. II. ad 2, invenies affirmatum « non... oportet quod in eodem genere ponantur potentiæ et actus, præcipue de potentiis activis. » Sed P. I. Qu. LXXVII. Artic. I, leges quod « cum potentia et actus dividant ens et quodlibet genus entis, oportet quod ad idem genus referatur potentia et actus. Et ideo si actus non est in genere substantiæ, potentia, quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiæ. » Quæ assertiones etsi prima fronte oppositæ videantur, oppositæ tamen non sunt, recteque explicantur per supra datam distinctionem. — Quibus prænotatis, probatur assertum.

Potentia et actus sic ad invicem comparantur, ut potentia intelligatur ut *subjectum*, actus vero ut *forma*, ita ut ex utriusque conjunctione tertium quoddam compositum resultet. Manifestum est igitur quod, si potentia sit in genere accidentis, actus superveniens non potest esse substantialis ipsamque in genere substantiali constituere : quia secus potentia per receptionem actus, jam desineret esse accidens, fieretque substantia, contra ipsam hypothesim. — Vice versa, si potentia, quæ essentialiter est ad actum ordinata, juxta præmissas explicationes, est in genere substantiali, evidens est actum respectivum non posse

esse nisi in genere substantiali, quia actus quicumque in genere accidentali, potest utique, ut sua natura fert, ipsam potentiam accidentaliter perficere, at non eam substantialiter complere, quia, utpote accidens, substantialitate caret. — Exinde intelligitur illud tritum sermone effatum scholasticum : *Actus et potentia dividunt ens et quodlibet genus entis :* quia videlicet *actus* et *potentia* essentialiter ordinata ad actum illum, sunt principia constituta in eodem genere, ut nuper probavimus, atque ideo prout ens componunt, entis genus determinant ac constituunt non secus ac *genus* et *differentia;* et ex potentia qua ens ordinatur essentialiter ad actum, tanquam ex genere, vel ex actu quo ipsa potentia completur, tanquam ex differentia, modo supra dicto, naturam entis tuto deprehendere licet. — Cf. S. Th., P. I. Qu. LXXVII. Artic. I. et Qu. *De spiritualibus creaturis*, inter *Dispp.*, Artic. XI; — *Commentaria* Cajetani et Bannes in articulum citatum *Summæ theologicæ;* — Nuntius Signoriello, *Lexicon peripateticum*, voce *Distinctiones*, A., n. XXXVI. Ed. II.

ARTICULUS TERTIUS

(9)

De potentia objectiva.

I. Possibilitatis et impossibilitatis notio. Potentiam *logicam*, seu *objectivam*, seu melius *possibilitatem* (Art. præced. n. III), diximus meram non repugnantiam ad existendum, fundatam in convenientia idearum. Huic opponitur *impotentia logica*, seu objectiva, seu *impossibilitas* absoluta, quæ ideo est, *repugnantia ad existendum* proveniens ex repugnantia terminorum : ita : *Circulus quadratus; Ens contingens* seu *effectus sine præexistente causa*, dicunt logicam impossibilitatem.

II. De possibili absoluto et de possibili relativo. Sed præterea notavimus (8, III) potentiam logicam supponere potentiam *realem* non in se et intrinsece, sed in alio et extrinsece, hoc est in potentia activa alterius subjecti, quod *possibile* ad existentiam realem potest perducere. Hinc duplex consideratio *possibilis:* 1ª *secundum se;* 2ª *in ordine ad potentiam activam.* Priori modo *possibile* dicitur *absolutum;* secundo modo dicitur possibile *relativum.* Unde possibilitas *absoluta*, quæ etiam *intrinseca* dicitur et *metaphysica*, est sociabilitas idearum (L. 8, VII) : et impossibilitas absoluta

est earumdem idearum insociabilitas. — Possibilitas vero *relativa*, quæ etiam *extrinseca* nuncupatur, est ipsa possibilitas absoluta, non in se spectata, sed in ordine ad potentiam, a qua possibile absolutum donari potest reali existentia. — Consequenter hujus potentiæ activæ absentia constituit impossibilitatem relativam seu extrinsecam, et extrinsecum seu relativum impossibile. — Cf. S. Th., P. I. Qu. XXV. Artic. III; Qu. XLVI. Artic. I. ad. 1.

Hæc autem possibilitas relativa, in ordine ad creaturas, est *physica* vel *moralis*, prout potentia, ad quam dicit ordinem, aut consideratur secundum leges quibus natura physica gubernatur, ut cum dicimus, *possibile esse homines sine magisterio philosophiam per se ipsos addiscere;* aut potentia consideratur etiam secundum conditiones et leges quibus natura moralis subjicitur, ut cum dicimus, *possibile esse homines sine magisterio* aliquas *notiones philosophicas per se ipsos acquirere* (L. 22, IV).

III. **Corollaria.** Ex his sequentia corollaria inferuntur :

Primum. Impossibile absolutum est etiam impossibile relativum; at non vice versa impossibile relativum est etiam impossibile absolutum, *rigorose loquendo :* quod dico propter causam primam, cujus respectu, ut infra melius explicabitur, impossibile relativum identificatur cum impossibili absoluto. — Ratio primæ partis corollarii est, quia nulla potentia potest sociare id quod est insociabile; ratio secundæ partis est, quia non sequitur quod, si aliqua causa creata non possit producere, e. g., *montem aureum*, mons aureus sit impossibilis absolute.

Secundum. Possibile relativum est necessario possibile absolutum; at possibile absolutum non respectu cujusque causæ est possibile relativum, sed solum respectu illius a qua produci potest. Patet.

Tertium. Possibile absolutum determinari potest ex solo nexu idearum; at possibile relativum determinari nequit nisi per comparationem ad causam a qua produci potest. Patet etiam. Etenim possibile intrinsecum in solo illo nexu fundatur; at possibile relativum ulterius subaudit causam. Unde de hoc possibile relativo agens S. Thomas. P. I. Qu. XXV. Artic. III. recte notat quod : « Cum unumquodque agens agat sibi simile; unicuique potentiæ activæ correspondet possibile, ut objectum proprium, secundum rationem illius actus in quo fundatur potentia activa; sicut potentia calefactiva refertur ut ad proprium objectum ad esse calefactibile. »

IV. De distinctione inter possibile et nihilum. Possibile acceptum ut possibile a reali existente omnino distingui et esse quid ideale, hoc est in mente existens, nemo profecto negabit; at ex hoc non sequitur possibile idem ac nihilum esse. *Nihilum* enim negatio entis est, et per se intelligi non potest; at *possibile* est quid positivum et per se a mente intelligitur. Deinde, *possibilia* inter se optime vereque distinguimus; *nihilum* autem a nihilo distinguere velle et absurdum est et ridiculum. Tertio denique, *possibile* potest ad existentiam pervenire absolute loquendo; quod de *nihilo* dicere nullatenus possumus. Est igitur possibile nihilum actuale, hoc est *positive*, quia revera ut tale non existit, sed non est nihilum ideale, seu non est nihilum *negative*. — Quæ omnia faciunt contra doctrinam hegelianam, in qua confunditur *possibile*, hoc est *ens ideale* et *nihilum reale*, cum nihilo *ideali*, ut late demonstravimus in Logica (*Artic.* 57).

V. Error circa notionem possibilis. Circa possibilitatem internam rerum nonnullæ gravissimæ quæstiones moventur, quarum tamen solutio cum pendeat a constituta notione *essentiarum*, eas ad sequentes articulos remittimus. Hic solummodo, rejiciendi sunt duo errores, qui notiones absolutæ possibilitatis et impossibilitatis absolutæ pervertunt. Primus error ab Aristotele, Cap. III. Lib. IX. *Metaphys.*, scholæ Megaricæ tribuitur, quæ dicebat possibile proprie nihil esse, sed tunc aliquid possibile esse quando actualiter existit. A sententia Megaricorum non recedunt Abælardus, Wiclefus, Hobbes, Spinoza, quos imitatur Robinet, sæculi decimi octavi scriptor, qui, ut Roselli refert, *Metaphysic.*, Qu. V. Art. I, insaniendo dixit : *purum possibile est impossibile.* Hujus erroris causam quærens S. Thomas, Lect. III. in eumdum librum *Metaphysicorum*, hæc habet : « Ratio hujus positionis esse videtur, quia opinabantur, quod omnia ex necessitate contingerent secundum aliquam commixtionem causarum : et sic, si omnia ex necessitate eveniunt, sequitur, quod ea quæ non eveniunt, non possibile est esse. »

Hunc errorem multis refellit rationibus Aristoteles, loc. cit. quas exponit S. Thomas, lectione supra dicta. Tertia ratio, lepida et simul evidens, sequens est : Sensus est quædam potentia, qua possibile est sentire. Si igitur potentia est idem ac agere vel esse actu, ut volunt adversarii, sequitur quod aliquis non habeat potentiam sensus, ut puta visum vel auditum, nisi quando actualiter videt vel audit. Sed homo carens visu cæcus est, et carens auditu est surdus. Frequenter igitur in die homo erit cæcus et surdus, quia frequenter in die neque actualiter videt, neque actualiter audit. Quod est manifeste falsum : nam cæcus non fit postea videns, neque surdus audiens.

VI. Error circa impossibilia. Altera opinio priori e diametro opposita recitatur et confutatur ab Aristotele libro citato *Metaphysicorum*, qua ponebatur impossibilia esse vere possibilia, ac proinde impossibilia non dari. Quis fuerit hujus sententiæ auctor ac propugnator, Aristoteles non dicit, sed illi haud dubie subscribunt Heraclitus inter antiquos, et Hegel inter recentiores, qui volunt contradictoria esse simul vera, et ens posse cum non ente componi, imo identificari (L. 57, II. et O. 5, III).

Ne in confutanda tam aperta falsitate tempus inutiliter teramus, hæc pauca notare sufficiat. Possibile illud communiter dicitur, quo posito, non sequitur absurdum (esto falsum sit quod actualiter existat, esto quod de facto nunquam veniet ad existentiam; at sine absurditate et falsitate ipsi competere existentia potest); impossibile vero illud communiter dicitur, quo supposito, sequitur absurdum; unde necesse est non esse. Igitur possibile et impossibile oppositam præ se ferunt essentialem definitionem, ac proinde falsum est impossibilia esse vere possibilia, et impossibilia non dari. Hanc Aristotelis rationem fuse exponit S. Thomas Lect. III. jam citata in eumdem librum *Metaphysic.*

ARTICULUS QUARTUS

(10)

De essentiis rerum.

I. Ratio et divisio articuli. Absolutam rerum possibilitatem ex nexu idearum pendere diximus. Sed nexum illum dignoscere non possumus, nisi naturam utriusque ideæ probe cognoscamus, ut, cognita natura alicujus rei, quid ipsi conveniat, quid ipsi repugnet recte definiamus. De hac igitur natura seu essentia, quæ est fundamentum eorum quæ cuique subjecto *per se* (L. 24, IV) tribuuntur vel negantur, paulo uberius est dicendum. Ut autem articulus intra debitos limites contineatur, in præsenti dicemus de essentiis in seipsis, de earum dotibus, deque earum cognoscibilitate; in sequenti autem articulo de principiis extrinsecis, a quibus constituuntur id quod sunt.

II. Essentiæ notio. Notio essentiæ generatim sumptæ perspicua est omnibus ac nemini impervia. Nomine enim *essentiæ* intelligitur, *id per quod respondetur quærenti* quid

res sit; ut interroganti : *quid est homo?* respondemus : *animal rationale.* Est igitur essentia, id per quod res constituitur in determinata specie; — id quod primo in re concipitur; — id, quo intellecto, res ipsa intelligitur, et, quo ignorato, res ipsa ignoratur; — id per quod res a ceteris aliis distinguitur; — id quod est veluti radix et subjectum omnium proprietatum, quæ in re sunt; — id cujus *actus* est *esse* seu existentia. Hæc et similia sunt, quibus essentiam designamus : quæ cum sit quid simplex, propriam definitionem non patitur (8, VI).

III. Vocabula quibus varie solet ESSENTIA designari. « Quia illud, inquit S. Thomas Cap. I. *De Ente et Essentia,* per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per definitionem indicantem *quid est res;* inde est quod nomen *essentiæ* a philosophis in nomen *quidditatis* mutatur... Dicitur etiam *forma,* secundum quod per formam significatur perfectio, vel certitudo uniuscujusque rei... Hoc etiam alio nomine *natura* dicitur, accipiendo naturam secundum primum modum illorum quatuor modorum, quos Boëtius, *De duabus naturis,* assignat, secundum scilicet quod natura dicitur esse illud, *quod quocumque modo intellectu capi potest.* Non enim res intelligibilis est, nisi per suam definitionem et essentiam : et sic etiam dicit Philosophus in V. *Metaphysic.,* quod omnis *substantia* est natura. Nomen autem *naturæ* hoc modo sumptæ, videtur significare *essentiam rei,* secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria destituatur operatione. *Qualitatis* vero nomen sumitur ex hoc, quod per definitionem nominatur; sed *essentia* dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse. »

IV. Essentiarum dotes. Ex tradita essentiæ definitione palam emergit essentias rerum esse necessarias, immutabiles, indivisibiles et æternas, æternitate negativa.

Sunt necessariæ. Essentiam enim diximus id per quod res constituitur in aliqua determinata specie : consequenter principia, seu partes *essentiales* (L. 14, IV); 16, III), ex quibus essentiæ resultant, ita ad invicem connectuntur, ut, una earum submota, *essentia* in ipso mentis conceptu pereat; ipsis datis, necessario essentia habeatur. Ita, essentia hominis constat *animalitate* et *rationalitate :* his positis, necessario habetur hominis essentia; quæ destruitur, subtracta aut *rationalitate* aut *animalitate.*

Sunt immutabiles. Etenim essentia ea tantum complectitur, quæ ad rem in se constituendam requiruntur, et quæ ideo partes sunt ejus definitionis essentialis. Non igitur posset mutari nisi quatenus per mutationem aut aliqua parte sua essentiali destitueretur, aut augeretur aliqua alia parte. Sed in utroque casu essentia rei non aliquo modo remaneret, sed omnino periret, ut ex dictis clare constat.

Sunt indivisibiles. Est corollarium præcedentium : quod enim immutabile omnino est, neque additionem patitur, neque diminutionem. Exemplo numerorum rem illustrat S. Thomas : « Si aliquid addatur vel subtrahatur alicui numero, etiam si sit minimum, non erit id idem numerus secundum speciem. Minimum enim in numeris est *unitas :* quæ si addatur in ternario, surgit quaternarius, quæ est alia species numeri ; si vero abstrahatur ab eodem, remanet binarius, qui est etiam alia species numeri. Et hoc ideo, quia illa ultima differentia dat speciem numero. Et similiter est in definitionibus, et in *quod quid erat esse (essentia)*, quod significat definitio : quia quocumque minimo addito vel ablato, est alia definitio et alia natura speciei. Sicut enim substantia animata sensibilis *tantum*, est definitio *animalis*, cui si addas et *rationale*, constituis speciem hominis, si autem subtrahas *sensibile* constituis speciem plantæ : quia etiam ultima differentia dat speciem. » In VIII. *Metaphysic.*, Lect. III, circa finem.

Sunt æternæ æternitate negativa. Æternum, ut alibi innuimus (4, VI, ad 3), aliud positive aliud negative dicitur. Positive æternum illud dicimus, cujus essentia existentia reali necessario donatur, ut Deus. — Æternum negative illud est, cujus essentiæ veritas a tempore omnino præscindit et a tempore est independens, sed sive consideretur in statu solummodo ideali, sive in statu reali, eamdem in sua essentia necessario veritatem præ se fert. — Evidens est rerum essentias non esse æternas æternitate *positiva*, quia sine falsitate possunt carere existentia reali, et habere esse solummodo ideale ; at ipsæ æternæ sunt æternitate negativa, quia immutabiliter et indivisibiliter sunt et debent esse id quod sunt : neque enim solummodo in præsenti, vel præterito, vel futuro tempore verum est quod triangulus, e. g., habeat tres angulos, sed semper verum est. — Cf. S. Th. P. I., Qu. XVI. Artic. VII. ad. 1 (1).

(1) Notanda hæc verba S. Augustini Lib. 83 Quæst., q. 46, P. L. XL, 30. « Singula igitur propriis sunt creata rationibus.

V. Nominalium sententia circa nostras cognitiones essentiarum. Docuit Lockius nobis ignotas prorsus esse rerum essentias reales, omnemque nostram cognitionem terminare ad essentias nominales. Realem essentiam vocat, qua res in seipsa physice constituitur; nominalem essentiam dicit, quæ a mentis consideratione pendet, quatenus nempe mens res coordinat per quasdam series, quæ dicuntur genera, species, etc., et considerantur ut essentiæ reales rerum coordinatarum, sed revera non sunt nisi mentales notiones. Hæc doctrina lockiana est corollarium sui nominalismi circa realem existentiam universalium. Universalia enim sunt ipsæmet essentiæ ontologicæ rerum; unde cum nominales doceant universalia esse mera nomina vel meros conceptus mentis (2 et 3), consequens est, quod essentiæ illæ rerum, quæ a nobis cognoscuntur, non sint nisi essentiæ nominales et nullo modo reales.

VI. Prænotiones quaedam ad quæstionis solutionem. In antecessum fatemur, et Nominalibus atque Positivistis concedimus non omnes rerum essentias nobis esse compertas : multa enim nos latent, ut per experientiam notum est. — Concedimus insuper essentiarum realium nos non habere notiones intuitivas, sed abstractivas, deductas nempe ex proprietatibus, quas res ipsæ manifestant : nam neque ipsam animam nostram intuitione immediata cognoscimus, sed ratiocinatione ejus intimam naturam deprehendimus. — Ac proinde tertio loco concedimus a nobis essentias reales non cognosci cognitione *comprehensiva*, per omnia scilicet ac singula elementa quibus essentiæ ipsæ in specie *atoma*, ut dici solet, constituuntur, sed eas cognosci per compositionem logicam elementorum communium, quæ esto separatim sumpta pluribus essentiis conveniant, sumpta tamen conjunctim, nonnisi determinatas essentias designant, easque constituunt realiter. His igitur explicatis atque concessis, sit conclusio :

VII. Realitas essentiarum non est nobis omnino ignota. Probatur. Cognitio realium essentiarum nobis conceditur a sensu naturæ communi, legitime infertur ex proprietatibus realibus rerum, et ex ipsa natura universalium. Igitur revera essentiarum realitas utcumque nobis cognita est. — *Consequentia* patet; probatur *antecedens*.

Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in ipsa mente Creatoris?... Non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi, atque incommutabiles manent; quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquomodo est ».

Conceditur a sensu naturæ communi. Et revera omnes singulique homines cum respondent interroganti *quid res sit*, intelligunt designare non naturam rei nominalem, sed realem, qua nempe res et in seipsa realiter constituitur, et realiter ab aliis rebus distinguitur : et profecto mirarentur si quis contenderet per responsionem illam non designari nisi notionem nominalem sine vero respondente objectivo reali in re ipsa definita, nec nisi per nominalem definitionem res ad invicem a nobis distingui.

Legitime infertur ex proprietatibus realibus rerum. Reales proprietates rerum a nobis cognosci, vel ipsi Nominales concedunt : quæ proprietates ita rebus insunt, ut ab ipsis rebus abstrahi nequeant, quin aut penitus destruatur aut saltem minuatur ipsarum rerum natura : proprietates enim ita per se insunt subjecto et dicuntur de subjecto, ut subjectum ipsum sit de definitione earum et causa (L. 21, IV); ut, si capacitatem sciendi homini auferas, natura ipsius hominis non remanet. Atqui proprietates, eo ipso quod realiter habent in propria definitione subjectum et a subjecti essentia necessario profluunt (L. 4, III), legitime et necessario docunt in cognitionem ipsius realis essentiæ.

Legitime infertur ex ipsa natura universalium. Jam supra, n. V. animadvertimus sententiam lockianam totam niti nominalismo circa realem existentiam universalium. Cum igitur hoc fundamentum sit falsum, et verum sit universalium essentias, quæ objecta sunt scientiæ nostræ, realiter existere (6, III), necessario sequitur realitatem essentiarum non esse nobis ignotam (1).

VIII. Solvuntur objectiones. Breviter hic adversariorum difficultatibus est satisfaciendum.

Objectio prima. Essentiæ rerum nonnisi definitione cognoscuntur. Atqui omnes nostræ definitiones nominales sunt : quia definitio non est nisi explicatio unius vocabuli per alia. Ergo nonnisi essentias nominales dignoscimus.

---

(1) Hæc thesis impugnatur hodie præsertim a *positivistis* et a *neo-criticis*, qui alio nomine dicuntur etiam *relativistæ*, eo quod asserunt nos nonnisi *relativa* cognoscere, vel *neo-kantiani*, quia doctrinam Kant per idealistas alemannos alteratam, restaurare conantur, vel *semi-kantiani*, quia doctrinam magistri ex parte amplectuntur et ex parte rejiciunt. Contra horum positiones stant quæ Auctor habet de cognitione substantiæ in hoc, art., et quæ contra positivismum et criticismum supra dicta sunt in *Critica*, lib. II, cap. II, a. 3. Cf. etiam A. Franchi, *Ult. Crit.*, vol. I, cap. V.

Resp. Concedo *majorem* et nego *minorem.* Fallitur Lockius dum putat omnes definitiones esse nominales; et ideo fallitur, quia in quæstione de universalibus nominalismo adhæret, et essentiam specificam vel genericam, quam per definitionem exprimimus, et quæ constituit universale fundamentaliter sumptum (1, IV), cum essentia *atoma* rerum, quam procul dubio non cognoscimus, erronee confundit.

Objectio secunda. Essentiæ rerum resultant ex collectione omnium accidentium. Atqui hæc accidentium omnium collectio prorsus nos latet. Ergo et nos latent rerum essentiæ omnes.

Resp. Nego *majorem;* et transmissa *minori,* nego *conseq.* Accidentia sive separatim sive collectim sumpta non constituunt essentiam substantialem sive universalem sive individualem, sed *accidunt* ipsi essentiæ jam constitutæ, ut vocabulum ipsum indicat. Unde hoc secundum argumentum lockianum in confusione essentiæ rei cum ejus accidentibus fundatur. — Transmisi *minorem,* quia esto quod non omnia et singula accidentia unius rei nobis sint nota, at non est tamen necessaria eorum omnium cognitio : quia dummodo cognoscamus unum vel alterum attributum, ex eo deprehendi legitime potest rei essentia, a qua attributum illud manat, ut supra in secundo argumento pro conclusione demonstranda dictum est.

Objectio tertia. Essentiæ rerum respondent ideis æternis existentibus in mente Dei. Sed ideas æternas non cognoscimus. Ergo neque rerum essentias.

Resp. Distinguo *majorem :* respondent ideis æternis tanquam causis exemplaribus, *concedo;* tanquam causis intrinsecis ipsarum essentiarum constitutivis, *nego.* — Et distinguo pariter *minorem;* ideas æternas non cognoscimus perfecte et intuitive, *concedo;* imperfecte et abstractive, *nego,* et nego *conseq.* — Concedimus in mente divina esse ideas æternas omnium rerum, sed eæ minime constituunt essentias physicas rerum ipsarum, sicut nec idea artificis opus physice informat, sed ad ejus similitudinem opus formatur. Hinc illa pulcherrima et verissima definitio quam de idea, ut est forma exemplaris, tradit, P. I. Qu. XV. Artic. I. S. Thomas : *per ideas intelliguntur formæ aliarum rerum præter ipsas res existentes.* Potest igitur cognitio nostra ab *exemplatis* essentiis incipere, atque per ipsas mens sese attollere ad ideas divinas intelligendas, non quidem immediate eas intuendo, sed abstractive, nempe ratiocinio mediante, eas intelligendo imperfecto modo, quantum scilicet exemplar infinitum potest repræsentari et cognosci ex imagine finita.

ARTICULUS QUINTUS

(11)

De essentiis rerum in ordine ad principia extrinseca.

I. Quæstio prima. Essentiæ rerum nobis innotescunt per definitionem, in qua essentia ipsa intellligitur ut quoddam compositum coalescens ex duobus elementis *(genere et differentia)* : quæ necessario, immutabili, indivisibili, æterno nexu ita junguntur, ut, eo destructo, essentia ipsa ne mente quidem concipi possit. Quæritur ergo generice an a Deo essentiæ rerum habeant constitutiva illa necessaria per quæ sunt id quod sunt, vel contra illa habeant a seipsis independenter a Deo. Nam quod constitutiva illa a nostro intellectu non pendeant, veritas est manifesta; non enim res tales sunt quia intellectus noster eas intelligit, sed ideo intellectus res intelligit, quia eæ in seipsis sunt. Qua de re videri possunt quæ in Kantium animadvertimus in Logica (*Artic.* 56).

II. Opinio wolfiana. Schola wolfiana, cui nonnulli scriptores a sæculo XVIII ad medietatem usque hujus sæculi XIX adhæsere, retinuit essentias rerum, ac consequenter intrinsecam possibilitatem, pendere quidem a Deo quoad realem existentiam, sed nonnisi a seipsis pendere quoad proprium ideale constitutivum. Audiatur Storchenau, qui in sua *Ontologia*, Sect. II. Cap. I. in resp. ad primum argumentum, exponit ac defendit hisce verbis wolfianam doctrinam : « Etiam in hac hypothesi *(Dei non existentis)* manerent, inquit, veræ ejusmodi enuntiationes, *notæ essentiales hujus vel illius rei non involvunt contradictionem :* ac proinde posset res ratione suæ essentiæ existere, gauderetque possibilitate interna. »

III. Refellitur sententia wolfiana. Hanc wolfianam sententiam ego quidem arbitror esse absurdissimam triplici potissimum de causa : ratione divinæ independentiæ, ratione absolutæ omnium dependentiæ a Deo, ratione ipsius essentiæ idealis rerum.

Ratione independentiæ divinæ. Etenim Deus, utpote primum et supremum ens, a nullo alio sibi extrinseco pendet neque in cognoscendo neque in efficiendo. Atqui, si essentiæ rerum haberent ex sese, etiam præcisa per hypothesim Dei existentia, veritatem objectivam, hæc veritas Deo esset extrin-

seca, et divinus intellectus in cognoscendo et ejus voluntas in efficiendo ab illa penderent, eo ferme modo quo intellectus noster et nostra voluntas ab ipsa rerum veritate pendent. Quam consequentiam recte S. Augustinus, Lib. LXXXIII. Qq., Qu. XLVI. n. 2, vocat *sacrilegium*.

Ratione absolutæ omnium dependentiæ a Deo. Deus enim prima et infinita veritas est. Atqui non esset prima veritas in sententia wolfiana : nam veritates illæ essentiarum, quæ, etiam in hypothesi Dei non existentis, perseverarent eædem ac modo intelliguntur, non essent a Deo, sed Deum ipsum ratione præcederent. Non igitur dari possunt hujusmodi veritates independentes a Deo, nisi denegetur Deo ratio primæ et fontalis veritatis.

Ratione ipsius essentiæ idealis rerum. Præcisa quippe reali existentia, illæ essentiæ non haberent nisi existentiam idealem, hoc est in intellectu. Atqui in hypothesi Dei non existentis nullus etiam ponitur intellectus neque creatus, neque increatus. Igitur aperte contradictorium est in tali hypothesi concedere essentiis rerum esse ideale seu possibile. Hinc supra (8, III) diximus potentiam logicam esse *extrinsece* potentiam realem.

Object. Sed dicet fortasse aliquis : Verum est igitur quod in illa hypothesi essentiæ rerum veritatem idealem non haberent. Ergo saltem illud verum est independens a Deo. — Respondeo quod in hac hypothesi absurdissima loquimur, non ut decet, sed ut possumus. Dicimus ergo quod, posita hypothesi de Deo non existente, haberemus nihilismum absolutum, et ratio cujusque veritatis omnino periret. Quid amplius quæritur? quare veritas postulatur sublata veritate? Quod si intellectu difficiliora hæc tibi videntur, perspice, lector, absurditatem hypothesis; et si consequentia imaginationem transcendit, memento non imaginatione sed ratione esse philosophandum.

IV. Quæstio altera. Essentiæ igitur rerum pendent a Deo, et consequenter earum intrinseca possibilitas, quæ est ipsa essentia prout dicit aptitudinem ad existendum (0. 8, III). Atqui in Deo, quamvis simplicissimo, diversa tamen attributa distinguimus, quæ et si in ipso sint idem realiter ac essentia divina, ab hac tamen distinguuntur ratione diversorum objectorum, quæ ab attributis ipsis respiciuntur. Posito ergo quod essentiæ rerum pendeant a Deo, quæritur secundo a quo attributo divino pendeant.

V. Opinio Okami. Okam, scriptor sæculi decimi quarti, in

Commentariis super primum Librum Sententiarum, Dist. XLIII. Qu. II. rejicit distinctionem inter possibilitatem intrinsecam et extrinsecam, agnitaque sola extrinseca possibilitate, hanc docet pendere ab omnipotentia divina, a qua consequenter in sententia Okami pendent rerum essentiæ.

VI. Opinio Okami impugnatur. Si quis autem recte consideret, sententia Okami quæ verbis extollit Dei omnipotentiam, re tamen destruit vel ridiculam facit.

Destruit divinam omnipotentiam. Nam si essentiæ rerum et earum possibilitas ab omnipotentia Dei penderent, ideo repugnaret et esset impossibilis, e. g., circulus quadratus, non quia circulus quadratus non possit fieri ex sese, sed quia Deus illum facere non posset. Quod est idem ac dicere quod non ex non posse fieri *objecti*, sed ex non posse facere *subjecti* penderet impossibilitas rei efficiendæ. Sed impossibilitas aliquid faciendi ex sola parte subjecti, imponit limites potentiæ et destruit omnipotentiam, ut ex terminis patet. Ergo sententia Okami verbis exaggerat Dei omnipotentiam, revera tamen destruit.

Omnipotentiam Dei ridiculam facit. Nam in sententia Okami Deus non posset dici omnipotens ex parte *objecti*, scilicet quia potest facere omnia absolute possibilia : nam in ejus sententia, hæc possibilia non dantur. Ergo omnipotens diceretur ex parte *subjecti*, quia nempe posset facere omnia quæ potest. Quæ explicatio est circulus puerilis in manifestatione divinæ omnipotentiæ, et manifestum ridiculum injicit in ipsam omnipotentiam. Cf. S. Th. P. I. Qu. XXV. art. III.

VII. Opinio Cartesii. Renatus Descartes subtrahit rerum essentias divinæ omnipotentiæ, sed eas vult pendere a libera Dei voluntate, eo modo quo a libera Dei voluntate pendet rerum creatarum existentia. En verba quæ in *Responsionibus ad sextas objectiones*, n. VI, habet : « Non ideo voluit *(Deus)* mundum creare in tempore, quia vidit melius sic fore, quam si creasset ab æterno : nec voluit tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, etc. Sed contra, quia voluit mundum creare in tempore, ideo sic melius est, quam si creatus fuisset ab æterno : et quia voluit *(nota)* tres angulos trianguli necessario æquales esse duobus rectis, idcirco jam verum est, et fieri aliter non potest, atque ita de reliquis. » Idem cartesianum ratiocinium applicatur rerum internæ possibilitati. — Joannes Clericus (*Ontol.* Cap. IV. §. III), quem citat Genuensis, animadvertit Cartesium more suo effugium illud callide petiisse, ne senten-

tiæ suæ de essentia corporis in trina dimensione, censura ab Ecclesia inurerctur ob mysterium Eucharistiæ : quod ille sartum tectum hoc pacto servabat, asserens Deum impossibilia facere posse. Nolim asserere veram esse Clerici censuram quoad intentionem Cartesii; at si vera esset, vitio etiam vertere Cartesio deberemus quod, ut unum absurdum defenderet, aliam pejorem absurditatem confinxerit. Sed ad rem veniamus.

VIII. Essentiæ rerum non pendent a libera Dei voluntate. Probatur. Independentiam essentiarum rerum a libera Dei voluntate necessario postulant, veritas ipsarum, certitudo scientifica, ipsaque natura divina. Igitur essentiæ rerum revera sunt independentes a libera Dei voluntate. Probatur *antecedens.*

Veritas ipsarum essentiarum. Essentiæ enim rerum ita sunt constitutæ, ut quidquid, quantumvis minimum, ipsis addatur vel minuatur, transeant in aliam essentiam, et cessent esse id quod sunt, aliamve definitionem suscipiant, ut supra probavimus (0. 10, IV). Pone igitur quod, sicut Deus libere voluit, ut exemplo utar Cartesii, quod tres anguli trianguli essent æquales duobus rectis, ita libere velle potuisset contrarium; et in hac hypothesi tres anguli trianguli rectilinei non essent æquales duobus rectis; quod est idem ac dicere quod non esset amplius verum quod anguli essent anguli, et quod duo anguli recti essent duo anguli recti. Nempe non haberemus amplius veritatem suppositæ essentiæ; quæ ideo, ut maneat, requirit necessario independentiam a Dei libera voluntate.

Certitudo scientifica. Jam plurimi, quos inter Cudworthius, *System. intellect.*, Cap. V, Clarkius. *Existence de Dieu.* Cap. I. animadverterunt per cartesianam sententiam scientiæ certitudinem perimi : imo ipse Bayle (*Dict.*, artic. Spinoza) eam vocat *interitum metaphysices.* Nec immerito. Etenim certitudo seu immutabilitas scientiæ nostræ non aliunde quam ab immutabilitate et necessitate objectorum desumitur: contingens enim et mutabile, objectum immutabilis certitudinis scientiarum esse non potest. Atqui quod a libera Dei voluntate pendet, et contingens est, et ab ipsa libera Dei voluntate mutari potest eodem jure quo est constitutum. Posita igitur sententia cartesiana, certitudo scientifica prorsus corrueret.

Ipsa natura divina. Qua in re placet refellere Cartesium principiis verissimis ipsius Cartesii. In citatis enim *sextis*

responsionibus, n. V. rectissime docens homines a Deo decipi nullatenus posse, hanc rationem adducit : « Quod autem repugnet homines a Deo decipi, clare demonstratur ex eo, quod forma deceptionis sit *non ens*, in quod non potest ferri summum Ens. » Optime sane. Atqui forma essentiæ mutatæ est non ens : quia est essentia, ut supponitur, et est simul negatio ipsius essentiæ, quia carens constitutivo suo per quod essentialiter sit. Ergo in essentiam mutandam voluntas Dei, juxta principia admissa ad ipso Cartesio, ferri non potest.

IX. Essentiæ rerum formaliter pendent ab intellectu divino. Hæc thesis est corollarium præcedentium. Dictum est enim rerum essentias a Deo pendere; non pendent autem formaliter a libera voluntate Dei, neque ab ejus omnipotentia. Igitur formaliter pendent a divino intellectu. Nihil aliud enim fingi potest. — Et confirmatur. Essentiæ rerum, præcisa reali existentia, habent esse *ideale*, et in hoc ordine habent esse objective verum. Atqui esse ideale non est nisi in intellectu et ab intellectu, ut ipsum vocabulum indicat, et insuper ratio veri dicitur de re per ordinem ad intellectum, ut infra plenius explicabitur (Art. 15, VI) : qui quidem intellectus non potest esse nisi intellectus divinus, ut constat ex dictis supra, n. III. contra wolfianam opinionem. Igitur essentiæ rerum formaliter pendent ab intellectu divino.

X. Essentiæ rerum remote seu mediate pendent a divina essentia. Hæc ultima thesis est corollarium præcedentis. Etenim ordo realis præcedit necessario ordinem logicum seu cognitionis : nam intellectus cognoscens et se et cognoscenda objecta subaudit. Atqui antecedenter ad divinum intellectum nulla realitas alia intelligi potest præter essentiam divinam, ab eodem intellectu distinctam distinctione rationis. Ergo divini intellectus cognitio primario fertur in divinam essentiam, in qua et per quam alias omnes essentias et possibilia absoluta intelligit, et a qua proinde essentiæ hujusmodi et possibilia remote pendent (1).

(1) De fundamento proximo et remoto essentiarum, cf. MERCIER, *Ontologie*, 1re partie, p. 33-61, ubi documentationes harum opinionum habes amplas et confutationes. Hoc sufficiat notare generatim : — « Bien que les essences des choses d'expériences, envisagées sous leur forme abstraite, soient la raison explicative, suffisante et nécessaire des possibles et de leurs propriétés, toutefois, dans une étude *synthétique*, que les scolastiques appelaient *régressive*, il est légitime et indispensable de rat-

ARTICULUS SEXTUS

(12)

De existentia.

I. **Notio existentiæ.** Quid nomine existentiæ significetur nemo est qui ignoret. Sicut enim nomine essentiæ intelligimus id per quod respondetur quæstioni, *quid sit res;* ita vocabulo existentiæ significamus id per quod respondetur quæstioni *an res sit.* Defectu propriæ definitionis, quæ de re simplicissima dari non potest, existentia describitur : *Actus quo res ponitur extra statum possibilitatis; Actualitas essentiæ; Ultima rei actualitas; Id quo res constituitur extra suas causas; Actualis rei præsentia in ordine physico seu reali.*

II. **Existentia in Deo et in creaturis.** Duo sunt in quibus generatim philosophi conveniunt. Primo quidem conceditur in Deo existentiam non realiter distingui ab ejus essentia. Deus enim est *simplicissimus*, unde excludit quamcumque realem compositionem ex potentia et actu, ex essentia et existentia; est *perfectissimus* seu actus *purissimus* (8, VIII), et consequenter excludit compositionem, quæ dicit imperfectionem in composito. — Secundo conceditur in creaturis existentiam ratione saltem distingui ab earum essentia. Factum enim est quod per rationem distinguimus unam ab altera, atque insuper negabit nemo quod existentia distinctam formalitatem significet ab essentia : quod sufficit ad distinctionem rationis.

III. **Quæstio.** Sed movetur quæstio subdifficilis, quæ philosophos mirifice torquet et in contrarias sententias distrahit : utrum in rebus creatis essentia *realiter* distinguatur ab existentia? Affirmat S. Thomas, cujus sententiæ universa

---

tacher les résultats de l'analyse à l'essence divine et à sa nécessaire imitabilité ». — MERCIER, *loc. cit.*, n. 27.

In expositione hujus doctrinæ S. Augustinus, lib. 83, Qq. q. 46, P. L. XL, et Boëtius, *De Consolatione philosophiæ*, lib. III, medit. 9, perfecte consentiunt. Hic ait : « Tu cuncta superno — Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse.
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes. »
De teoria Platonis sufficiunt quæ supra auctor disseruit ubi de universalibus.

ejus Schola et plurimi extranei subscribunt; negant Durandus et Suarez, quos ut plurimum sequuntur recentiores philosophiæ scriptores. Et cl. P. Palmieri in *Institutionibus philosophicis, Ontologia*, Cap. I. Thesi III. ita cum his tenet, ut fidenter scribat : *Falluntur* CERTISSIME *qui inter eamdem essentiam realem* (finitam), *et ejus existentiam distinctionem invehunt realem;* et postea in probatione *thesis*, S. Thomæ sententiam iterum dicit *evidenter falsam* (1).

IV. Undenam pendeat quæstionis solutio. Si quis autem attente consideret, de facili deprehendet quæstionis solutionem pendere ex hoc quod definiatur, utrum in rebus creatis essentia realiter existat vi *essentiæ*, quatenus essentia est, vel potius vi *realitatis* distinctæ ab ipsa, hoc est existentiæ, quæ proinde realiter se habeat ad essentiam, sicut actus ad potentiam (*Artic.* 8). In primo casu existentia dicenda esset, aut ipsamet essentia, aut saltem pars essentiæ rerum creatarum, et diceretur de ipsis in *primo modo* dicendi *per se* (L. 21, IV); in altero casu existentia dicenda esset *accidens* ejusdem essentiæ realis. Non tamen *accidens* quasi realis essentia stare possit sine existentia propria vel superiori, sed quatenus non est essentia neque pars essentiæ, sed constituitur per principia essentiæ, quasi *proprium* (L. 4, III), quod prædicatur de re in secundo et quarto modo dicendi per se (L. 21, IV). Hæc, quæ punctum quæstionis nostræ constituunt, expressis verbis docet S. Thomas : « Esse, inquit, non dicitur accidens, quod sit in genere accidentis, si loquamur de *esse* substantiæ : est enim actus essentiæ; sed per quamdam similitudinem : quia non est *pars essentiæ*, sicut nec accidens » est pars essentiæ (Qq. dispp. *De pot.*, Q. V. *De conservat. rerum*, etc., art. IV, ad. 3). Et in IV. *Metaph.*, lect. II : « Esse enim rei, quamvis sit aliud ab ejus *essentia*, non tamen est intelligendum quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis, sed quasi constituitur per principia essentiæ. Et ideo hoc nomen *ens*, quod imponitur ab ipso *esse*, significat idem cum nomine, quod imponitur ab ipsa essentia. » His prænotatis, sit conclusio.

---

(1) Hæc metaphysica controversia etiam nunc magnos ac multos habet impugnatores et defensores; difficilis solutionis ab omnibus retinetur. Inter doctores clari nominis qui sententiam auctoris defendunt placet adnumerare clariss. P. BUONPENSIERE, O. P. *Comment. in I^m P. Summæ Theolog.*, 224-233; Card. MERCIER, *Ontologie*, 1re partie, § 6; DE MARIA, FARGES, LORENZELLI, DEL PRADO, HUGON, etc.

V. In rebus creatis existentia realiter distinguitur ab earum essentia. Probatur. Existentia, quæ est idem realiter ac essentia realis, est una tantum et necessaria, est infinita, est improducta. Atqui in creaturis existentia neque est una tantum, neque necessaria, neque infinita, neque improducta. Ergo existentia in rebus creatis non est idem realiter ac earum realis essentia. — *Minor* constat ex ratione ipsius creaturæ. — *Major* probatur quoad singula membra.

Existentia quæ est idem realiter ac essentia, est una tantum, nempe Deus. Loquimur, ut quisque per se videt, de essentiis substantialibus : de accidentibus enim nihil est curandum, quia non habent existentiam propriam, sed existunt in subjecto subtantiali. Probatur. Si plures essent hujusmodi existentiæ subsistentes, ad invicem distinguerentur aut ratione ipsius existentiæ, aut ratione alterius distinctivi : nihil est tertium. Non autem distinguerentur ratione existentiæ, quia existentia ut existentia non patitur diversitatem: quod si ipsa distincta est in rebus diversis, ut puta in homine, bruto, lapide, non est distincta ratione sui, ut existentia est, sed ratione diversarum naturarum in quibus est. — Sed neque distinguerentur ratione alterius distinctivi adjuncti, quia hoc adjunctum non aliud esse potest quam essentia. Hæc autem essentia, juxta adversarios, idem realiter in omnibus est ac existentia. Ergo si existentia in rebus creatis est realiter ipsamet earum essentia, existentia non multiplicaretur ratione sui, non ratione adjuncti, et ideo esset unica realiter in omnibus existentia sicut unica realiter esset omnium essentia. — Unde et Deus unus est, quia ipse est existentia subsistens, atque ideo perfectissimus, quia existentia subsistens est pura actualitas, seu pura perfectio (8, X, *axiom.* 1).

Existentia quæ est idem realiter ac essentia, est necessaria. Probavimus supra (10, IV; 11, VIII) essentias rerum esse immutabiles et necessarias; et hoc sive considerentur in ordine ideali seu possibilitatis, sive in ordine reali. Essentia autem complectitur ea quæ suam definitionem ingrediuntur. Si ergo essentia existens est idem realiter ac existentia, hæc erit necessaria, sicut necessaria est essentia; et sicut essentia non potest privari *seipsa*, ita non posset privari existentia. Et sic omnis creatura necessario existeret. Unde merito S. Bonaventura ait : *Creaturas esse mutabiles quod existentiam, non vero quoad essentiam.* — Neque dicas *essentias reales* esse mutabiles ex eo quod propriam realitatem amittere possunt : nam aut *realitas* ista est idem omnino realiter ac

essentia; et in hoc casu realitas est inseparabilis ab essentia ipsa : aut est quid realiter distinctum ab essentia (quodcumque illud sit); et illud dicimus existentiam *qua* essentia est realis.

Existentia quæ est idem realiter ac essentia, est infinita. In natura existente duo intelliguntur tantummodo, scilicet *essentia substantialis* (de substantiis enim, ut jam animadverti, exclusive loquimur) et *existentia;* et prima est, seu saltem concipitur ut *potentia*, secunda ut *actus.* Actus autem dicit entitatem seu perfectionem; potentia vero, ut potentia est, dicit imperfectionem seu negationem entitatis, quam per actum habet (O. 8, X, *axiom.* 1). Sed entitas seu perfectio præcise ut talis et ut sola est, est infinita, quia ratio finiti habetur ex entitate limitata, quæ limitatio est entitatis negatio. Igitur si existentia, quæ est actus, non comparatur ad essentiam, sicut ad potentiam, quæ realiter sit principium limitans ejus entitatem, sed est idem realiter cum ipsa, hæc existentia-essentia erit realiter infinita, seu, ut S. Thomas dicit, II. *Contra Gentiles*, Cap. LII. n. 3, *esse* (existentia) *autem subsistens oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente.* Cf. P. I. Qu. IV. Artic. I. ad 3, et Artic. II. et Qu. VII. Artic. I.

Existentia quæ est idem realiter ac realis essentia est improducta. Essentia cujuslibet rei sive consideretur in statu possibilitatis sive in statu realitatis, præcise ut essentia est, non constituitur per aliquam causam *efficientem* sui productivam, sed per seipsam, hoc est per principia sibi propria et intrinseca ipsam constituentia. Id patet ex iis quæ in superiori articulo de essentiis disseruimus, probando rerum essentias esse independentes tum ab omnipotentia tum a libera voluntate Dei. Ergo si existentia in rebus creatis realiter non distingueretur ab essentia, sicut essentia non est per causam efficientem extrinsecam, ita realiter existeret sine causa efficiente extrinseca ipsam ad existentiam educente : quod est esse improductum. Hanc rationem paucis complexus est S. Thomas, P. I. Qu. VII. Artic. II. ad 1 : « Hoc est, inquit, contra rationem facti quod *essentia* rei sit ipsum *esse* ejus, quia *esse subsistens* non est esse creatum » (1).

VI. Solvuntur difficultates. Rationes quas attuli, ex septem

(1) Hæc theoria *distinctionis realis* essentiam inter et existentiam intime videtur hærere thesi de unione substantiali materiæ et formæ generatim, et speciatim unioni animæ et corporis in homine.

sunt quas habet S. Thomas in citato Cap. LII. secundi Libri *Contra Gentiles*, et quas doctissimus Ferrariensis egregie illustrat atque defendit. Meo judicio hujusmodi rationes si intimius, ut par est, penetrentur, sunt inconcussæ veritatis, quamvis, quia indirecte arguunt, intrinsecam evidentiam rei non indigitent, sed magis rem ita se habere debere demonstrant (L. 41, IX). — Verum audiendi sunt adversarii pro identitate reali essentiæ et existentiæ in rebus creatis ratiocinantes.

Objectio prima. « Esse, quo essentia creaturæ formaliter constituitur in actualitate essentiæ, præcise sumptum, satis est ad veritatem hujus locutionis de secundo adjacente, *Essentia est* (L. 20, III). Ergo illud esse est vera existentia. — *Consequentia* est clara, nam juxta communem significationem et conceptionem hominum, *est* de secundo adjacente non absolvitur a tempore, sed significat actu esse in rerum natura, quod omnes intelligimus nomine existentiæ, seu per esse existentiæ. — Probatur *antecedens*. Nam per hoc esse essentiæ actualis formaliter ac præcise sumptum, talis essentia est ens in actu, et distinguitur ab ente in potentia; ergo vi illius esse talis essentia est : recte enim infertur : est ens in actu : ergo est : quia esse ens actu non diminuit rationem entis quam includit verbum *est*. » Hæc ad litteram Suarez, *Dispp. Metaphysic.*, Disp. XXXI. Sect. IV. §. III.

Resp. Nego *antecedens*, et ad ejus probationem nego pariter *antecedens*, vel, si lubet, distinguo; per hoc *esse* essentiæ, etc., talis essentia est ens in actu essentiæ et ut distinguitur a mero possibili, *transeat;* est ens in actu existentiæ, *nego.* — Recte animadvertit, pater Liberatore, de thomistica doctrina tam optime nostra hac ætate meritus, quod *argumentatio Suaresii æquivocationes nonnullas continet, quæ si distinguantur vim retinere non videntur.* Quibus verbis hæc immediate addit, quæ nostram responsionem explicant : « Duplici modo aliquid dici potest *actuale;* vel quia actus est, vel quia informatur ab actu. Ergo non repugnat ut essentia actu sit, et tamen distinguatur realiter ab existentia; nam actu erit per existentiam a qua completur, non per seipsam, quasi ipsamet sit actus, a quo actualis denominatur. Quod si omnino ipsa per se dici velit actualis, ea intelligi poterit per comparationem ad essentiam possibilem; quæ dicit potentiam mere objectivam, et respectu cujus essentia realis et producta considerari potest ut actus, licet sit potentia respectu existentiæ. » *Ontologia*, Cap. I. Artic. III. n. 16, I.

Objectio secunda. « Huic esse actualis essentiæ conveniunt omnia prædicata quæ tribui solent existentiæ, imo et illa omnia

propter quæ nos existimamus existentiam distingui ex natura rei ab essentia. Ergo est verum esse existentiæ. — *Antecedens* probatur, nam primo hoc esse essentiæ actualis non est æternum sed temporale..., convenit creaturæ contingenter seu non necessario..., confertur creaturæ per efficientiam Creatoris... Denique nulla potest excogitari conditio necessaria ad esse existentiæ, quæ non conveniat huic esse. » Hæc iterum Suarez, *loc. cit.*, § IV.

Resp. Distinguo *antecedens* : huic esse actualis essentiæ conveniunt omnia prædicata, etc., formaliter et ratione illius esse, *nego;* materialiter et ratione existentiæ quæ est actus illius, *concedo.* Et distincta eodem modo probatione, nego *consequens* et *consequentiam.* Hoc suo secundo argumento vir doctissimus conatur vim auferre rationibus, quas ex S. Thoma supra adduximus : at meo judicio fallitur vehementer. Quid quærimus? Utrum essentia existat vi sui esse essentiæ, vel vi existentiæ, et consequenter utrum essentia existens illa prædicata quæ suscipit, suscipiat formaliter ratione sui esse essentiæ, vel ratione existentiæ realis. Nempe, non quærimus, utrum illa prædicata essentiæ existenti conveniant, sed qua ratione conveniant. Unde Suarez nihil concludit quando de convenientia loquitur, et rationem convenientiæ prætermittere videtur in argumento citato.

Objectio tertia. « Esse existentiæ nihil aliud est, quam illud esse, quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra causas secundas, et desinit esse nihil, ac incipit esse aliquid : sed hujusmodi est hoc esse quo formaliter et immediate constituitur res in actualitate essentiæ. Ergo est verum esse existentiæ. » Hæc tertio Suarez, *loc. cit.* §. V.

Resp. Distinguo *majorem :* esse existentiæ est illud esse quo entitas desinit esse nihil et incipit esse aliquid in ordine essentiæ, *nego;* in ordine existentiæ, *concedo.* Et contradistinguo *minorem :* per *esse* illud, quo formaliter et immediate constituitur res in actualitate essentiæ, entitas incipit esse aliquid in ordine essentiæ, *concedo;* in ordine existentiæ, *nego.* Est semper eadem æquivocatio, quam supra cum Liberatore notavimus. Concedimus Suaresio essentiam actualem in ordine essentiæ seipsa constitui; sed debuisset auctor doctissimus probare, quod præcipue debet probari et non probat, essentiam actualem, sicut seipsa formaliter constituitur in ordine essentiæ, ita pariter formaliter seipsa constitui in ordine existentiæ. Extra igitur statum quæstionis vagatur Suarez, et punctum ejusdem quæstionis suis objectionibus minime attingit.

Objectio quarta. Existentia non distinguitur realiter ab essen

tia, si essentia eo ipso quod est producta jam existit. Atqui essentia eo ipso quod est producta jam existit. Ergo existentia non distinguitur realiter ab essentia. Ita Storchenau et recentiores fere omnes nostræ sententiæ impugnatores.

Resp. Distinguo *majorem :* existentia non distinguitur... etc., si essentia eo ipso quod est producta jam existit vi essentiæ, *concedo;* vi existentiæ, *nego.* Et contradistinguo *minorem :* essentia... etc., jam existit vi essentiæ, *nego;* vi existentiæ, *concedo.* Hoc argumentum quod sæpe repetunt et extollunt adversarii, si aliquantisper consideretur, aut extra quæstionem vagatur, aut est petitio principii. Quis negat quod hoc ipso quod essentia producta est jam existit? Sed quæstio est utrum existat vi essentiæ aut vi existentiæ. Quod si adversarii supponant essentiam productam existere vi essentiæ, supponunt ut certum id quod præcise est probandum, et eorum argumentum est petitio principii.

Objectio quinta. Ut duæ res sint realiter distinctæ, necesse est ut una non sit altera. Atqui essentia, subtracta existentia, nihil est. Ergo inter essentiam et existentiam non datur realis distinctio. — Hæc Balmes, *Philosophia fundam.*, Lib. V. Cap. XII, n. 90.

Resp. imprimis : concedo *majorem*, transeat *minor*, et nego *consequentiam.* Ex eo enim quod, subtracta existentia, *essentia* jam nihil sit, minime sequitur quod una sit realiter altera, sed quod existentia sit complementum et conditio *sine qua* essentia realiter *non* existat. Ita, exempli gratia, subtracto corpore vel subtracta anima rationali, *homo* ut homo realiter perit, nihil est; et tamen homo non est realiter anima, non est realiter corpus, sed est quid realiter tum ab anima sola, tum a solo corpore distinctum. — Respondeo secundo, distinguendo *minorem :* essentia, subtracta existentia, nihil est in ratione essentiæ, *nego;* in ratione existentiæ, *concedo.* Responsio ex dictis ad præcedentes difficultates suam habet explicationem. — Præclarissimus Auctor citatus, n. 93, præcitati Cap. XII. conatur ostendere rationem illam, qua demonstramus essentiam in rebus creatis distingui ab existentia, quia secus, ut supra diximus, essentia illa esset infinita, aut esse petitionem principii aut nihil concludere; sed, ut quisque per seipsum videre potest, rationem illam Balmes subobscure exponit, et non satis eam intellexisse manifeste ostendit : quod quidem non semel ipsi contingit quoties de Metaphysica S. Thomæ, quam tamen maximi facit, sermonem habet.

Objectio sexta. Existentia est et ipsa quædam essentia, ergo si existentia realiter distingueretur ab essentia, ipsa existentia per aliam existentiam a se distinctam existeret : quod est in infinitum abire.

Resp. Hoc argumentum a nonnullis urgetur quasi sit insolubile; et revera phantasiæ apprime satisfacit. Ratione tamen expensum est manifeste levissimum. Existentia enim non est id *quod* existit, sed id *quo* essentia existit, sicut actio intellectiva, e. g., non est id *quod* intelligit sed *quo* intellectus intelligit. Sicut igitur ridiculum est concludere quod actio intellectiva est mediante alia actione intellectiva; ita ridiculum est concludere quod existentia existat mediante alia existentia, quia mediante existentia essentia substantialis existit. — Sed dato etiam quod existentia sit essentia quædam, nihil ex hac concessione habent adversarii quod contra nos concludant. Etenim essentia existentiæ non in alio consistit quam in ipsa existentia. Sicut ergo quælibet essentia non alia essentia, sed seipsa constituitur, ita essentia existentiæ, hoc est existentia, non alia constituitur essentia, sed seipsa : nisi enim seipsa constitueretur, jam non esset *existentia*, sicut *essentia* quælibet non essentia esset, si aliunde constitueretur quam seipsa (1).

VII. De sententia S. Thomæ circa realem distinctionem existentiæ ab essentia in rebus creatis. Communi sententia retinetur a S. Thoma aperte doceri realem distinctionem existentiæ ab essentia in rebus creatis, ita ut de ejus mente neque possibile sit utcumque dubitare. Nihilominus Auctor, n. III. citatus, in suis *Institutionibus philosophicis*, Ontologia, Cap. I. *thesis* III. postquam ad negandam præfatam distinctionem argumenta illa attu-

(1) Præcipuum argumentum contra thesim videtur esse sequens: Repugnat quod res aliqua realiter distinguatur ab eo per quod essentialiter constituitur; puta quod homo albus ut albus ab albedine distinguatur.

Atqui essentia ut actualis extra causam et extra intellectum, ut distincta ab essentia possibili essentialiter constituitur per suam existentiam.

Ego ab existentia non distinguitur realiter.

Respondetur: Argumentum haud est contra thesim.

Ipsum enim probat essentiam actualem et existentem ut actualem et ut existentem, seu essentiam quatenus est actualitas et est existentia, ab actualitate et ab existentia realiter non distingui, veluti homo ut albus seu quatenus est albedo ab albedine non distinguitur realiter.

Quæstio autem solvenda non est de essentia ut actuali et ut existente quatenus est actualitas et existentia in sensu reduplicativo, verum de essentia actuali et existente in sensu specificativo, seu de essentia quæ habet actualitatem et existentiam; quæritur nempe : Utrum sicut homo albus qui habet albedinem ab albedine realiter distinguitur ita essentia actualis et existens quæ actualitatem et existentiam habet ab actualitate et ab existentia realiter distinguatur.

lit (quamvis sub aliqua forma diversa), quæ supra soluta sunt, ad auctoritatem S. Thomæ veniens, animadvertit hanc auctoritatem *solam* non cogere, præcipue quia opinioni S. Doctoris neque suffragatur *universalitas* sequentis consensus doctorum, neque sententia judicis infallibilis, hoc est Ecclesiæ. Qua in re plane consentimus citato Auctori. Etenim cum ipso Angelico diximus : *Locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana, est infirmissimus*, esto illa auctoritas sit auctoritas S. Thomæ. In philosophia enim ratio prævalet auctoritati, ut suo loco demonstravimus (L. 60, II). Sed neque in hoc argumento habemus sententiam judicis infallibilis, hoc est catholicæ Ecclesiæ seu divinæ auctoritatis, quæ rationi ipsi supereminet (L. 58, VI) : nam licet catholica Ecclesia summopere commendaverit et commendet S. Thomæ doctrinam, nihil tamen minuit libertatis adversis scholis catholicis. — Sed prælaudatus Auctor ultra procedit, et dubium promovet circa ipsam S. Thomæ mentem. Ait enim : « Ceterum, adeo est manifesta falsitas hujus opinionis, ut nisi evidentissimis argumentis adacti inducere possimus animum ut credamus eam a S. Doctore vindicatam fuisse. Licet autem nobis sic ratiocinari : illud unice dicendum est voluisse asserere S. Thomas quod argumento suo conficitur; atqui argumento suo conficitur compositio metaphysica quidem inter existentiam et essentiam, non vero distinctio realis; propter quam compositionem maxime distat essentia finita ab infinita : ergo hanc solum asseruisse dicendus est S. Thomas. Et sane *esse*, seu existere, est juxta S. Thomam *actualitas essentiæ* (P. I. Qu. III. Art. 4); atqui actualitas essentiæ est realitas essentiæ, h. e. essentia realis : ergo essentia eo ipso quod realis est, existit. »

Liceat et mihi expendere hujus egregii Auctoris argumentationem. In hac plura distinguere possumus, scilicet : 1° *quæstionem in se :* 2° *mentem S. Thomæ quoad factum*, 3° *mentem S. Thomæ quoad jus*, seu quoad valorem suæ argumentationis. Percurramus breviter singula.

Quæstio in se. Ad dubitandum de mente S. Thomæ Auctor videtur moveri ex eo quod opinio distinguens realiter existentiam ab essentia in rebus creatis sit *evidenter falsa*. Atqui imprimis opinionem *evidenter falsam* arrisisse viris etiam doctissimis, ipsemet Auctor. Op. cit. Cap. II. *de accidente*, n. VII, posse admitti prudenter negat. Ergo neque prudenter ex hoc capite dici potest *evidenter falsa* sententia distinguens realiter existentiam ab essentia in rebus creatis : ea enim sententia doctissimorum virorum certo fuit. Deinde rationes supra attulimus, quæ ad minus, præfatam opinionem a *manifesta falsitate* absolvunt, et contrariam

sententiam ab *evidentia* distare ostendunt. Ratio ergo dubitandi *a priori* de mente S. Thomæ in nostro argumento est inefficax. Sed demus etiam verum esse (quod tamen absolute negamus) opinionem nostram esse evidenter falsam; si tamen ipsam *de facto* secutus est S. Thomas, aperte esset concludendum ipsum *falli certissime*, ut de ceteris asserit Auctor citatus in sua *thesi*.

Mens S. Thomæ quoad factum. Quod vero S. Thomas *de facto* docuerit realem distinctionem inter essentiam et existentiam in rebus creatis, dubitari minime potest, tum ex traditione, tum ex verbis S. Doctoris. — *Ex traditione.* Sanctus enim Thomas Scholam habet, quæ ipso magistro gloriatur; et sicut doctrinam revelatam ex Sacra Scriptura et ex traditionis thesauro Ecclesia eruit, ita Schola thomistica doctrinam S. Thomæ ex ejus operibus et ex traditione per seriem sæculorum non interrupte ad nos usque continuata. Porro, neque Auctor laudatus negat, credo, *traditionem thomisticam* pro nostra stare sententia : quinimo Suarez ipse de mente S. Thomæ anceps minime est, quamvis opinioni de reali identitate inter essentiam et realem existentiam in rebus creatis adhæreat. Adde quod hæc doctrina S. Doctoris a Scoto et Durando fuit acriter impugnata, et a Thomistis vehementer defensa, quin tamen de mente Aquinatis ex alterutra parte unquam fuerit dubitatum. — *Ex verbis.* Id Auctor laudatus inficiari non videtur, et revera negari non potest. Unum vel alterum argumentum afferam. In I. P., Qu. III. Artic. IV. quærens utrum in Deo idem sit *essentia* et *existentia*, resolvit affirmative, quia « *esse* seu *existentia* comparatur ad essentiam, *quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam.* Cum igitur in Deo nihil sit potentiale..., sequitur quod non sit aliud in eo essentia quam suum esse. Sua igitur essentia est suum esse ». Quod constanter negat de creaturis. Etenim, Qu. VII. Artic. II. loquens de Angelis, qui sunt formæ creatæ per se subsistentes non receptæ in materia, ait : « Hujusmodi formæ non terminantur neque contrahuntur per aliquam materiam, sed quia forma creata sic subsistens *habet esse* et *non est suum esse*, necesse est quod ipsum ejus *esse* sit receptum et contractum ad terminatam naturam. » Hæc et similia passim (Cf. *sup.* n. IV) habet S. Thomas. De mente ergo Angelici Præceptoris dubitari nequit. Venio modo ad valorem argumentationis.

Valor ratiocinationis S. Thomæ. Quoad ultimam hanc partem animadvertere facile imprimis est, quod, dato etiam argumentationem S. Thomæ non concludere id quod concludere ipse voluit, non propterea de ejus mente esset dubitandum. Ita rationes quas Auctor contra nostram sententiam adducit infirmas

teneo; et tamen de ejus mente minime dubito. Ostensum est autem supra, S. Thomam aperte docuisse distinctionem realem inter essentiam et existentiam; quidquid ergo sit de valore intrinseco suæ argumentationis, non licet de aperta ejus mente dubitare. Sed expendamus ejusdem argumentationis vim. Principium S. Thomæ est quod in rebus creatis *essentia* se habet ad existentiam sicut *potentia* realis et passiva se habet ad *actum* completivum sui. Sed alterum principium S. Thomæ est potentiam realem passivam *realiter* distingui a suo actu. Igitur, concludit, in rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia. Quam S. Doctoris argumentationem firmissimam retinemus. — Sed subsumit Auctor citatus, *actualitas essentiæ est realitas essentiæ*, h. e. *essentia realis*. — Respondeo in hoc conceptu præcise consistere æquivocationem, qua universa argumentatio ejusdem Auctoris in probanda sua thesi laborat. Nam si per *actualitatem* essentiæ intelligit realitatem essentiæ, dicitur quod per illam actualitatem essentia realis constituitur in ratione *solius essentiæ*. Si autem per actualitatem intelligit *existentiam* hoc in casu existentia est actualitas qua essentia constituitur in ordine existentiæ et ab essentia distinguitur sicut actus a sua potentia. — Unde hæc tria distinguimus : 1m *essentiam;* 2m *existentiam;* 3m *essentiam existentem* quæ necessario includit existentiam, sed hæc tamen ab essentia realiter distinguitur sicut actus a sua potentia.

CAPUT SECUNDUM

DE PROPRIETATIBUS ENTIS

Prologus. Egimus in præcedenti Capite de ente in seipso, prout duo exhibet, essentiam nempe et existentiam. At nulla res est, quæ suas non habeat proprietates (L. 1, VI) : quæ cum ab essentia profluant, statim post conceptam essentiam intelliguntur. Qua de causa post tractatum de essentia et existentia entis, dicendum est de entis proprietatibus. Quæ non ita intelligendæ sunt, quasi essent distinctæ realitates ab ente (quid enim positivi concipi potest quod ens non sit?), sed ut distinctæ ipsius entis explicationes, ut alibi notavimus (7, V, *fine*); et quia ens, ut tale, transcendentale est, transcendentales pariter esse debent ejus proprietates (Cf. S. Th. Qq. Dispp. *De veritate*, Qu. I. Artic. I). Porro inter

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

proprietates transcendentales prima procul dubio illa est quæ enti convenit secundum se spectato nempe *unitas;* deinde aliæ veniunt quæ enti conveniunt per relationem ad aliud, hoc est, ad intellectum, appetitum, et utramque facultatem simul sumptam. Quia vero intellectus appetitum præcedit, post *unitatem* dicendum est de entis proprietate per ordinem ad intellectum, nempe de *veritate;* deinde de *bono* quod est proprietas entis per respectum ad appetitum; tertio de proprietate entis in ordine ad intellectum simul et appetitum, seu de *pulchro.* Atqui uni opponitur multitudo, vero falsum, bono malum, pulchro deforme. Unde ut plenior sit tractatus noster de proprietatibus entis, etiam de earum oppositis edisserendum nobis est (1).

ARTICULUS PRIMUS

(13)

De unitate.

I. Unitatis notio. Unum communiter dicimus quod *in se indistinctum seu indivisum est.* Ita hominem dicimus unum quamdiu anima et corpus invicem uniuntur, et homi-

(1) Hæ transcendentales proprietates dici possunt : *Respectus quidam speciales, qui omni enti necessario conveniunt, seu diversi aspectus unius ejusdemque rationis entis, qui tamen notione entis ut sic non necessario formaliter exprimuntur.* Unde apparet tres esse conditiones requisitas pro constituenda proprietate ontologica entis generalissimi :

1° Quod non sit aliquid fictum, sine fundamento in re;

2° Quod de quibuscumque dicitur ratio entis, ex hoc ipso dicatur proprietas ontologica entis;

3° Quod aliquid ab ipsis exprimatur quod non exprimitur per rationem objectivam entis, alioquin forent mera synonyma, nugationes et tautologiæ.

Hæ conditiones conveniunt notionibus *entitatis, veritatis* et *bonitatis* tantummodo, quas propterea distinguunt ab aliis generalibus proprietatibus, quæ potius divisiones primariæ entis sunt, de quibus agit Auctor cap. sequenti.

Cf. LEPIDI, *Ontologia,* cap. III, p. 46.

nem efformant indistinctum et indivisum in se : quæ unitas perimitur statim ac anima a corpore separatur. Abstracte vero sumpta, *unitas* est *entis indivisio.*

II. **De definitione unitatis.** Mirum nemini esse debet si *unitatem* potius describimus quam definiamus : agitur enim de re transcendentali, quæ ob maximam suam simplicitatem rigorosam definitionem non patitur. Quidam rationi indivisibilitatis in se addunt rationem etiam divisionis ab aliis rebus; sed standum est notioni traditæ. Etenim si definiatur unum, *ens indivisum in se et divisum a quolibet alio* datur intelligi quod unum in sua ratione importet non solum indivisionem in se, verum etiam divisionem ab aliis : quod tamen non videtur verum. Deus enim ante mundi creationem unus erat et indivisus in se ipso, sed divisus non erat ab aliis, quæ non extabant. — Cf. *Concordantiæ.* Petri a Bergamo, Ord. Prædic., dub. 1191. — Hinc est quod a S. Thoma, unum, prout dicit ens divisum ab aliis, vocatur *aliquid :* « Si modus entis, inquit, accipiatur secundo modo, scilicet secundum ordinem unius ad alterum, hoc potest esse dupliciter. Uno modo secundum divisionem unius ab altero; et hoc exprimit hoc nomen *aliquid :* dicitur enim *aliquid,* quasi *aliud quid;* unde, sicut ens dicitur *unum* in quantum est *indivisum in se,* ita dicitur *aliquid* in quantum est *ab aliis divisum.* » — Qq. Dispp. *De veritate.* Qu. I. Artic. I.

III. **Unitas transcendentalis et unitas numerica.** Unitas, cujus notionem dedimus, vocatur unitas *transcendentalis,* qua afficitur ens in seipso absolute consideratum, et de qua in præsenti exclusive loquimur. At præter hanc unitatem, alia datur, quæ dicitur *numerica,* quia est principium numeri, et concipitur ut principium generans continuum vel multitudinem, sicut linea a mathematico concipitur ut generata a fluxu puncti.

IV. **De distinctione inter unitatem transcendentalem et unitatem numericam.** Balmes, *Philosoph. fundam.* Lib. VI. Cap. II. confundit unitatem transcendentalem cum unitate numerica, secutus hac in re opinionem Pythagoræ, Platonis, aliorumque, et forte ignorans quæ contra illam scribit Aristoteles, et post Aristotelem S. Thomas, P. I. Qu. XI. Artic. I. et II; I. Dist. XXIV. Qu. I. Artic. III; et in suis Lectionibus super IV. Librum *Metaphysic.* Ratio præcipua S. Thomæ est, quia unitas quæ convertitur cum ente nonnisi indivisionem ipsius entis importat in suo conceptu essentiali, ut supra, n. II. dictum est; at unitas quæ est principium numeri ad quantitatem, quam mensurat et quasi generat, ordinem dicit. Consequenter *reductive* pertinet et ipsa ad genus quantitatis. — Quod si quis curiosius exquireret quid

utilitatis veniat philosophiæ ex distinctione utriusque unitatis; responderem designando cum S. Thoma illationes, quas supra-citati antiqui philosophi ex illa confusione intulerunt. « Quidam, inquit, putantes idem esse unum quod convertitur cum ente, et quod est principium numeri, divisi sunt in contrarias opiniones. Pythagoras enim et Plato, videntes quod unum, quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis prout est indivisa, existimaverunt sic se habere de uno quod est principium numeri. Et quia numerus componitur ex unitatibus, crediderunt quod numeri essent substantiæ omnium rerum. E contrario autem Avicenna, considerans quod unum quod est principium numeri, addit aliquam rem supra substantiam entis (alias numerus ex unitatibus compositus non esset species quantitatis), credidit quod unum quod convertitur cum ente, addat rem aliquam super substantiam entis, sicut album supra hominem. Sed hoc manifeste falsum est, quia quælibet res est una per suam substantiam. Si enim per aliquid aliud esset *una* quælibet res, cum illud iterum sit unum, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. Unde standum est in primo. Sic igitur dicendum est, quod unum quod convertitur cum ente non addit aliquam rem supra ens; sed unum quod est principium numeri addit aliquid supra ens ad genus quantitatis pertinens. » P. I. Qu. XI. Artic. I, ad 1.

V. Unitas transcendentalis non distinguitur realiter ab entitate rei, distinguitur tamen ratione. Quod ratione distinguatur manifestum est. Entitas enim præcise sumpta non dicit formaliter indivisionem, quæ formaliter importatur in unitate ut unitas est; quæ quidem distincta formalitas sufficit ad distinctionem rationis. Probatur igitur prima pars propositionis. Unitas transcendentalis, ut dictum est supra, n. II. non aliud significat quam rei indivisionem. Ergo unitas transcendentalis non distinguitur realiter a rei entitate. — *Consequentia* constat imprimis ex n. præced.; deinde confirmatur ratione S. Thomæ, Artic. cit. Nam omne ens ratione suæ entitatis aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum actu et potentia, seu neque divisum est, neque dividi potest. Quod autem est compositum, non habet esse suum entitativum ut compositum est, quamdiu partes ejus sunt divisæ, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quod esse seu natura cujuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est etiam quod unumquodque, sicut custodit suum esse, ita

custodit suam unitatem. — Hinc illud tritum in Scholis axioma : *unum* (transcendentale) *et ens convertuntur*, seu sunt idem.

VI. De speciebus unitatis. Unitas in indivisione consistit. Igitur juxta diversos gradus indivisionis, distingui possunt diversi gradus, seu diversæ species unitatis, nempe :

Unitas indivisibilitatis et *compositionis.* Res enim quæ una dicitur aut simplex omnino est, aut composita. Si simplex omnino, non solum est actu *indivisa*, sed etiam indivisa potentia seu *indivisibilis.* Si composita, erit quidem indivisa actu, sed divisa potentia, seu *divisibilis.* Unitas indivisa tum actu tum potentia, dicitur unitas *indivisibilitatis;* unitas indivisa actu sed divisa potentia, dicitur unitas *compositionis* et etiam unitas *perfectionis.* — P. III. Qu. LXXIII. Artic. II. — Ex quo sequitur, ut corollarium, quod subjecto omnimode simplici maxima conveniat unitas.

Unitas naturalis, artificialis, aggregationis. Unitas autem compositionis, aut resultat ex partibus natura sua ordinatis ad talem unitatem constituendam, ut sunt anima et corpus in homine, et dicitur *unitas naturalis;* aut ex partibus artificio ordinatis, ut colores in pictura, et habetur *unitas artificialis;* aut ex partibus temere vel sola relatione contiguitatis unitis, ut lapidum acervus, et exurgit *unitas aggregationis.*

Unitas per se et *unitas per accidens.* Unitas sive indivisibilitatis, sive compositionis naturalis, per quam res in propria natura indivisa constituitur, dicitur *unitas per se;* unitas vero artificialis, vel aggregationis, vel alterius cujuscumque rationis ex qua rei essentia non exurgit, dicitur *per accidens*, ut unitas ex homine et colore (L. 21, IV).

Unitas numerica, specifica, generica. Denique prout unitas dicit rei indivisionem in plures numero, ut *Petrus;* vel in plures species, ut *homo;* vel in plura genera, ut *animal;* dicitur *numerica, specifica, generica* (L. 4, III; 6, IV).

VII. De identitate. Unitatis notioni affinis est notio *identitatis*, quæ est *convenientia rei cum seipsa*, ut cum dicimus : *Petrus est idem sibi ipsi*, vel : *Homo est idem ac animal rationale* (L. 8, III). Est autem vel *numerica*, vel *specifica*, vel *generica*, ut de unitate dictum est. — Insuper est vel *realis* vel *rationis* seu *formalis;* secundum

quod aut res est identica in se, quamvis sub diversis conceptibus intelligatur, ut *animalitas* et *rationalitas* in homine : vel secundum quod etiam *ratione* ipsa idem est, ut *homo* et *animal rationale* (1).

ARTICULUS SECUNDUS

(14)

De distinctione et multitudine.

I. Distinctionis notio. Sicut unitati opponitur multitudo, ita identitati opponitur distinctio. Porro notio distinctionis vulgatissima est, et cuique aperta, quam, si explicare tentas, obscuram reddis. Distincta dicimus, quorum unum non est alterum; unde, abstracte sumpta, distinctio non incongrue dici potest, *carentia identitatis inter plura.* Sunt autem plures distinctionis species, quæ quia frequentissime in scientiis occurrunt, ideo singillatim sunt expendendæ.

II. Distinctio realis et rationis. Trita est hæc divisio distinctionis in *realem* et *logicam* seu *rationis.* — *Realis* distinctio est carentia identitatis inter plura independenter et antecedenter ad mentis considerationem, ut distinctio quæ est inter duo individua, inter animam et corpus, etc. — Distinctio *logica* est carentia identitatis rebus tributa per solam mentis considerationem et ab ipsa mentis consideratione pendens; ita animalitatem et rationalitatem in homine per mentem distinguimus quasi duas res, quæ tamen in homine non sunt duæ res, sed una : unum enim est vitale principium, unde homo simul est et animal et rationale.

III Distinctio entitativa, modalis et virtualis. Distinctio realis subdividitur in *majorem,* seu *realem-realem,* seu *realem* simpliciter, seu *entitativam,* in *modalem* et *virtualem.* Prima est distinctio rei a re, sive hujusmodi res sint subs-

(1) Addi possunt : *Unicitas,* quæ est unitas rei taliter divisæ a quolibet alio, ut excludatur existentia, sive actualis tantum sive etiam possibilis entis ejusdem ordinis et entitatis. E. g. : Deus est unus = unicus.

Similitudo, quæ est convenientia quæ oritur inter plures res propter identitatem logicam accidentalem *qualitativam.*

Æqualitas, quæ est convenientia quæ oritur ex identitate logica accidentali *quantitativa.* Cf. REINSTADLER, *Ont.,* p. 277.

Identitas est convenientia in substantia.

tantiæ, ut distinctio animæ et corporis, Dei et mundi, etc., sive res sint substantiæ et accidentia, vel accidentia solummodo, ut distinctio quæ est inter hominem et suam doctrinam vel suum colorem, et distinctio quæ est inter colorem et saporem pomi. — *Modalis* est distinctio rei a modo quo afficitur, ut distinctio lineæ a sua rectitudine vel curvitate, hominis a sessione vel deambulatione, etc. — *Virtualis* est distinctio rei ratione virtutis qua ipsa res pollet plura præstandi, ita ut res una existens fundamentum nobis suppeditet plures formalitates in ipsa distinguendi juxta plura, quæ res ipsa potest præstare. Ita anima humana una est essentia formaliter, scilicet rationalis, et tamen triplex virtute, quia ipsa sola in homine facit quidquid faciunt aliæ inferiores formæ in brutis, plantis et corporibus. — Recte animadvertit Goudin hanc distinctionem virtualem non tam esse distinctionem, quam fundamentum distinctionis. *Metaphys.* Disp. I. Qu. III. Art. II. §. I.

IV. Distinctio rationis ratiocinatæ et rationis ratiocinantis. Distinctio a mente facta in re aliqua, quin res ipsa *proximum* fundamentum præbeat ad talem distinctionem, dicitur distinctio rationis *ratiocinantis;* ut si distinguamus rationem *subjecti* vel rationem *prædicati* in aliqua re. Hujusmodi enim sunt omnino entia rationis. — Quod si res, quamvis una et indivisa in se, præbeat tamen fundamentum proximum distinguendi plures in ipsa formalitates, distinctio innixa tali fundamento dicitur rationis ratiocinatæ, et etiam *metaphysica.* Talis est distinctio virtualis in anima, ut supra dictum est. — Adverte tamen in distinctione rationis ratiocinantis rem non esse fundamentum proximum talis distinctionis, esse tamen fundamentum remotum : nam, ut. I. Dist. II. Qu. I. Artic. III. Angelicus notat, « ex hoc quod intellectus intelligit animal in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis, et hujusmodi intentionis licet proximum fundamentum non sit in re sed in intellectu, tamen remotum fundamentum, est res ipsa. Unde intellectus non est falsus, qui has rationes adinvenit. »

Distinctio denique rationis ratiocinatæ alia *major*, alia *minor* dicitur. *Major* distinguit in re formalitatem quarum una aliam ex se non includit, et ideo possunt separatim inveniri in diversis subjectis ut *animalitas* et *rationalitas.* — *Minor* vero eas distinguit formalitates, quarum una, licet non sit formaliter alia, ratione tamen subjecti in quo sunt, includit aliam et est inseparabilis ab illa, sicut justitia, e. g.,

formaliter sumpta non est in Deo misericordia formaliter sumpta (et ideo inter unam et aliam est distinctio non rationis tantum ratiocinantis sed ratiocinatæ), reapse tamen et ut in Deo sunt, una est realiter alia et ab illa inseparabilis ratione perfectissimæ divinæ simplicitatis.

V. Distinctio ex parte naturæ objecti cogniti. Præter distinctiones hucusque explicatas, est alia distinctionis divisio, quæ immediate sumitur ex natura objectorum nostræ cognitionis, et quam breviter et dilucide tradit S. Thomas, I. Dist. XIX. Qu. V. Artic. I. « Eorum, inquit, quæ significantur nominibus invenitur triplex diversitas. Quædam enim sunt, quæ secundum esse totum completum sunt extra animam; et hujusmodi sunt entia completa, sicut homo et lapis. Quædam autem sunt, quæ nihil habent extra animam, sicut somnia et imaginatio chimæræ. Quædam autem sunt, quæ habent fundamentum in re extra animam sed complementum rationis eorum, quantum ad id quod est formale, est per operationem animæ, ut patet in universali ». (Cf. O, 6. II.)

VI. Distinctio Scotistica. Distinctiones quas dedimus communiter a philosophis admittuntur ut veræ, et sunt apprime necessariæ ad hoc ut, bene distinguendo, confusionem vitemus in nostris ideis judiciisque nostris. Sed Scotus, vel, ut aliis placet, Scotistæ aliam distinctionem excogitarunt quam vocant distinctionem *actualem formalem ex natura rei.* Hæc igitur distinctio scotistica non est realis entitativa, neque realis modalis, neque rationis; sed est *formalis*, ut puta inter animalitatem et rationalitatem in homine; est *actualis*, quia rebus inest independenter a mentis nostræ consideratione; est *ex natura rei*, quia una formalitas aliam non includit, ut supra diximus de ratione ratiocinata *majori.* Verum hæc scotistica distinctio jam in scholis obsoleta est, nec immerito. Etenim distinctio illa posita inter formalitates seu gradus metaphysicos rei, aut est meræ rationis ratiocinantis, ut quidam volunt, aut verius est ipsamet distinctio virtualis qua mediante, satis in re distinguimus formalitates illas, propter quas Scotus novam distinctionem confinxit. Sed de his satis : qui plura cupit conferat Goudin *Metaphys.* Disp. I. Qu. 1. Artic. II. §. II et III. ubi doctissimus Auctor multa disserit copiose et profunde contra sententiam Scotistarum, quæ forsitan suo tempore erant necessaria, nostro tamen sunt inutilia.

VII. De multitudine. Sicut ex indivisione unitas, ita ex divisione oritur multitudo. Est autem multitudo, ut cum

communi hominum sensu docet S. Thomas, *id quod est ex unis, quorum unum non est alterum.* I. Dist. XXIV. Qu. I. Art. III. ad 2. — In V. *Metaphysic.*, Lect. XV. — P. I, Qu. XI. Artic. II.

VIII. — Oppositio inter unum et multitudinem. Ex data notione infertur multitudinem, ut multitudo est, opponi unitati ut unitas est. Unum enim formaliter sumptum, aut consideratur ut est principium numeri, aut ut est transcendentale (13, III et IV). Sed utroque modo unum, ut unum, opponitur multitudini, ut est multitudo. Nam unum, quod est principium numeri, opponitur multitudini, quæ est numerus, sicut mensura mensurato : talis enim unitas numerum seu multitudinem mensurat, quia revera per repetitionem unitatis multitudo mensuratur. Unum vero transcendentale, quod cum ente convertitur (13, V), opponitur multitudini per modum privationis, sicut indivisum diviso : quia scilicet præfata unitas essentialiter importat negationem divisionis, et multitudo essentialiter importat divisionis affirmationem. — P. I. Qu. XI. Artic. II.

IX. De unitate et multitudine in eodem subjecto. Consulto dixi in propositione præcedenti, unum et multitudinem non utcumque sed *formaliter* accepta ad invicem opponi : nihil enim prohibet quominus aliquid diverso sensu sit unum et multiplex. Quam doctrinam egregie explicat S. Thomas, *loc. prox. cit.*, Artic.. I. ad 2 : « Nihil prohibet, inquit, id quod est uno modo divisum, esse alio modo indivisum; sicut quod est divisum numero, est indivisum secundum speciem : et sic contingit aliquid esse uno modo unum, alio modo multa. Sed tamen, si sit indivisum simpliciter, vel quia est divisum secundum id, quod pertinet ad essentiam rei, licet sit divisum quantum ad ea, quæ sunt extra essentiam rei, sicut quod est unum subjecto (L. 8, IV), et multa secundum accidentia : vel quia est indivisum in actu, et divisum in potentia, sicut quod est unum toto, et multa secundum partes; hujusmodi erit unum simpliciter, et multa secundum quid. Si vero aliquid e converso sit indivisum secundum quid, et divisum simpliciter, utpote quia est divisum secundum essentiam, et indivisum secundum rationem, vel secundum principium sive causam : inerunt multa simpliciter, et unum secundum quid; ut quæ sunt multa numero, et unum specie, vel unum principio. »

X. Omnis multitudo præsupponit unitatem et in unitate fundatur. Nam multitudo, ut diximus, est ex pluries repe-

tita unitate; igitur si ab unitate abstrahatur, non datur ex quo resultet multitudo. Præterea multitudo est id quod est divisum in partes non continuas. Atqui ratio divisionis omnino repugnat ubi unum quid dividendum aut divisum non præsupponatur. Qua de causa recte docet S. Thomas, loc. cit., quod « *ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub uno*, et quod *non est multitudo non participans uno :* Dicit enim Dionysius cap. ult. de Div. Nom. quod non est multitudo non participans uno; sed quæ sunt multa partibus sunt unum toto; et quæ sunt multa accidentibus sunt unum subjecto; et quæ sunt multa numero sunt unum specie; et quæ sunt speciebus multa sunt unum genere; et quæ sunt multa processibus sunt unum principio. » Habes etiam in his verbis multitudinis divisiones.

XI. De identitate indiscernibilium. Hic opportunus locus est pauca adnotandi circa notissimum illud principium, *identitatis indiscernibilium* a Leibnitzio primitus excogitatum. Hic igitur Auctor, fama doctrinæ merito percelebris, arbitratus est, non posse dari duo individua quaquaversus similia, ita nempe ut non per aliquid quod sit in uno et non in alio distinguantur, sed quia unum non est aliud, et ideo sunt duo et non unum. Hujusmodi entia non posse dari contendebat Leibnitzius, quia, ut ipse aiebat, nulla esset ratio sufficiens; Leibnitzio obstitit Clarkius. Quid vero hac in re sentiendum mihi videatur, paucis aperiam.

Hæc igitur quæstio sub duplici aspectu considerari potest : 1° quidem, supponendo quod totum omnino id, sive essentiale sive accidentale, quod est in individuo A, sit etiam in individuo B, non quocumque modo sed identitate absoluta, hoc est numerica. Et in hac hypothesi omnino impossibile est dari duo præfata individua : essent enim simul et sub eodem respectu *duo*, ut supponitur, et *unum*, quia vi identitatis absolutæ et universalis, non haberent unde differrent, et unum esset aliud, eo modo quo A non differt a seipso. 2° supponendo quod in A sit totum id quod est in B non per identitatem, ut in prima hypothesi, sed per similitudinem. Et in hac secunda hypothesi nihil prohibet quominus possint ab omnipotentia divina duo perfecte *similia* produci, quæ similia essent, sed non *identica :* hæc enim similia, ut quisque concedit, præ se ferunt rationem *entitatis;* quidquid autem tale est, a Dei omnipotentia produci potest. — Quod vero Leibnitzius subjungit hujusmodi similia (quæ ipse abusive *identica* vocat : ex qua æquivocatione forte nata est quæstio) non repugnare quidem omni-

potentiæ, sed repugnare sapientiæ Dei, effugium est inane : absolute enim loquendo Deus per suam omnipotentiam haud potest facere quod ejus sapientiæ repugnat; unde non repugnare sapientiæ divinæ Leibnitzius fateri debet illud, quod vel ipse concedit non repugnare divinæ omnipotentiæ. Sed de hac quæstione satis (1).

ARTICULUS TERTIUS

(15)

De veritate (2).

I. Veritas, ut est objectum Metaphysicæ. Egimus jam in Logica de veritate logica seu cognitionis quam consistere diximus in conformitate intellectus nostri cognoscentis cum re cognita (L. 40, I). At sicut de homine dicitur quod vere vel falso judicat de re aliqua, quod pertinet ad veritatem vel falsitatem logicam; ita communiter dicitur quod hoc vel illud sit, e. g., *vera virtus*, *falsum aurum*, etc. : quod est veritatem vel falsitatem ipsis rebus tribuere. Veritas prout de rebus ipsis affirmatur, vocatur veritas *metaphysica*, quam antiqui dicebant etiam *transcendentalem*, et non immerito dicitur quoque *ontologica* et *objectiva*, quia de objecto affirmatur. De hac transcendentali veritate agitur in Metaphysica generali seu Ontologia.

II. Veritas ontologica non differt realiter ab entitate rei, quæ dicitur vera. In antecessum suppono ut certissimum veritatem non esse quid negativum, sed essentialiter esse quid positivum : quis enim sanæ mentis dixerit verum in negatione consistere? — Qua declaratione præmissa, probatur de facili propositio, quæ indiget potius declaratione quam probatione. — Unumquodque ens eo ipso quod est, verum est esse id quod est; sed est id quod est non alio quam propria entitate; igitur unumquodque ens ea ipsa

(1) *Diversitas* est distinctio inter plura quæ nec *genere proximo conveniunt*. Homo et petra e. g.

Differentia, rigorose loquendo, est distinctio eorum quæ *genere proximo* conveniunt.

(2) Quæ in hoc articulo ab Auctore traduntur socianda sunt cum illis quæ in Log. 40, 47, tradita sunt, et strenue vindicanda contra relativismum exaggeratum philosophiæ quæ dicitur *nova*, ne per ejus subjectivismum in scepticismum universalem labamur.

entitate qua est ens, est verum : seu veritas ontologica rei non differt realiter ab ipsius rei entitate. Unde illud axioma : *verum et ens convertuntur* (1).

III. Quæstio prima. Sed quæstio hic occurrit, ex cujus solutione non levis momenti illationes inferuntur. Veritatem non realiter distingui a rei entitate probavimus; at ipsam distingui ratione nemo negat, quia alia est *formalitas* significata per entitatem, alia per veritatem : quod sufficit ad distinctionem rationis (Art. præc., nn. II, IV). Quæritur igitur primo, in quo consistat hujusmodi formalitas, seu undenam res dicatur vera. Pro cujus quæstionis solutione dico :

IV. Formalitas, per quam ens dicitur formaliter verum, est ordo seu relatio ipsius entis ad aliquid. Probatur. Acute notat S. Thomas, Qq. Disp. *De veritate.* Qu. XXI. *de Bono*, Artic. I. quod « id quod est rationis tantum non potest esse nisi duplex, scilicet negatio vel aliqua relatio. Omnis enim positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat ». Atqui veritas, seu formalitas per quam ens dicitur formaliter verum, est quid distinctum solummodo ratione ab entitate rei, et tamen non est quid negativum sed positivum, ut supra (n. II) dictum est. Ergo hujusmodi formalitas est ordo, seu relatio ipsius entis ad aliquid. — Cf. S. Th., *loc. cit.*

V. Quæstio altera. Sed quæritur immediate, quodnam sit illud ad quod ens, ut formaliter verum, dicit relationem : relatio enim sine termino ad quem referatur, ne mente quidem concipi potest. Ad hanc secundam quæstionem respondeo :

VI. Veritas dicitur formaliter de ente per ordinem ad intellectum. Probatur. Veritas idem sonat ac cognoscibilitas, seu intelligibilitas : nam sicut bonum dicitur de re quatenus est appetibilis, ita verum dicitur de re quatenus est intelligibilis; insuper veritas adæquationem quamdam designat, quia ex eo dicitur aliquid verum vel falsum, quod rem comparamus alicui, quod ut norma assumitur veri vel falsi. Atqui intelligibilitas est ordo rei ad intellectum intelligen-

---

(1) Hinc S. Augustinus : « Veritas est qua ostenditur id quod est ». (*De vera Religione*, cap. 36).

S. Hilarius : « Verum est declarativum aut manifestativum esse ». (*De Trinit.* lib. 5).

Bossuet : « Le vrai, c'est ce qui est; le faux, ce qui n'est pas ». (*Connaissance de Dieu et de soi-même*, cap. I, XVI).

tem, ut patet ex terminis, et pariter ordinem ad intellectum importat ratio adæquationis. Ergo veritas formaliter accepta est ordo seu relatio entis ad intellectum. — Probatur secunda pars *minoris :* de prima enim constat ex terminis, ut dictum est. Adæquatio non est unius ad seipsum, sed alterum. Hoc autem alterum non potest esse nihilum, quia ad nihilum non datur adæquatio. Ergo debet esse aliqua entitas. Non autem potest esse entitas in se sumpta seu realis, quia de hac ipsa eadem rediret quæstio. Cum ergo nihil sit medium inter entitatem realem et entitatem idealem, remanet quod terminus præfatæ adæquationis sit entitas idealiter accepta, hoc est, ut existens in intellectu. Et ideo per ordinem ad intellectum veritas dicitur de ente. — Cf. S. Th., Qq. Dispp. *De veritate*, Qu. I. Artic. I. et Qu. XXI. Artic. I; P. I. Qu. XVI. Artic. III; I. Dist. XIX. Qu. V. Artic. I.

VII. Quæstio tertia. Quæritur tertio loco, cujus generis sit relatio vel ordo, quem ens, ut est verum, dicit ad intellectum. Cum autem duplex sit intellectus, increatus nempe et creatus, hanc quæstionem duobus distinctis paragraphis solvam, dicendo imprimis de veritate rerum in ordine ad intellectum divinum, deinde in ordine ad intellectum creatum.

VIII. Veritas dicitur de rebus per essentialem ordinem dependentiæ ad intellectum divinum. Hæc propositio intime connexa est cum illa, in qua demonstravimus dependentiam essentiarum a divino intellectu (11, IX). Probatur. Veritas dicitur formaliter de rebus per ordinem ad intellectum. Ergo per essentialem dependentiæ ordinem ad intellectum illum, a quo pendet ipsa rei entitas, quæ cum sua veritate idem realiter est. — *Consequentia* est manifesta. Atqui rei entitas essentialiter pendet ab intellectu divino, in quo sunt æternæ ideæ archetypæ et idealiter formativæ rerum, antequam res sint in seipsis, et ad quarum similitudinem res fiunt, quoties per voluntatem divinam extra Deum producuntur (11, IX). Ergo veritas dicitur de rebus per essentialem dependentiæ ordinem ad intellectum divinum.

IX. Veritas dicitur de rebus etiam per ordinem ad intellectum creatum; at non per ordinem essentialem dependentiæ, sed accidentalem et efficentiæ. Quod veritas de rebus dicatur etiam per aliquem ordinem ad intellectum creatum, manifestum est ex eo quod et res potest intelligi et intelligi-

tur de facto ab hoc intellectu; ratio autem intelligibilitatis, ut supra diximus, est ipsamet ratio veritatis. — Probatur itaque secunda pars propositionis. Veritas rei dicit ordinem exclusive accidentalem et efficientiæ, non autem essentialem et dependentiæ ad intellectum, a quo entitas rei veræ non dependet, et cujus veritas logica seu cognitionis mensuratur a veritate rerum. Atqui res quoad propriam entitatem non pendent ab intellectu creato, et intellectus creatus mensuratur in sua veritate logica ab ipsis rebus, quibus indiget conformari ut verus dicatur, sicut late probavimus in Logica contra Kantium (56, I et seqq.). Ergo ordo, quem dicit veritas rei ad intellectum creatum, est ordo accidentalis, et non dependentiæ, sed efficientiæ (1).

X. Argumentatio S. Thomæ. Utriusque conclusionis nostræ de verbis : « Res autem intellecta ad intellectum aliquem potest habere ordinem vel *per se*, vel *per accidens*. Per se quidem habet monstrationem tradit Angelicus, P. I. Qu. XVI, Artic. I, his ordinem ad intellectum, a quo dependet secundum suum esse; per accidens autem ad intellectum, a quo cognoscibilis est. Sicut si dicamus, quod domus comparatur ad intellectum artificis per se, per accidens autem comparatur ad intellectum, a quo non dependet. Judicium autem de re non sumitur secundum id quod inest ei per accidens, sed secundum id quod inest ei per se. Unde unaquæque res dicitur vera absolute secundum ordinem ad intellectum, a quo dependet. Et inde est, quod res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum. Dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ, quæ est in mente artificis : et dicitur oratio vera, in quantum est signum intellectus veri. Et similiter res naturales dicuntur esse veræ, secundum quod assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt

(1) « L'attribut *vrai, véritable* n'est donc pas appliqué à une chose considérée à l'état absolu; il est réservé aux choses référées à leur type idéal, que nous supposons connu d'ailleurs et jugé de même nature que lui. La *vérité ontologique* est donc un rapport d'identité de nature entre une chose présente et un type idéal présupposé.

Voilà le sens de la définition, universellement acceptée, de la vérité : *Veritas est adæquatio rei et intellectus*. Per *res*, il faut entendre une chose que nous percevons ou que nous imaginons au moment présent. Par *intellectus*, il faut entendre la notion préalable de la chose perçue ou imaginée. La conformité exacte — *adæquatio vel conformitas* — du sujet perçu ou imaginé, avec son type mental, est sa vérité ». (MERCIER, *Metaph. Gener.* 4, p. 203.

in mente divina. Dicitur enim verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundum præconceptionem intellectus divini. Sic ergo veritas principaliter est in intellectu, secundario vero in rebus secundum quod comparantur ad intellectum ut ad principium. Et secundum hoc veritas diversimode notificatur. »

XI. Corollaria. Exinde inferuntur nonnulla corollaria scitu dignissima et pernecessaria philosopho :

Primum. Ratio veritatis per prius est in intellectu quam in rebus. — Hoc corollarium ita explicat S. Thomas in citato Art. I : « Sicut bonum, inquit, nominat id, in quod tendit appetitus : ita verum nominat id, in quod tendit intellectus. Hoc autem distat inter appetitum et intellectum, sive quamcumque cognitionem, quia cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscente : appetitus autem est secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam; et sic terminus appetitus, quod est bonum, est in re appetibili. Sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu. Sicut autem bonum est in re in quantum habet ordinem ad appetitum, et propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibilli in appetitum, secundum quod appetitus dicitur bonus, prout est boni; ita, cum verum sit in intellectu, secundum quod conformatur rei intellectæ, necesse est, quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur, secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum. »

Secundum. Omnia dicuntur vera a prima veritate. — Nam ratio veri, ut supra probatum est, rebus non convenit, nisi quatenus dicunt ordinem conformitatis ideis existentibus in divino intellectu, secundum quas sunt a Deo formatæ. Unde veritas rei recte dici potest, *ejus adæquatio* vel *conformitas cum intellectu divino.*

Tertium. Remoto igitur per hypothesim divino intellectu, perit omnino veritas rerum, quemadmodum diximus loquendo de dependentia essentiarum a Deo (II, IX) (1).

XII. De diversis acceptionibus veritatis. Ne error ex æqui-

(1) Hodierni addunt notionem *veritatis moralis* seu *ethicæ*, quæ est conformitas vel adæquatio sermonis ad sententiam loquentis; et habetur consequenter quando aliquis sincere loquitur. In veritate ethica intellectus se habet concomitanter ad rem; veritas enim ethica hæc duo esse simul seu jam unita supponit, cum ea habeatur in sensibili cognitionis signo.

vocationibus oriatur (quod non infrequenter accidit), notandum est veritatem ab auctoribus vario sensu accipi, et consequenter varie describi. *Verum* siquidem triplici potissimum sensu accipitur: uno modo *fundamentaliter*; et est ipsamet rei entitas indistincta tum re tum ratione a veritate, seu est *id quod est*: altero modo *formaliter*, secundum scilicet quod veritas est ratione distincta a rei entitate; quo sensu *veritas* dici potest, *entitas rei ut dicens ordinem ad intellectum*. Tertio modo *effective* seu *logice*, prout videlicet est in intellectu cognoscente; et in hoc sensu veritas definita a nobis est (L. 40, I) *adæquatio seu conformitas intellectus cum re*. — Manifestum est autem veritatem in propositionibus supra positis sumptam a nobis esse in sensu formali (Cf. S. Th., I. Dist. V. Artic. I). — In primo articulo Quæstionis primæ *De veritate* inter *Disputatas* et in P. I. Qu. XVI. Artic. I. S. Doctor de triplici illo sensu loquens, affert varias veritatis definitiones traditas a philosophis, quæ veræ sunt juxta varios sensus in quibus veritas accipitur. Videsis.

XIII. Objectiones contra realem identitatem entis et veri. Quia communiter convenit inter philosophos circa realem identitatem entis et veri, non immorandum est in objectionibus solvendis contra thesim manifestissimam. Tantum ex prima parte *Summæ theologicæ* S. Thomæ, Qu. XVI. Artic. III, tres difficultates cum responsionibus ejusdem S. Doctoris exscribimus, quia in iisdem responsionibus continentur nonnullæ accuratissimæ declarationes. Pro ceteris objectionibus lectorem remitto ad Quæstiones dispp. *De veritate*, Qu. I. Art. I.

Objectio prima. Verum est proprie in intellectu. Atqui ens est proprie in rebus. Ergo verum et ens non sunt realiter idem.

Resp. Distinguo *majorem*: Verum logicum est proprie in intellectu, *concedo*: verum ontologicum, *subdistinguo*; est proprie et exclusive in intellectu, *nego*; est in intellectu, sed est etiam in rebus, *concedo*. Et transmissa *minori*, nego *conseq*. — Verum logicum seu cognitionis procul dubio est in intellectu cognoscente; at verum ontologicum est simul in intellectu et in rebus, quia res ipsa dicitur vera ex sua relatione reali ad intellectum divinum a quo dependet, ut dictum est, quæ veritas est realiter idem cum entitate et ab ista solummodo ratione distincta. Ex quo sequitur quod veritas rei est manifestativa veritatis intellectus, cui conformatur. — At insuper dici potest ad *minorem* quod etiam ens est in rebus et in intellectu, sicut

et verum, licet verum principaliter in intellectu, ens vero principaliter in rebus. Et hoc accidit propter hoc quod verum et ens differunt ratione.

Objectio secunda. Id quod se extendit ad ens et non-ens, non convertitur cum ente. Atqui verum se extendit ad ens et non-ens. Ergo verum et ens non convertuntur.

Resp. Distinguo *minorem;* Verum se extendit ad *non-ens*, ut est *non-ens* in se *nego;* ad *non-ens* ut est quoddam ens rationis, *concedo;* et nego *conseq.* — *Non-ens* non habet aliquid positivum in se, ut contra Hegelium probavimus (L. 57), et consequenter non habet in se unde cognoscatur; cognoscitur tamen in quantum intellectus facit illud intelligibile, illud nempe in ente et per ens apprehendendo ut negationem ipsius entis, seu ut ens negatum. Unde verum fundatur in *ente*, et eatenus se extendit ad *non-ens*, quatenus *non-ens* est quoddam ens rationis (sup., n. IV) apprehensum scilicet, modo dicto, a ratione.

Objectio tertia. Quæ se habent secundum prius et posterius, non convertuntur. Atqui verum prius est quam ens : nam ens non potest intelligi sine ratione veri. Ergo verum et ens non realiter convertuntur.

Resp. Nego *minorem;* et ejus probationem *distinguo :* ens non potest intelligi sine ratione veri logice sumpti, *concedo;* sumpti ontologice et formaliter, *nego.* Et nego *conseq.* — « Cum dicitur quod ens non potest apprehendi sine ratione veri, hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo ita, quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri assequatur apprehensionem entis. Et sic locutio habet veritatem *(quia in hujusmodi apprehensione habetur adæquatio perfecta vel imperfecta intellectus cognoscentis cum re cognita, in qua adæquatione veritas logica consistit, ut in Logica* — 40, I et seqq. — *dictum est).* Alio modo posset sic intelligi, quod ens non posset apprehendi, nisi apprehenderetur *(ut objectum)* ratio veri *(formaliter et ontologice inspecti).* Et hoc falsum est. Sed verum non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis, quia ens cadit in ratione veri. Et est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens : non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile.

Sed tamen potest intelligi ens ita, quod non intelligatur ejus *intelligibilitas.* Et similiter ens intellectum est verum, non tamen intelligendo ens, intelligitur *(necessario et formaliter)* verum. » — *Loc. cit.*, ad. 3.

ARTICULUS QUARTUS

(16)

De falsitate.

I. Falsitatis notio. Falsum dicimus per oppositionem ad verum : unde falsitas et veritas oppositas definitiones suscipiunt. Quia igitur veritas generatim sumpta est, adæquatio rei et intellectus, merito a S. Thoma, Qq. Disp. *De veritate*, Qu. I. Artic. X, falsitas definitur: *inæqualitas rei et intellectus.*

II. Corollaria. Hinc deducuntur sequentia corollaria :

Primum. Quia eadem est oppositorum ratio, ut fert commune adagium, sicut veritas dicitur per ordinem ad intellectum, ita et per ordinem ad intellectum dicitur falsitas.

Secundum. Insuper, sicut veritas, ita et falsitas tripliciter sumi potest : 1° fundamentaliter, pro ipsa rei entitate, seu verius pro *non-entitate;* 2° formaliter pro ordine inadæquationis; 3° *effective* seu *logice* pro inadæquatione intellectus nostri cum re cognita, ut in Logica (40, I) dictum est. Patet falsitatem primo et secundo sensu ad considerationem Ontologiæ pertinere, ut de veritate diximus. Tertio sensu sumpta, falsitas ad Logicam pertinet.

Tertium. Absolute repugnat dari falsitatem fundamentaliter sumptam. Cum enim verum sit oppositum falso, et quidquid habet rationem veri ita habeat etiam rationem entis, ut verum et ens realiter sint idem; sequitur necessario quod falsitas fundamentaliter sumpta sit non-entitas. Sed manifeste repugnat dari non-entitatem. Repugnat igitur absolute dari falsitatem fundamentaliter sumptam.

III. Quæstio prima. Falsitas igitur fundamentaliter sumpta non existit neque existere potest. Reliquum ergo est ut falsitas quæ rebus tribuitur, cum dicimus falsum aurum, falsam virtutem, etc., formaliter accipiatur, seu rebus tribuatur per ordinem ad intellectum seu divinum seu humanum, seu utrumque. Quæritur primo, utrum falsitas formaliter sit in rebus respectu divini intellectus. Cui quæstioni respondeo :

IV. Nulla res est formaliter falsa respectu divini intellectus. Probatur. Nulla res potest non esse conformis intellectui artificis, a cujus conceptu pendet ipsa natura rei ipsius

et qui potis est eamdem rem producere perfecte conformem ideæ præconceptæ. Patet hæc *major* ex ipsis terminis. Atqui nulla res est, sive realis, sive possibilis, cujus essentia non pendeat essentialiter a conceptu ideali intellectus Dei, qui utpote perfectissimus et sapientissimus, non solum efficere potest, sed etiam efficit, cum vult, res extra se perfecte conformes ideis suis præconceptis. Ergo nulla res potest non esse conformis intellectui divino; respectu cujus non potest consequenter ulla falsitas formaliter rebus inesse, cum falsitas formaliter accepta in non conformitate rei cum intellectu consistat, ut diximus, n. I.

V. De falsitate morali in ordine ad divinum intellectum. Postquam S. Thomas, P. I. Qu. XVII. Artic. I, superiorem propositionem probavit, hæc notatu dignissima immediate subjungit : « Nisi forte in voluntariis agentibus tantum, in quorum potestate est subducere se ab ordinatione divini intellectus, in quo malum culpæ consistit, secundum quod ipsa peccata falsitates et mendacia dicuntur in Scripturis, secundum illud Psalmi IV: *Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* sicut per oppositum operatio virtuosa veritas vitæ nominatur, inquantum subditur ordini divini intellectus, sicut dicitur JOANN. III. 21 : « *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* » Verum ne error subrepat ex prava interpretatione hujus doctrinæ, nota, aliquid subduci ab ordinatione divina, dupliciter intelligi posse. Uno modo ut incognitum cognoscenti; et hoc modo nihil omnino se ab illa ordinatione subducere potest, quia nihil omnino potest divinum intellectum latere. Alio modo quatenus regulatum deficit a regula, cui conformari tenetur; et hoc modo agentia libera, cum libero arbitrio abutuntur, sese subtrahere conantur ordinationi divini intellectus, cui conformari tenentur, et consequenter est in eorum voluntate difformitas cum ratione divina. Cf. CAJETAN, in art. cit. S. Thomæ.

VI. Quæstio altera. Si autem nihil falsi in rebus est respectu divini intellectus; est ne saltem aliquid formaliter falsum in eisdem rebus respectu intellectus creati? Huic quæstioni satisfaciam duobus distinctis paragraphis.

VII. Nulla res est per se falsa respectu intellectus creati. Probatur. Res, eo modo quo dicitur vera respectu intellectus creati (15, IX), est per se et essentialiter vera; ergo nulla res respectu intellectus creati est per se falsa. *Consequentia* est manifesta, quia esse per se verum et esse per se falsum sunt contradictoria. — Probatur *antecedens*. Res, eo ipso

quod res est, est in se entitas et per se et essentialiter entitas respectu intellectus. Atqui ens et verum realiter sunt idem, seu ipsa rei entitas, prout consideratur respectu intellectus, dicitur vera. Ergo nulla res, respectu intellectus creati, est per se falsa.

VIII PER ACCIDENS **autem aliqua res respectu intellectus humani potest esse falsa.** Propositio ista indiget magis explicatione quam probatione. Cum enim intellectus noster ex extrinsecis rerum procedat ad arguendas earum internas proprietates naturasque intrinsecas, et quædam unius rei extrinseca similia sint extrinsecis alterius rei, ut in vero et falso auro videre est; exinde sumit occasionem errandi, vel tribuendi rebus ipsis falsitatem, ut cum dicit esse *falsum aurum*, quia quamvis extrinseca veri auri præ se ferat, a natura tamen auri deficit. At nemo non videt hanc falsitatem non inesse per se rebus, sed *secundum quid*, vel *per accidens*, ex denominatione scilicet intellectus : in se enim quod ab intellectu dicitur falsum aurum, est verum aliquod metallum. — Cf. S. Th. P. I. Q. XVII. Art. I; et *De veritate*, Qu. I. Artic. X; S. August., Lib. II. *Soliloqu.*, Cap. VI.

IX. Corollaria. *Primum.* Ex dictis consequitur falsitatem in intellectu nostro causari ex rerum similitudine. — Nota tamen cum S. Thoma, P. I. Qu. XVII, Art. I. ad 4, « quod similitudo, vel repræsentatio deficiens non inducit rationem falsitatis, nisi inquantum præstat occasionem falsæ opinionis. Unde non ubicumque est similitudo, dicitur res falsa, sed ubicumque est talis similitudo, quæ nata est facere opinionem falsam, non cuicumque, sed ut in pluribus. »

Corollarium secundum. Res comparata ad intellectum secundum id quod est, dicitur vera; secundum id quod non est, dicitur falsa. Unde *verus* tragædus est *falsus* Hector, ut Augustimus dicit Cap. VI. Lib. II. *Soliloqu.*, quem citat Angelicus, loc. prox. cit. Aliis verbis, omne falsum in aliqua veritate fundatur, ut, Qu. cit. *De veritate*, art. X. ad 5, ipsemet Angelicus ait : nam « aliquid existens extra animam pro tanto dicitur falsum, ut ex dictis patet, quia natum est de se facere falsam æstimationem quando movet virtutem cognoscitivam. Unde oportet quod illud quod *falsum* dicitur, aliquod ens sit. Unde cum omne ens inquantum hujusmodi sit verum, oportet falsitatem in rebus existentem supra veritatem fundari ». Hinc S. Augustinus, *De vera Religione* Cap. XXXIX, merito dicit quod, *nemo ab ipsa veritate dejicitur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis.*

ARTICULUS QUINTUS

(17)

De bono.

I. Bonitatis notio. Vulgari notione, bonitas est proprietas qua ens in se habet unde valeat in nobis excitare appetitum seu amorem sui. Hinc Aristoteles et post ipsum Scholastici dixerunt, *bonum esse quod omnia appetunt*, seu, *quod est appetibile*. Huic bonitatis vulgari conceptui libenter insistimus ut ejus naturam declaremus.

Porro, si quæras cur appetitus feratur in id quod bonum dicimus, respondent omnes, *quia quod amatur amanti* CONVENIT : quicumque denique sit modus quo conveniat. Igitur notio bonitatis in convenientia cum appetitu consistit; unde bonum dici potest : *Ens appetitui conveniens.*

Atqui nihil appetitui convenit, nisi quatenus ad perfectionem confert appetentis : sunt enim æquivalentes hujusmodi propositiones : *id mihi convenit*, *id me perficit*. Ergo ratio bonitatis ultimo resolvitur in rationem perfectionis, *activæ* quidem ex parte objecti, *passivæ* vero seu perfectibilitatis ex parte subjecti, quod a bono perficitur vel perfici potest.

II. De appetibili formaliter, et de appetibili fundamentaliter. Diximus bonum esse id quod omnia appetunt, seu id quod est appetibile; sed Scholastici, ut videre est in Cajetani *Commentariis* in P. I. Qu. V. Artic. I, appetibile distinguebant in *formale* et *fundamentale*. *Formale* quidem, quatenus appetibile reduplicative consideratur ut dicens ordinem ad appetitum; *fundamentale*, quatenus in appetibili consideratur exclusive *ratio*, vi cujus est appetibile et quam diximus esse perfectionem. Porro si appetibile consideretur *formaliter*, ratio appetibilitatis convenit quidem bono, at non ut intrinsece ipsum in propria natura constituens, sed ut quædam proprietas, sicut patet ex præcedenti ratiocinatione, n. I; si vero appetibile consideretur *fundamentaliter*, ratio appetibilitatis intrinsece constituit naturam boni, cujus est essentialiter præ se ferre talem perfectionem, qua appeti possit, ut ex ratione inducta in eodem numero etiam patet. Hanc doctrinam Cajetani citat et approbat Suarez in suis *Disputationibus metaphys.*, Disp. X. Sect. II. §. XVIII. et eam tradit S. Thomas in I. *Ethicorum*, Lect. I (Ed. P., fol.

1, col. 3. *b*), ubi disserens de definitione data ab Aristotele, *bonum est quod omnia appetunt*, probat hanc definitionem esse *a posteriori*. Quocirca recte concludi potest : bonum formaliter acceptum est ipsum appetibile fundamentaliter sumptum.

III. Quæstio. Declarata natura boni, quæstio e vestigio movetur, utrum ratio bonitatis sit idem realiter ac ratio entitatis, seu utrum eo modo se habeat bonum ad ens, sicut ad idem ens se habet verum. Sit igitur conclusio :

IV. Bonum non realiter differt ab ente. Declaratur propositio : hujusmodi enim propositiones probatione proprie dicta non indigent. Bonum transcendentaliter acceptum, de quo sermo in præsenti nobis est, non est quid negativum, sed quid essentialiter positivum, ut omnes concedunt. Atqui quidquid est positivum est idem realiter ac ens : non enim potest esse differentia rationi entis extranea (7, VI). Ergo bonum non realiter differt ab ente. — Hinc illud verissimum axioma : *bonum et ens convertuntur*. — Quia tamen ratio bonitatis distinctam exhibet formalitatem a formalitate expressa nomine entis, sequitur quod bonum differat ratione ab ente. — Patet autem hanc formalitatem, qua ens *bonum* dicitur, esse ordinem entis ad appetitum, eo modo quo de veritate dictum est. Idem enim proportionate est dicendum de bonitate entis, quod diximus de ejus veritate. — Cf. S. Th. P. I. Qu. V. Artic. I. et Qq. Dispp. *De veritate*. Qu. XXI. Artic. I.

V. De ente simpliciter et de bono simpliciter. Ex propositione superiori recte infertur et *bonum esse ens* et *ens esse bonum;* at erraret si quis etiam assereret ens *simpliciter* esse bonum *simpliciter*. Acute et clare, ut in ceteris, ratiocinatur S. Thomas, P. I. Qu. V. Artic. I ad 1, cujus verba transcribo : « Licet, inquit, bonum et ens sint idem secundum rem, quia tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicitur aliquid ens *simpliciter* et bonum *simpliciter*. Nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu (7, III), actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam (8, IV); secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum. Hoc autem est esse substantiale rei uniuscujusque. Unde per suum esse substantiale dicitur unumquodque ens *simpliciter;* per actus autem superadditos dicitur aliquid esse *secundum quid*, sicut esse album significat esse secundum quid. Non enim esse album aufert esse in potentia simpliciter, cum

adveniat rei jam præexistenti in actu. Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile, et per consequens dicit rationem ultimi. Unde id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum *simpliciter;* quod autem non habet ultimam perfectionem quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem inquantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter nec bonum *simpliciter*, sed *secundum quid*. Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens *simpliciter*, et bonum *secundum quid*, id est, inquantum est ens; secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens *secundum quid*, et bonum *simpliciter*. »

VI. Bonum proprie dicitur de solis rebus existentibus Probatur. Inter intellectum et voluntatem hæc est differentia, quod quamvis utraque facultas ad proprium objectum ordinetur, aliter tamen et aliter est utriusque perfectio. Nam cognitio intellectus perficitur ex eo quod cognitum est idealiter in cognoscente; sed voluntas amore fertur in rem amatam. Unde recte S. Augustinus amorem vocat *pondus*, quo amans trahitur a re amata, et quo fertur quocumque fertur. Qua de causa terminus cognitionis, qui est verum, immanet intellectui; contra terminus amoris voluntatis, qui est bonum, est in re amata. Atqui evidens per se est voluntatem trahi realiter non posse a bono amato, nisi bonum istud vere existat. Consequenter nonnisi res existens proprie habet rationem appetibilitatis, seu bonitatis. — P. I. Qu. XVI. Artic. I.

VII. Quo pacto ratio boni extenditur ad non existentia. Consulto dixi bonum *proprie*, nonnisi de rebus existentibus dici : etenim negandum non est aliqua ratione dici etiam de rebus non existentibus, non quasi possit affirmari de *non-existente* quod sit *bonum*, sed quia licet *non-existens* in se sit quid ideale, concipitur tamen ut producendum in esse existentiæ et realiter consequendum a voluntate. Quo in casu, per *non-existentia* intelligimus non ea simpliciter quæ penitus non sunt nec erunt, sed ea quæ licet sint in potentia, tamen concipiuntur ut aliquando futura in actu; quia bonum, utpote terminus appetitus, habet essentialiter rationem finis respectu ejusdem appetitus, et ad ipsum movetur appetitus sicut potentia ad actum. — P. I. Qu. V. Artic. II. ad 2. (1)..

(1) Quia bonitas importat essentialiter perfectionem, sequitur gradus et divisiones entis perfecti, quas Auctor tradit cap. seq., esse etiam gradus et divisiones bonitatis. Sic facile intelligi-

VIII. Species boni. Bonum de ente dicitur per ordinem ad appetitum, qui per bonum perficitur. Cum autem voluntas non appetat nisi præcedente cognitione objecti appetendi : sequitur quod id quod præcogniscitur ut bonum, aut est tale quod per ejus consecutionem appetens revera perficiatur, et dicitur *verum* seu *reale* bonum; aut apparet quidem tale, sed revera non est, et appetens ex ejus consecutione detrimentum patitur, et dicitur *falsum* seu *apparens* bonum.

Præter hanc divisionem, alia est boni divisio vulgatissima et formalis : in bonum *utile*, quod appetitur ut medium ad finem aliquem consequendum; in bonum *honestum*, quod est consentaneum voluntati per rationem ordinatæ et propter se appetitur; in bonum *delectabile*, quod est bonum per sui fruitionem quietans appetitum (L. 17, IV ad 2).

ARTICULUS SEXTUS

(18)

De malo.

I. Mali notio. Malum omnes dicunt per oppositionem ad bonum. Quia igitur bonum diximus illud quod omnia appetunt, quod est appetenti conveniens, quod perfectionis naturam involvit; sequitur nomine mali intelligi illud quod per se non est appetibile, quod appetenti non convenit, quod rationem perfectionis negat. — Qu. *De malo*, inter *Dispp.*, Artic. I.

II. De duplici mali acceptione Atqui hæc perfectionis carentia, quam malum dicit, quibus subjectis tribuatur, et quo sensu sit in scientiis accipienda, sedulo est declarandum. Procul dubio malum est homini brachiis vel oculis carere,

---

tur cur non fiat specialis sermo de bonitate *a se*, de bonitate *ab alio*, de bonitate *accidentali*, de bonitate *essentiali*, etc.

— Notanda insuper pulcherrima doctrina S. Thomæ de modo quo voluntas nostra et voluntas divina se habet ad bonum. « Voluntas enim nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab objecto; amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed e converso, bonitas ejus vel vera vel æstimata provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari quod habet et addi quod non habet, et ad hoc operamur. Sed amor Dei est *profundens* et *creans bonitatem* in rebus ». S. Theol. I, q. 20, a. 2.

sed non est malum lapidi. Quare? Nempe quia homo natura sua exigit habere oculos et brachia, ut partes integrantes ejus naturam; at lapis natura sua illas perfectiones non requirit. Igitur malum stricte sumptum non est simplex negatio boni, sed privatio boni in subjecto capaci, seu ordinato ad habendam perfectionem qua per malum privatur (L. 8, VIII). — Hinc malum dupliciter sumi potest. Uno modo secundum seipsum, prouti nempe dicit *negationem boni;* alio modo in ratione subjecti, ut scilicet malum dicamus ipsum subjectum carens perfectione debita. Ita, cum dicimus *album*, possumus significare vel ipsam albedinem secundum se, vel subjectum affectum albedine. — P. I. Qu. XLVIII. Artic. III; *Contra Gentes*, Lib. III. Cap. VII. n. I; *De malo*, Qu. I. Artic. I.

III. Malum physicum et malum morale. Malum sub utraque denominatione acceptum dividitur in physicum et morale. — Malum *physicum* est privatio entitatis debitæ, ut homini carere oculo vel vita privari, malum physicum est. — Malum *morale* est privatio ordinis ad præscriptas regulas morum, ut occidere innocentem, furari, et alia hujusmodi, quæ directe important privationem ordinis *ad bonum divinum*, ut ait S. Thomas, P. I. Qu. XIX. Artic. IX.

IV. Quæstio prima. Celebres sunt quæstiones, quæ inter philosophos agitatæ sunt circa naturam mali, ejusque causas. Huc enim spectat famosus error Manichæorum, qui circa naturam mali, duce Manete, sectæ auctore, monstra et pene incredibilia docuerunt. Ut enim refert S. Epiphanius, (Hæresi XLVI vel LXVI) Manichæi duo statuebant principia, quæ et principio carerent, nec unquam desinerent, invicemque contraria forent, quorum unum lucem ac bonum appellabant, alterum tenebras ac malum. Et S. Augustinus, qui antea a Manichæis seductus et de eorum doctrinis edoctus, postea vero acerrimus extitit Manichæorum impugnator, ut omnes norunt, ita eos alloquitur in lib. *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. X; *Duos Deos, unum bonum, alterum malum esse perhibetis.* Et in Opere imperfecto contra Julianum, Lib. III. ad CLXXXIX, addit : « Sed illi (Manichæi) sic dicunt malam carnis naturam, ut eam malum esse dicant, non malum habere, quia ipsum vitium non substantiæ accidens, sed substantiam putant esse. » At Manichæi nil novi docebant, sed errorem novo apparatu renovabant, quem ante eos docuerant Marcionitæ et Gnostici, duorum priorum Ecclesiæ

sæculorum hæretici, quibus etiam præiverant nonnulli ex vetustioribus philosophis, de quibus meminit Plutarchus in Libro *de Iside et Osiride*. Horum omnium, ut par erat, patrocinium suscepit præterito sæculo Petrus Bayle in suo *Dictionario*, et novissime mali laudes decantavit Proudhon. Contra quos dico :

V. Intrinsece repugnat existere summum malum ut malum est. Probatur. Intrinsece repugnat existere malum secundum seipsum, seu ut malum est; ergo intrinsece repugnat existere summum malum, ut malum est. Probatur *antecedens*. Malum, ut supra diximus, dicitur per oppositionem ad bonum. Atqui bonum, ut bonum est, est essentialiter ens cum quo realiter convertitur (17, IV). Ergo malum, ut malum est, est essentialiter *non-ens*. Repugnat autem *non-ens* realiter existere, ut ex ipsis terminis patet. Igitur intrinsece repugnat malum secundum seipsum, seu ut malum est, existere. — Hinc sequitur malum non existere nisi in subjecto bono, cujus totalitas boni per malum non destruitur : secus non haberetur nec bonum nec malum, sed nihilum absolute.

Consequentia vero prioris syllogismi est manifesta : nam si repugnat existere malum, ut malum est, a fortiori repugnat existere posse summum malum, ut summum malum est. Etenim malum, ut malum, est *non-ens;* igitur summum malum esset summum *non-ens*. Sed, ut probavimus, intrinsece repugnat existere realiter *non-ens*. Ergo a fortiori repugnat intrinsece posse realiter existere summum *non-ens*. — Alias plures rationes urget S. Augustinus in suo libro contra Epistolam *Fundamenti* et in aliis prope innumeris Scriptis contra Manichæos, præsertim vero in triginta libris contra Faustum Manichæum; necnon S. Thomas, *Contra Gentiles*. Lib. III. Cap. XV. et *Summa Theolog.*, P. I, Qu. XLIX. Artic. III. et alibi passim. At omnes rationes, quæ hac in re adduci possunt, nituntur principio supra posito, quod quidem rem omnino conficit contra Manichæos.

VI. Effugium Manichæorum. At posset aliquis effugium pro Manichæis petere, affirmando, contra manifestas auctoritates Augustini aliorumque fide dignorum SS. Patrum, hæreticos illos nequaquam tribuisse malo secundum se sumpto existentiam, sed asseruisse esse nescio quod subjectum malum, hoc sensu, quod mala influeret necessario et constanter, et malis delectaretur. Hanc hæreseos Manichæorum interpretationem benigniorem post Beausobre in sua *Historia Manichæorum*, prosecutus est An-

tonius Genuensis in sua *Metaphysica*, P. I, *Defin.* 80, *Schol.* — Atqui hac etiam interpretatione data absurda est sententia Manichæorum. Et revera aut hoc subjectum summum malum ponitur productum a summo Bono, nempe Deo, aut improductum. Neutrum autem sine absurditate dici potest. — Non primum, quia natura a Deo summo bono producta et bona in se est, et ad bonum ordinata; ordinatio autem ad bonum cum naturali atque necessaria aversione a bono stare sine contradictione non potest. Non secundum, quia absurdum est aliquid realiter existere quod a Deo productum non fuerit. — Præterea, malum, utpote privatio boni, est carentia boni debiti subjecto, ut supra diximus; et consequenter ipsum non est natura quædam, sed naturæ corruptio et contra naturam, ut recte notat Sanctus Augustinus, Cap. XXXV, contra Epistolam *Fundamenti*. Impossibile autem est quod subjecti cujusque appetitio feratur per se et vi naturæ in boni carentiam, in naturæ corruptionem, in non-entitatem denique; quia cujusque appetitionis terminus est *appetibile*, quod est ipsum bonum, ut supra probavimus (17, I et II), sive verum, sive saltem apparens (*ib.*, IIV). Quocumque igitur sensu accipiatur, *omnis Manichæi fabula falsa est*, ut verbis utar S. Augustini, *loc. cit.*

VII. Quæstio altera. At quæ hucusque contra Manichæos tum antiquos tum recentiores probata sunt, viam sternunt alteri subdifficili quæstioni circa causam mali. Mala enim esse in rebus nemo negat; malum autem est privatio quædam, cujus necesse est esse aliquam causam; undenam igitur malum? — Quæ quidem quæstio solvi potest in genere et in specie : in genere determinando quænam possit esse causa mali; in specie quærendo utrum Deus vel anima humana sint causæ mali physici vel moralis. Quia vero neque de humana libertate, neque de Deo explicitum tractatum habuimus, sequitur quod impræsentiarum nonnisi generice de causa mali agere methodus scientifica permittat. Unde sit conclusio :

VIII. Malum non potest esse nisi a bono, non tamen PER SE, **sed** PER ACCIDENS. Nota quod esse *per se* ex aliqua causa est produci ab ipsa causæ virtute ut ordinata ad determinatum effectum producendum, ut combustio est *per se* ab igne; — esse *per accidens* ex aliqua causa est effectum aliquem produci, in quem causa ipsa *formaliter* sumpta non influit, sed ipsi tamen *materialiter* acceptæ conjungitur. Ita cum dicitur, *cantor sanat*, sanatio tribuitur formaliter medico ut causæ *per se;* at quia medicus iste supponitur

cantor, cantori materialiter et *per accidens* tribuitur ipsa sanatio. Pariter si quis sepulcrum effodiens thesaurum forte reperiat, effossio sepulcri dicitur effectus *per se*, cui tamen quia præter intentionem fossoris conjungitur inventio thesauri, hæc dicitur respectu fossoris effectus *per accidens*. Patet igitur effectum per accidens esse posse tum ex parte *causæ*, quæ materialiter conjungitur causæ per se, tum ex parte effectus, qui materialiter conjungitur effectui per se. His prænotatis, probatur thesis.

Et imprimis, quod bonum sit causa mali, probatione non indiget : quia cum malum secundum se non existat, ut supra probatum est, et quod non existit nihil agere et producere possit, in comperto est quod, *ex bono oritur malum, nec fuit omnino unde oriri posset, nisi ex bono*, ut Capite XXVIII. Libri II. De *nuptiis et concupiscentia*, n. 48, recte scribit S. Augustinus. — Probatur autem quod bonum non possit esse causa mali per se. Produci malum per se est ipsum produci vi virtutis causæ ordinatæ ad malum illud sicut ad finem per se intentum, ut sequitur evidenter ex prænotamine ad hanc thesim. Atqui vi virtutis suæ bonum est essentialiter ordinatum ad bonum : quia virtus, utpote entitas, bona est et ad sui perfectionem seu ad bonum ordinata (*Art. præc.* n. I.); et insuper finis per se intentus, quia habet rationem appetibilis, habet etiam rationem boni per se intenti, ut hic supra, n. VI. probatum est. Ergo malum non potest *per se esse*, seu produci a bono.

Hinc infertur veritas alterius partis thesis, scilicet quod bonum sit causa mali per accidens. Namque probavimus malum esse a bono; probavimus insuper malum non esse *per se* a bono. Remanet igitur quod sit a bono *per accidens*, quatenus nempe causa fertur in aliquod *bonum* intentum, cui conjungitur malum; sicut leo occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur malum, hoc est occisio cervi. — P. I. Qu. XIX. Artic. IX; XLIX. Artic. I; III. *Contra Gentes*, Cap. X (1).

---

(1) Doctrina hæc Auctoris explicat etiam quare Deus non possit malum causare; cum enim sit summe perfectus non potest a sua perfectione deficere. Plura de his in Theologia naturali. Cf. A. CONTI, *Dio e il male*. Racconto di una disputa. Prato, 1866.

— Ex his quæ art. 5° et 6° declarata sunt elucet veritas horum effatorum:

I. *Bonum est diffusivum sui*, quia cum sit perfectum habet operationem quæ est diffusio seu communicatio sui. Et cum om-

IX. Qua ratione in rebus naturalibus bonum sit causa PER ACCIDENS mali. Quo pacto bonum in rebus naturalibus sit causa mali per accidens, fuse explicat S. Thomas eodem Capite X. Libri III. *Contra Gentiles :* cujus doctrinæ summa hæc est. In actione omni est *agens* et *effectus* per actionem agentis productus. Ergo ex duplici hoc capite defectus, qui malum est, potest provenire : et ex parte agentis, quatenus ejus virtus activa sit deficiens, et consequenter actio defectiva et effectus deficiens; et ex parte effectus, quatenus nempe subjectum in quod agitur resistit actioni agentis, vel non suscipit novam formam nisi amittendo propriam; ut cum lignum ab igne corrumpitur, lignum destruitur, quod procul dubio ligno malum est. Atqui accidit agenti, ut agens est, quod virtutis defectum patiatur; non enim agit secundum quod deficit ei virtus (hoc enim in casu nihil ageret), sed secundum quod habet aliquid de virtute. Unde ex parte agentis, *per accidens* malum causatur a bono, seu, ut communiter dicitur, *malum non habet causam efficientem sed deficientem.* In idem autem redit si defectus actionis et effectus proveniat ex defectu instrumenti vel cujusque alterius, quod requiritur ad actionem agentis; sicut cum virtus motiva producit claudicationem propter tibiæ curvitatem : utroque enim agens agit, et virtute et instrumento. — Ex parte vero effectus malum ex bono causatur *per accidens,* tum ex parte materiæ, si

---

ne operans operetur propter finem, sequitur omne bonum esse diffusivum sui quia finis.

II. *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu;* seu ad hoc ut res sit vere bona requiritur cumulative : 1) id quod ipsam essentialiter constituit, 2) modus perfectionis ipsi proprius et attemperatus, 3) servet ordinem suæ activitatis : « Hæc tria, *modus, species, ordo,* tamquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis;... ubi magna sunt, magna bona sunt; ubi parva sunt, parva bona sunt; ubi nulla sunt, nullum bonum est ». (S. Augustinus, *De Natura boni,* contr. Manich., lib. I, cap. III). E contra sufficit quod unum ex istis deficiat ad hoc quod res sit defectuosa. Bonum connotat perfectionem, idest integritatem, seu nullum defectum. Malum connotat imperfectionem, idest non integritatem, idest *ex aliquo* defectu. Consequenter : Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.

III. *Corruptio optimi pessima;* et hoc sive in ordine physico, sive in ordine morali, quia tanto maior est corruptio quo maius est bonum quod corrumpitur.

IV. *In quantum sumus, boni sumus,* quia ut dictum est *bonum* et *ens* convertuntur; consequenter mali sumus in quantum non sumus. — De doctrina Tolstoï : « Le mal, c'est la violence », Cf. G. FONSSEGRIVE, *Revue hebdomadaire,* 5 octobre 1907.

hæc sit indisposita ad recipiendam impressionem agentis, ut accidit in fœtibus monstruosis; tum ex parte formæ, quæ subjecto, in quod agens agit, inesse nequit, quin forma in subjecto ipso præexistens pereat, ut supra de ligno dictum est. Hæc autem corruptio formæ præcedentis, quæ est malum, est effectus *per accidens*, quia non intenditur ab agente, cujus effectus per se est producere formam.

A difficultatibus solvendis, quæ contra veritates definitas in hoc articulo moventur ab adversariis, consulto abstineo; quia commodius solventur cum de humana libertate deque divina providentia sermo erit.

ARTICULUS SEPTIMUS

(19)

De pulchro (1).

I. **Pulchri notio ex effectu.** Factum vulgatissimum est quod, sicut verum dicit id in cujus cognitione quiescit intellectus, et bonum dicit id in cujus consecutione quietatur appetitus; ita pulchrum communiter dicitur illud in cujus cognitione vel aspectu suscitatur in animo *complacentia* quædam. Quocirca, si generatim velimus definire pulchrum ex

(1) Cum notionibus transcendentalibus unitatis, veritatis, bonitatis intime connexa est notio pulchritudinis. Scientia pulchritudinis hodie constituit partem philosophiæ peculiarem sub nomine *Æstheticæ*, circa quam, cf. :

S. AUGUSTINUS, *Confess.*, lib. IV, cap. 13. — *De vera Religione*, cc. 30-32. — *De civ. Dei*, lib. XXII, cap. 19.

S. THOMAS, *Opusc. de pulchro* et *Sum. Theol.*, I, p., q. 5. a. 4, ad 1; q. 39, a. 8; I, II^{ae}, q. 27, a. 1, ad 3.

KANT, *Traité du Beau et du Sublime.*

Ch. LÉVÊQUE, *La science du Beau*, étudiée dans son principe, dans ses applications et dans son histoire.

COUSIN, *Du Vrai, du Beau et du Bien.*

TAINE, *Philosophie de l'Art.*

VALLET, *L'idée du Beau* dans la philosophie de Saint Thomas d'Aquin.

DE SMEDT, *La théorie du Beau* selon les idées de Saint Thomas d'Aquin.

MERCIER, *Ontologie*, nn. 266-282.

GIOBERTI, *Del Bello e del Buono.*

A. CONTI *Il Bello nel vero.*

B. CROCE, *Estetica. Teoria e Storia.*

MERCHESE, Benemerenze di S. Tommaso verso le arti belle.

LEPORE, *Philosophia pulchri et artium.* Viterbii, 1905.

HUGON, *Philosophia*, t. V, pp. 149-164.

effectibus, non incongrue possumus dicere quod sit : *Id cujus ipsa apprehensio placet.* — S. Thom. P. I. Qu. V. Artic. IV. ad 1; I-II, Qu. XXVII. Artic. I. ad 3; S. August. *De vera Religione*, Cap. XXXII. n. 59.

Et consulto dixi, *id cujus* ipsa apprehensio *placet*, ut determinarem per pulchrum non importari ordinem solummodo ad appetitum universalissime sumptum, in quo est complacentia, seu delectatio, sed etiam maxime et formaliter ad cognitionem, ad quam complacentia sequitur. Unde S. Thomas I-II. Qu. XXVII. Art. I. ad 3, rectissime animadvertit quod bonum est id in cujus consecutione quiescit appetitus; *sed ad rationem pulchri pertinet, quod in ejus* aspectu *seu cognitione quietetur appetitus.* Cujus veritatis exemplum habes in sensibus, quorum illi respiciunt pulchrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet *visus* et *auditus*, rationi deservientes : dicimus enim pulchra *visibilia* et pulchros *sonos;* in sensibilibus autem aliorum sensuum non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros *odores*, aut *sapores.* — I-II, *loc. cit.*

II. Tria requisita ad pulchritudinem. Ab *effectu* autem, seu a *subjectivo* quod est *delectatio*, ad *objectivum* seu *causam* quam *pulchrum* dicimus, venientes, animadvertimus tria in objecto pulchro prærequiri, ut ejus cognitio sui complacentiam in animo generet. Ac 1° quidem, prærequiritur *integritas* seu *perfectio* objecti : quæ enim manca atque diminuta sunt, turpia vel deformia dicuntur; — 2° *debita proportio*, seu *consonantia* partium seu *ordo :* quæ enim inordinata sunt, animum non delectant sed offendunt; — 3° *claritas*, qua objectum sui integram cognitionem animo ingeneret. Unde in objectis materialibus quæ integra sunt, ordinata, et nitida colorum suavitate respersa, pulchra omnes dicunt. — S. Thom. P. I. Qu. XXXIX. Art. VIII; S. August., *De civ. Dei*, Lib. XXII. cap. XIX. n. 2.

III. Descriptio philosophica pulchri. Ex his possumus philosophice definire, seu melius describere pulchrum objective sumptum, ajentes quod, generatim loquendo, pulchrum est *splendor ordinis.* In ordine siquidem habetur *multitudo*, seu *varietas* non quæcumque sed integra et perfecta, qualis nempe superiori numero explicata est; in ordine insuper habetur *proportio* seu *harmonia*, quia ordo est *unitas* ipsius multitudinis. Additur *splendor*, ut ordo ipse facultati cognoscitivæ affulgeat, et ex ejus cognitione habeatur delectatio, ut dictum est. Pone hunc ordinem, numquid pulchritudo

desideratur? Deme ordinem, et pulchritudinis ratio perit. — Cf. S. August. *De vera Relig.*, Cap. XLI, n. 77. (1).

IV. Pulchrum sensibile et pulchrum spirituale. Hinc pulchrum primo dividitur in *sensibile et spirituale.* — Pulchrum sensibile est *splendor ordinis in rebus materialibus,* seu *realium partium integrantium ordo cum debiti coloris aut soni suavi claritate vel harmonia.* — Pulchrum spirituale

(1) Scientia *æstheticæ* definiri potest : *Ea philosophiæ pars quæ ultimas rationes pulchritudinis inquirit. Pulchritudo* autem definitur : *Consonantia rei nobilis atque perfectæ cum archetypo in mente.* Vel etiam, quia primo et per se hoc archetypum in mente divina existit : — *Est quædam splendida refulgentia divinæ claritatis in rebus* (Lepidi), vel : « La beauté est la qualité d'une œuvre qui, par une coordination heureuse de ses diverses parties et de ses moyens d'action, exprime et fait admirer un type idéal auquel elle est rapportée » (Mercier).

Ratio materialis, seu entitas in qua habetur pulchritudo, debet ornari illis tribus ad integritatem boni pertinentibus de quibus Auctor, n. II.

Ratio vero *formalis pulchri* non in utilitate sita est, non in delectabili, non in proportione et concinna aptatione, sed in *ipsa consonantia secundum quam res pulchra archetypo suo respondet, luci nempe intellectuali manifestanti regulam et mensuram pulchritudinis.* Patet ex analysi conceptus pulchri (Lepidi).

Imperfectæ et falsæ definitiones pulchri inveniuntur in Mercier. *Ontol.*, 281.

— *Sublime* eminet autem supra pulchrum et definiri potest: *Id quod superexcedit intuitionem cognoscentis.*

— *Facultas* quæ pulchritudinem percipit dicitur *Gustus æstheticus,* qui potest definiri : *Aptitudo hominis apprehendendi in objectis rationem pulchritudinis.* Cf. alias definitiones apud Lepore, loc. cit.

Genius æstheticus *est mentis vis singularis intuendi nova idealia eaque convenienti modo repræsentendi vivide.*

Causa suprema exemplaris cujusvis pulchritudinis est Deus : *causa proxima* est humanus intellectus.

Finis ultimus et principalis pulchritudinis est manifestatio Divinæ Bonitatis in rebus lucentis. — *Finis proximus* pulchritudinis et artium quæ a pulchro nomen ducunt, est hominis bonum intellectuale et morale. Quæstio de moralitate artium ad Ethicam pertinet. Cf. Brunetière; *L'Art et la Morale,* Paris, 1899; Sertillanges, *L'Art et la morale;* Mercier, *Ontologie* 282.

Ideale pulchritudinis est summa perfectio mente concepta, quam ars intendit cum ordinis resplendentia sensibiliter exprimere. Finaliter est divina lux quatenus a creaturis imitari et exemplari potest.

Ars definitur a S. Thoma : *Recta ratio factibilium* (Sum. Th.; III, q. 57, a. 5, ad 1) vel *Quidam habitus factivus cum vera ratione* (Ethic. lib. 6, lect. 3). Potest bene dici *Logica pulchri,* sicut ipsa logica dicitur *ars veri.*

est *splendor ordinis in rebus spiritualibus*, seu *virtualium partium ordo cum debita spirituali claritate.*

V. Pulchrum morale. Pulchrum spirituale in *intellectuale* et *morale* dividitur. Primum supra descripsimus; pulchrum vero morale est *splendor honestatis.* Nam, ut profunde ratiocinatur S. Thomas, II-II, Qu. CXLV, Artic. II, « pulchritudo spiritualis *(moralis)* in hoc consistit, quod conversatio hominis sive actio ejus, sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus idem esse virtuti, quæ secundum rationem moderatur omnes res humanas. Et ideo honestum est idem spirituali decori. » — Cf. S. August., *loc. prox. cit.*

VI. Pulchrum humanum. Infertur ex dictis pulchrum spirituale potius esse pulchro materiali seu sensibili, sicut res spirituales rebus materialibus nobiliores sunt. At objectum quodcumque spirituale, nude ut in se est, nunquam ordinarie a mente nostra in præsenti rerum conditione percipitur, sed semper ut consociatum elemento sensibili a phantasia exhibito (L. 51, 11), quamvis ab elemento illo sit distinctum, prout conscientia quotidie cuique testatur. Idem absolute de pulchro relate ad nos est pronuntiandum. Pulchrum spirituale a materiali distinctum esse mentique nostræ aptissimum ac proprium et scimus et fatemur; at non illud nudum et ut in se est attingitur, sed consociatum elemento phantastico et in elemento phantastico. Hoc pulchrum ex duobus illis elementis constans, distinctis sed unitis, voco pulchrum humanum, et, nisi fallor, satis congrue. Pulchrum enim exclusive sensibile nonnisi sensuum est, non hominis ut homo est; pulchrum spirituale nude et in se, quamvis objectum aptius intellectui nostro, attingere in præsenti vita non valemus. Pulchrum igitur spirituale-sensibile, ut ita dicam, erit pulchrum humanum, quamdiu, in præsenti rerum conditione, anima in corpore vivit, ut sic totus homo, compositus ex spiritu et corpore, pulchro spirituali in sensibili delectetur.

VII. Corollaria. *Primum.* Ens igitur perfectissimum est maxime pulcherrimum, quia ipsum, ut cum Dionysio loquitur S. Thomas, II-II. Qu. et Artic. cit., est, *universorum consonantiæ et claritatis causa.*

Secundum. Impossibile est dari pulchrum objective sumptum extra veritatem ac bonitatem et contra honestatem : nam *ordinatio esse cogit, inordinatio vero non esse*, ut

Augustinus dicit, *De moribus Manichæorum*, Cap. VI. Esse autem nullum datur quod verum et bonum non sit, ut ex dictis in præcedentibus articulis abunde patet : quod autem est contra honestatem, déficit ab *esse* morali, et ideo est imperfectio et inordinatio repugnans rationi pulchritudinis.

VIII. Deforme. Cum deforme pulchro opponatur, de ipso per oppositionem ad pulchrum ratiocinari necesse est. Quocirca a longiori oratione de ipso facienda abstinemus.

CAPUT TERTIUM

DE DIVERSA ENTIUM PERFECTIONE

Prologus. In superiori Capite consideravimus proprietates, quæ enti conveniunt tum ratione sui ipsius, tum relative ad facultates sive cognoscitivas sive appetitivas, quarum proprietates illæ sunt objecta et termini. Sed, ut alibi notavimus (7, VI, *fin.*), objecta ad invicem differunt, non quidem per differentiam enti additam eique extraneam, sed bene per majorem vel minorem entitatis explicationem, quæ quidem major minorque entitatis explicatio constituit distinctas entium perfectiones. Igitur post tractatum de communibus entium proprietatibus, naturalis methodus synthetica postulat ut dicamus de proprietatibus seu perfectionibus peculiaribus entium. Atqui hujusmodi perfectiones bifariam partiuntur. Aliæ enim tales sunt quæ entia dividunt et coordinant sub determinatis generibus atque speciebus; aliæ vero a determinatione generica vel specifica abstrahunt, dividuntque quodammodo transcendentaliter entia ita ut non conveniant neque in specie neque in genere aliquo. Non agimus in hoc Capite de perfectionibus primo modo sumptis, sed secundo sensu acceptis, quia secundus iste Liber non genera aut species, sed transcendentia considerat, ut ex ipsius titulo est manifestum. Age vero. In ente stricte sumpto duo distinximus, essentiam et existentiam (7, II et III). Igitur possumus considerare perfectionem entis vel quoad essentiam vel in ordine ad existentiam. In antecessum edisserendum existimo de natura relationis quæ in ente est quoad existentiam, seu de ente *necessario* et *contingente*, quia existentia et essentia ens proprie dictum componunt, suntque primæ ideæ quæ de ente habentur a nobis, ac proinde planior et magis natu-

ralis exurgit tractatio. Quoad entitatem in se acceptam, ea imprimis considerari debet quoad principia quibus constituitur, seu dicendum est : 1° de ente *simplici* vel *composito;* deinde quoad ejus perfectionem in ordine comprehensivo, seu 2° de ente *infinito* vel *finito;* denique, quoad modum quo ens tum existentiam tum alias perfectiones habet, seu 3° de ente *immutabili* vel *mutabili.* — His omnibus præmittimus articulum *de perfectione generatim sumpta* (1).

ARTICULUS PRIMUS

(20)

De perfectione generatim sumpta.

I. Perfecti notio. Perfectum, si vim nominis attendas, idem sonare videtur ac *totaliter factum.* At communi jam philosophorum consensu illud vocabulum assumitur ad significandum, *id cui nihil deest secundum modum suæ naturæ.* — Partes vero sive *reales,* sive *virtuales* (14, III) ex quibus *res perfecta,* exurgit, vel exurgere intelligitur, dicuntur *perfectiones partiales;* et *forma* totius resultantis ex unione illarum partium, dicitur perfectio totalis. — S. Thom. P. I. Qu. IV. Artic. I, ad 1, et Qu. LXXIII, Artic. I.

II. Perfectio prima, seu EX ESSE; **perfectio secunda, seu** EX FINE; **perfectio** ACCIDENTALIS. Entia vero trifariam considerari debent : 1° quoad essentiam, quatenus scilicet in aliqua determinata natura sunt; 2° quoad finem, ad quem naturaliter inclinationem habent, et quem actionibus assequi conantur; 3° quoad accidentia quæ illis superaddi intelliguntur ad perfecte agendum necessaria. — Prima perfectio completiva essentiæ (ut anima rationalis in homine) dicitur essentialis, seu *prima* seu *ex esse,* quia quod primo in re concipitur est ejus essentia (10, II). — Perfectio, quæ adve-

(1) « Transcendentales entis proprietates, de quibus hucusque habitus est sermo, ens non contrahunt nec dividunt; generales autem proprietates, ut necessitas et contingentia, simplicitas et compositio, infinitas, etc., sunt primariæ entis divisiones. Oriuntur autem illæ partitiones ex perfectione et modo perfectionem habendi. Potest autem aliquod ens perfectionem habere a se vel ab alio, necessario vel non, sine vel cum limite, permanenter vel mutabiliter, modo simplici vel composito ». (HUGON, *Logica*).

nit rei ex consecutione finis, ad quem tendit tanquam ad complementum suæ naturalis inclinationis, dicitur perfectio *secunda* seu *ex fine*. — Media autem inter utramque dicitur *accidentalis*, et ex fine ipso mensuratur, quia est perfectiva operationis, quæ suam perfectionem a fine, cui proportionari debet, consequitur. — S. Thomas, P. I. Qu. VI. Artic. III, expresse triplex istud perfectionis genus recenset; at Qu. LXXIII. Artic. I, de prima ac secunda perfectione mentionem solummodo facit, quia actionem considerat, non ut medium sicut Qu. VI, sed ut finem quemdam in ordine ad substantiam agentem.

III. Perfectum RELATIVUM **et perfectum** ABSOLUTUM. Insuper perfectum aliud est *relativum* aliud *absolutum*. — Perfectum relativum illud dicimus, quod habet eas omnes partiales perfectiones quæ suæ naturæ conveniunt, secundum nempe propriam speciem, vel secundum proportionem ad finem ad quem destinatur : hinc homo est *relative* perfectus seu in specie humana, si corpus organicum integrum et animam rationalem habeat. — Perfectum vero absolutum illud nuncupatur, cui omnes possibiles perfectiones, et sine ulla limitatione, conveniunt.

Quæ carent perfectionibus sibi convenientibus secundum naturam dicuntur imperfecta *privative*, et hujusmodi imperfectio est *malum* in subjecto in quo est (18, II) : quæ vero carent perfectione absoluta, dicuntur imperfecta *negative*, et hujus perfectionis carentia non est malum proprie dictum *(ibid.)*, quamvis Leibnitzius illam improprie vocet malum *metaphysicum*.

IV. Perfectiones SIMPLICITER SIMPLICES, **et perfectiones** SECUNDUM QUID. Ex perfectionibus partialibus (*sup.*, n. I) aliæ dicuntur *simpliciter simplices*, aliæ vero *secundum quid*. Primæ sunt quæ nonnisi perfectionem exhibent in proprio conceptu et ideo tales sunt ut ipsæ *omnino potiores sint quam non ipsæ*, ut S. Anselmus, quem schola secuta est, docet in *Monologio*, Cap. XV; proindeque si illis subtrahas limitationes, quas forte in aliquo subjecto habent, infinitæ *formaliter* esse possunt; hujusmodi sunt *vita, intelligentia*, etc. — Perfectiones *secundum quid* sunt illæ quæ, licet *entitatem* importent et ex hac parte perfectiones sint, tamen nonnullam in se et formaliter seu essentialiter admixtam referunt imperfectionem, ac propterea respectu alicujus melius est non habere hujusmodi perfectionem, quam habere; sicut *melius est homini esse non aurum, quam aurum*, ut exemplo

utar adducto ab ipso S. Anselmo, *Op.* et *loc. cit.* Hujusmodi sunt vita vegetativa, vita sensitiva, etc. : ex parte siquidem vitæ habetur perfectio; sed ut est vita vegetativa vel sensitiva, imperfectiorem vitam refert. Ita de ratiocinatione est dicendum, quæ licet sit perfectio qua parte est cognitio, tamen imperfectionem designat qua parte potentialitatem et motum mentalem includit.

V. Perfectio FORMALITER, **vel** VIRTUALITER, **vel** EMINENTER **sumpta.** Hæc divisio perfectionis frequenti usui est in scholis. — Perfectio dicitur esse in aliquo subjecto *formaliter*, quando est in eo secundum suam specificam rationem, sicut *calor* est formaliter in igne, *animalitas* in animante, *ratio* in homine. — *Virtualiter* est perfectio in subjecto, quando subjectum aut potest producere perfectionem illam (quo sensu dicitur planta in ejus semine *virtualiter* contenta), aut se solo præstare potest quidquid præstare potest perfectio illa, quæ virtualiter ipsi subjecto inesse dicitur, si separata inveniatur : ut cum dicimus quod anima humana in homine est *virtualiter* sensitiva et vegetativa, quia se sola præstat quidquid præstat anima *formaliter* sensitiva in brutis, et anima *formaliter* vegetativa in plantis. — Denique *eminenter* perfectio dicitur esse in subjecto, quando perfectiori modo, quam sit in seipsa *formaliter* considerata, a subjecto ipso possidetur : sive possideatur *eminenter-formaliter*, ut accidit quando subjectum perfectionem illam formaliter sumptam habet : quo sensu *sensitivum* est formaliter in homine : sive possideatur *eminenter-virtualiter*, ut accidit quando subjectum habet perfectiones, non *formaliter* consideratas, sed modo superiori : quo pacto creaturarum perfectiones, quæ a Deo sunt, in ipso Deo continentur non formaliter sed *eminenter*, quia ut sunt in Deo, in infinitum distant a perfectionibus creaturarum.

ARTICULUS SECUNDUS

(21)

De ente necessario et contingente.

I. Entis necessarii et entis contingentis notio. Declaravimus in Logica (21, II, seqq.) propositiones in materia necessaria illas dici, in quibus prædicatum a natura subjecti emergit, ideoque necessario subjecto convenit, neque potest

non convenire quin pereat ipsa subjecti notio: propositiones vero in materia contingenti eas diximus, in quibus prædicatum ita subjecto inest, ut, salva subjecti essentia, possit non inesse. Igitur si subjectum sit *ens*, et prædicatum *existens*, hæc propositio, *Ens existit*, si sit in materia necessaria, exhibet ens cui sine repugnantia non potest non convenire existentia : et illud dicimus *ens necessarium*. Ex opposito *ens contingens* erit illud ens cui ita competit existentia, ut sine ulla repugnantia possit ipsi non convenire (1).

II. **Ens contingens, ut realiter existat, necessario postulat ut ab alio ad existentiam producatur.** Nam quidquid cuique subjecto convenit, aut vi et necessitate principii intrinseci, seu essentiæ, convenit, aut a principio extrinseco in subjecto ipso producitur. Non datur medium, ut quisque per se videt. Atqui realis existentia non convenit subjecto contingenti vi principii intrinseci, seu necessitate suæ essentiæ, ut ex definitione contingentis supra tradita est manifestum. Ergo ens contingens ut realiter existat, necessario postulat ut ab alio ad existentiam producatur.

III. **Amplior declaratio et confirmatio præcedentis argumenti.** Cum enti contingenti existentia ita conveniat, ut sine ulla repugnantia possit æque ipsi non convenire, manifeste sequitur subjectum contingens vi suæ essentiæ indifferenter se habere ad existendum vel non existendum. Sed repugnat quod subjectum indifferenter se habens ad opposita prædicata suscipienda, in sua essentia contineat rationem cur alterutrum ex illis prædicatis habeat. Ergo ens contingens in se non continet rationem, cur de facto gaudeat existentia reali. Ergo aut dicendum est quod sine ratione prædicatum illud conveniat subjecto, aut concludendum convenire vi et influxu principii extrinseci eidem subjecto. Quæ ratio maxime urget, quando, sicut in casu nostro, agitur de existentia. Audiatur S. Thomas, P. I. Qu. III. Artic. IV : « Quidquid est in aliquo, quod est præter essentiam ejus, oportet esse causatum vel a principiis essentiæ, sicut accidentia

(1) Ens necessarium duplex habet esse, esse intentionis et esse rei. Juxta utrumque essendi modum essentia ejus complectitur existentiam cum qua convertitur.

Absurdum est concipere ens necessarium, de cujus essentia non sit existentia, seu ens necessarium cum potentia ad non esse.

Ex quo tamen minime entis necessarii objectivitas atque extramentalitas probatur, sed ostenditur tantum quod si ens necessarium sit, est sine potentia ad non essendum.

Objectivitas igitur ejus in alio medio debet demonstrari.

propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, et causatur ex principiis essentialibus speciei; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum *esse* rei sit aliud ab ejus essentia, necesse est, quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus ejusdem rei. Impossibile est autem, quod esse sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei, quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum. Oportet ergo, quod illud, cujus esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. »

IV. Ens contingens non potest realiter existere nisi, sive immediate sive mediate, producatur ad existentiam ab ente necessario Dico sive *immediate* sive *mediate*: ens enim contingens produci posse immediate ab alio ente contingente realiter præexistente, est veritas facti, quam nemo negat. Unde sensus thesis est quod ens contingens, ut existat, subaudit necessario existentiam entis necessarii, in quo ultimo debet esse ratio realis existentiæ contingentis. — Probatur thesis, quæ ut corollarium præcedentis haberi debet. Sive enim unum contingens sumatur, sive plura, sive etiam infinita fingas, quia omnia, ex hypothesi, rationem contingentiæ essentialiter præ se ferunt, ab omnibus sive separatim sive collectim sumptis excluditur ratio existendi a se ipsis, et includitur necessitas habendi existentiam ab alio, ut ex præcedenti conclusione est manifestum. Sed hoc aliud non potest sine manifesta absurditate esse ens et ipsum contingens. Debet igitur esse ens necessarium; a quo entia contingentia debent sive mediate sive immediate produci ut realiter existant. — Consequenter, verificata hypothesi de reali existentia vel unius entis contingentis, legitime et demonstrative infertur realis existentia entis necessarii.

V. Corollaria. *Primum.* Ens igitur necessarium non in alio, sed in sua natura essentialem et necessariam habet rationem suæ existentiæ. Hoc corollarium est ipsamet definitio tradita entis necessarii, et a posteriori etiam, hoc est ex analysi instituta entium contingentium, evidenter infertur.

Secundum. Unde sicut ens necessarium idealiter consideratum rationem idealis existentiæ in sua natura continet, ita ejus existentia realis non aliunde quam ex ejusdem entis necessarii reali essentia deduci potest. Realitas enim rei correspondet ejusdem rei conceptui essentiali.

Tertium. Sicut ens contingens est ens ab alio, ut probatum

est, nn. II et III, ita omne ens ab alio est ens contingens. Non enim potest esse ens necessarium quod est *a se;* et inter ens necessarium et ens contingens non datur medium (1).

ARTICULUS TERTIUS

(22)

De ente simplici et composito.

I. Compositi et simplicis notiones. Communi omnium sensu *compositum* dicimus quod partibus constat, ex quarum unione intelligitur resultare forma illa, quæ est ipsamet unitas compositi subjecti : *simplex* vero quod partium expers est. Sic mathematicus *punctum* dicit esse simplex, et *lineam* compositam. — Hinc nullo negotio intelligitur omne compositum ut *totum* quoddam apprehendi, ac proinde dividi in reale, physicum, metaphysicum, logicum, etc., prout de *toto* in Logica (16, II et seqq.) copiose disseruimus. Et quia simplex composito opponitur, oppositas etiam subit divisiones. — In hoc autem articulo *simplex* et *compositum* generice sumuntur, ut ipsa natura tractatus, quem præ manibus habemus, postulat.

II. Axiomata. Ex mera compositi definitione tradita, quædam a Scholasticis statuebantur axiomata, quæ ut talia revera sunt a philosopho retinenda.

Primum. Omne compositum posterius est, saltem posterioritate naturæ (L. 8, IX), suis partibus componentibus. — Compositum enim resultat ex partibus, quæ nisi prius, saltem prioritate naturæ, subaudiantur, impossibile est intelligi compositum ex illis resultans.

Secundum. In omni composito est *actus* et *potentia;* « quia vel una partium est *actus* respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt sicut in *potentia* respectu totius ». — S. Thom. P. I. Qu. III. Artic. VII.

---

(1) A contingentia rerum facile philosophus deveniet ad existentiam Dei entis necessarii; et hæc via est omnino legitima et tuta, sicut per Theologiam naturalem fiet manifestum. Objectiones autem contra hanc demonstrationem propositas a Le Roy et cultoribus philosophiæ novæ vide in *Revue des Sciences philosophiques et théologiques*, avril 1907, a P. Garrigou-Lagrange solutas.

Tertium. Nullum compositum potest esse absolute perfectum (20, III). Nam compositum perfectius est partibus separatim sumptis, ex quarum unione resultat. Igitur partes non sunt absolute perfectæ. Non ergo ex earum unione potest resultare totum absolute perfectum *(ibid.)*.

Quartum. Nullum compositum potest esse primum ens. — Est enim compositum posterius partibus componentibus, ut in primo axiomate dictum est.

III. **Error circa composita non totaliter excludit rei compositæ cognitionem, excludit autem in simplicibus.** Statuta natura tum *compositi* tum *simplicis*, necesse est ut utrumque consideremus in ordine ad nostram cognitionem. Hac de causa posui enuntiatam propositionem. Pro cujus intelligentia nota, a me sumi simplicia et composita ut talia in intellectu, non autem prouti in se sunt. Etenim multa sunt quæ in se simplicitate gaudent, attamen a nobis non apprehenduntur nisi ad modum compositorum, atque proinde in veritate conclusionis enuntiatæ inter composita, quoad cognitionem nostram, sunt computanda. — Quibus prænotatis, probatur conclusio. In antecessum concedendum est quod quicumque errat circa aliquid, quod est pars essentialis sive metaphysica sive physica rei cujusque, illam rem in propria essentia completa minime cognoscit : sicut si quis apprehenderet *animal irrationale*, existimans hoc esse hominem, profecto non cognosceret revera hominem, sed brutum. Atqui etsi non cognoscat revera hominem, hoc modo errando, non sequitur exinde quod nihil hominis cognoscat; cognoscit enim eum secundum genus suum, quod est *animal*. Simplex autem, eo ipso quod est simplex, partibus caret. Ergo non potest accidere quod ex parte cognoscatur et ex parte erretur circa ipsum; sed quilibet error in simplicibus totaliter excludit cognitionem rei. — S. Thom. *Contra Gentes*, Lib. III. Cap. CXVIII. n. 3.

ARTICULUS QUARTUS

(23)

De ente infinito et finito.

I. **Finiti et infiniti notio generica.** Quod finitum est, habet extremum; quod non habet extremum infinitum sit necesse est. Ita Tullius, Lib. II. *De Divin.*, Cap. L; et recte

quidem. Generice enim loquendo, nomine *finiti* communiter intelligimus id cujus entitati limites præfiguntur; nomine *infiniti* id cujus entitas limites non patitur. Quia igitur hæc notio clara est et omnibus communis, eam retinemus.

II. **Infinitum** PRIVATIVE **et infinitum** NEGATIVE. Solet in scholis, ad majorem cautelam in loquendo, distingui infinitum in privativum et negativum. *Privativum* infinitum est absoluta privatio cujusque perfectionis in subjecto, cujus est habere naturaliter perfectionem; ut si ponamus potentiam passivam qua talem omni actu destitutam. — Infinitum *negative* acceptum dicit illimitatam perfectionem in subjecto : ut si hypothetice accipiamus lineam nullis terminis finitam. — S. Thom. *Contra Gentes*, Lib. I. Cap. XLIII.

III. Infinitum RELATIVUM **et infinitum** ABSOLUTUM. Infinitum autem negative, aut tale supponitur in aliquo determinato ordine entitatis seu perfectionis, ut de linea dictum est in ordine longitudinis, et habetur infinitum relativum seu *secundum quid* congruens perfectioni *relativæ* (20, III); aut infinitum negative tale est in omni ordine perfectionum simpliciter simplicium (20, IV), et dicitur infinitum *absolutum* seu *simpliciter*, respondens perfectioni *absolutæ (ibid.)*. — S. Thom. *Quodlib.* III. Artic. III.

Hinc infertur; 1° *infinito*, eo in ordine in quo est infinitum, nihil majus dari posse; 2° infinitum relativum, extra proprium ordinem, esse finitum, ut in exemplo lineæ videre est; 3° repugnare omnino quod infinitum absolutum sit aliquo in ordine finitum.

IV. Discrimen inter infinitum et indefinitum Inter infinitum et indefinitum interest maximum discrimen, quod quidem nonnulli, maxime vero recentiores pantheistæ, non animadvertentes, aut callide prætermittentes, se in gravissimos errores impegerunt. Infinitum, ut dictum est, importat limitum carentiam, unde a *non finito* dictum est. At indefinitum significat *non definitum*, seu quod habet quidem in se limites, sed ubi consistant a nobis designari non potest. Sic mathematicus dicit : supponamus lineam indefinitam, hoc est lineam, cujus limites non sint determinati, etc. — Indefinitum solebant Scholastici vocare *infinitum in potentia* vel *syncategorematicum;* infinitum dicebant *categorematicum*, vel infinitum *in actu.*

V. Discrimen inter infinitum negativum et ens in genere. Quamvis ex dictis satis pateat discrimen inter infinitum negativum

et ens in genere, quia, tamen schola hegeliana unum cum altero pessime confundit, de utriusque natura pauca hæc addere non inutile reputo. Et ut clarior evadam, de infinito absoluto exclusive dicam. Hoc igitur infinitum est ens comprehendens omnes perfectiones cujusque limitis expertes; proinde non concipitur ut in potentia ad hujusmodi perfectiones, sed ut eas actualiter habens; et consequenter non est quid indeterminatum et determinabile, sed ens habens propriam naturam nullis limitibus specificis aut genericis circumscriptam aut circumscribendam. At ens in genere oppositas omnino proprietates exhibet. Non enim est quid infinitum comprehensive, seu actu, sed solummodo *extensive*, seu in potentia, hoc est potens participari ab indefinitis entibus peculiaribus; est quid maxime indeterminatum ac determinabile, et reapse determinatur in generibus, speciebus, et individuis. Quocirca ens, in genere inspectum, potest dici infinitum privative, vel in potentia; quod quantum differat a vero infinito, nemo, nisi mente prorsus cæcus, non videt.

VI. De natura notionis quæ nobis inest de infinito. Nobis inesse aliquam notionem infiniti proprie dicti nemo negare potest : de ipso enim sæpe et cogitamus et loquimur. Sed quæritur, cujus naturæ sit hujusmodi notio, positivane scilicet an negativa : quæ quidem quæstio non levis momenti est, præcipue postquam ontologistæ ex notione infiniti argumenta sumunt ad sustinendum in nobis intuitum immediatum infiniti, ut suo loco latius exponam. Attendenda autem in antecessum duo sunt. Primum est, in confesso esse apud omnes, infinitum esse quid negativum voce : idem enim s nat ac *non finitum;* alterum est, quod *infinitum*, objective inspectum, est quid essentialiter positivum : loquimur enim præsertim de infinito absolute et simpliciter dicto, quod perfectiones omnes simpliciter simplices (20, IV) complectitur, ac proinde non potest non esse maxime positivum. Tota igitur quæstio est, ut definiamus non quid sit infinitum in voce vel in seipso, sed in nostro modo cognoscendi ipsum. Dico igitur cognitionem, quam in præsenti habemus de infinito, esse cognitionem *positivo-negativam*. Hanc propositionem jam probavi in Opere quod inscripsi, *Della luce intellettuale e dell' Ontologismo*, Lib. I. Cap. XIV. n. 92, hoc sequenti ratiocinio. Ut recte notat S. Thomas, P. I. Qu. XIII. Art. I, secundum quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic a nobis potest nominari : vocabulis enim conceptus men-

tis externe significamus. Igitur ex modo quo per vocabula conceptus nostros significamus, recte deprehendere possumus *modum* quo res ipsas intellectu concipimus. Significamus autem *infinitum* vocabulo negativo, ut dictum est, et omnes concedunt. Igitur conceptus, quem de infinito habemus, est quidem positivus, quia ad rem positivam terminatur, sed est negativus quoad modum concipiendi infinitum ipsum : quatenus nempe cum *illimitatio* entitatis infiniti *positive* non intelligatur a nostro intellectu, aliquid infiniti, ut loquitur S. Thomas, est in intellectu, et aliquid extra intellectum (*De veritate*, Qu. VIII. Art. II); et consequenter, conceptus noster infiniti est positivus quoad *id quod* intelligitur : est negativus quoad *illud positivum* rationis seu definitionis infinitatis, quod in infinito est, sed quod a mente nostra in præsenti rerum statu non potest apprehendi *ut positive in se est*, nec exprimi.

VII. Opinio cartesiana circa prioritatem in mente nostra notionis infiniti. Quæritur insuper, utrum prior nobis insit notio finiti an vero notio infiniti. Opinatus est Cartesius priorem nobis inesse notionem infiniti, quia, ut ipse ratiocinabatur, notio finiti est notio entitatis limitatæ; sed apponere limites nullo pacto sciremus, nisi mens præhaberet notionem illimitationis, quæ finito denegatur. Igitur notio infiniti et præcedit notionem finiti et ad intelligendum finitum omnino est necessaria. Ex quo Cartesius infert nobis ingenitam esse ideam infiniti. Hac opinione cartesiana mirifice delectantur ontologistæ, qui, ulterius progressi, ideam, quam Cartesius ingenitam dixit, cum intuitione immediata Dei, quam menti nostræ concedunt, identificant. — Sed de hac quæstione ideologica alibi dicemus, nunc de ejus fundamento. — Et ut breviter quod sentio dicam, negandum omnino est cartesianum principium, quod scilicet notio finiti habeatur per negationem infiniti. Et revera. Finitum duo dicit, *entitatem* et *limites* ipsi entitati præfixos, hoc est *positivum* et *negativum*. In aperto autem est entitatem, utpote quid absolutum, concipi in se posse, quin, ut in relativis accidit (L. 6, VII), aliquid vel antecedenter vel concomitanter apprehendere sit necesse. Sed entitas finiti, si apprehendatur ut est, debet apprehendi in sua comprehensione, hoc est, ut determinata et circumscripta limitibus, et ad illam *ut sic* terminare debet mentis conceptus. Quæ cum ita sint, in confesso esse debet apud omnes notionem illimitationis nullo pacto requiri ad cognitionem

finiti acquirendam, sed requiri tantummodo quod entitas finiti menti exhibeatur ut est.

VIII. Quæstio. Sed præterea hic quæstio movetur, cum prioribus intime connexa, utrum mens humana a sola cognitione finiti valeat sese attollere ad cognitionem infiniti. Negant cartesiani, quibus subscribunt ontologistæ. Affirmant Lockius et lockiani, sed pessimo ducti ratiocinio. Pro solutione igitur hujus quæstionis sequentes propositiones ponam. Sit prima :

IX. Notio infiniti haberi nequit per continuam additionem finiti ad finitum. Est contra Lockium, qui in Opere quod inscripsit, *De intellectu humano*, Lib. II, Cap. XVII, ex sensismo cui erat addictus, opinionem derivavit, quod notio infiniti non sit nisi *summa* finitorum. — Probatur propositio. Infinitum illud dicimus quod limitibus essentialiter caret, ut ex dictis in hoc articulo abunde est manifestum. Atqui ex additione finiti ad finitum non potest haberi nisi limitatum : nam id cui fit additio limites habet, quia finitum est, et id quod additur, quia et ipsum est finitum, limites pariter habet; consequenter ex illa additione habetur utique major entitas, minor limitatio, sed semper tamen limitatio. Ergo ex additione finiti ad finitum non potest haberi notio infiniti — Lockius confundit manifeste infinitum cum indefinito, quod, ut diximus, est subjectum quod intelligitur uti susceptivum additionis sine termino, ac proinde toto cœlo differt a notione quam de infinito proprie dicto tradidimus, n. IV.

X. Notio infiniti haberi potest per totalem subtractionem limitum a finito. Est contra cartesianos et recentiores ontogistas. — Probatur propositio. In re finita duo distinguuntur, entitas et limitatio ipsius entitatis, seu negatio amplioris entitatis. Sed entitas non est finita quatenus entitas; est igitur finita reduplicative ratione negationis amplioris entitatis, seu limitationis. Atqui mens nostra eo modo quo abstrahit a proprietatibus quæ rei insunt, ut ad unam unice attendat, et eo modo quo abstrahit a determinatis limitibus ut indefinitum consideret, potest etiam abstrahere totaliter a limitibus. Quæ enim ratio adduci potest quæ id vetet? At hac abstractione peracta, habetur entitas sine ullis limitibus, hoc est habetur entitas infinita. Igitur notio infiniti haberi potest per totalem subtractionem limitum a finito. — Hæc ratio probat possibilem notionem infiniti a finito; sed notionem illam infiniti a finito revera a nobis desumi ostenditur

ex natura ipsius notionis, quam de infinito habemus. Dictum est enim supra, n. VI, quod nos concipimus infinitum cognitione positivo-negativa. Attamen infinitum in se, seu objective spectatum, est quid maxime et exclusive positivum. Nulla ergo ex ipso ratio sumi potest ad explicandum modum illum negativo-positivum quo infinitum cognoscimus. Sed neque ex parte intellectus nostri ratio illa provenit, quia quanto magis intelligibile positivum est, tanto magis intellectus, qui natura sua in intelligibilia fertur, illud positive intelligit. Ergo modus ille cognoscendi provenit ex medio objectivo, ex quo mens nostra se movet ad cognoscendum infinitum, nempe ex *finito*, cujus entitatem retinet, et negationem tollit. — Quia tamen entitatem istam, quæ resultat ex negatione limitum, non perfecte ut in se est attingit mens nostra, sequitur, ut jam dixi cum S. Thoma (sup., n. IV), quod aliquid infiniti, nempe entitas, est in intellectu, et aliquid, entitas nempe reduplicative ut illimitata, seu *infinitas* in se, est extra intellectum (1).

XI. Solvuntur difficultates. Opportunum ducimus solvere objectiones, quas contra ultimam nostram propositionem opponunt recentiores ontologistæ simul cum cartesianis.

Objectio prima. Finitum non potest continere infinitum. Ergo a cognitione finiti mens assurgere nequit ad cognitionem infiniti. — Hæc Julius Fabre, *Cours de philosophie*, Lib. IV. Cap. II.

Resp. Distinguo *antecedens :* Finitum non potest continere entitative infinitum, *concedo;* logice, *subdistinguo :* non potest continere perfecte, *concedo;* imperfecte, *nego.* Et nego *conseq.* In-

(1) Circa hanc quæstionem de Cognitione Infiniti possunt numerari sex solutiones vel sententiæ :

Prima est *Innatistarum* vel *Cartesianorum*, qui ideam infiniti dicunt esse ingenitam et fundamentum omnium aliarum, sicut habet Auctor n. VII hujus art.

Secunda est *Ontologorum* juxta quos infinitum est primum cognitum sicut est primum cognoscibile. De hac sententia Auctor agit in Theol. Natur.

Tertia est sensistarum, de qua Auctor loquitur nn. VIII, IX hujus articuli.

Quarta est *posivistarum* et *agnosticorum*, qui existentiam infiniti directe et explicite non negant, sed nobis prorsus incognoscibilem contendunt.

Quinta est Pragmatistarum, qui sustinent infinitum sensu religioso vel experientia religiosa percipi.

Sexta est *scholasticorum*, de qua Auctor n. X hujus articuli. — *De notione et existentia* infiniti consuli potest A. FRANCHI *Ult. Crit.*, vol. I, cap. VI, VII.

finitum non potest certe contineri entitative in finito : sed hoc non requiritur in casu nostro, quia agimus de cognitione, ad quam sufficit quæcumque relatio cognita inter duo, ut unum possit ducere in cognitionem alterius : quæ relatio facit ut unam in altero *logice* contineatur. Porro, si unum, puta A, logice connexum cum B, perfecte referat naturam τοῦ B; ex cognitione A possum perfecte inferre naturam B : contra, si A est distinctæ ac inferioris naturæ. In hoc enim secundo casu A, ex vi suppositæ connexionis, ducit in aliqualem cognitionem B, sed non in perfectam, quia est *connexio*, sed deest inter utrumque *adæquatio*. Hinc finitum, quia est ab infinito, continet logice infinitum, seu habet ad ipsum proportionem habitudinis seu dependentiæ; at quia non habet cum infinito proportionem entitatis vel perfectionis (quia infinitum omnino excedit perfectione finitum), ideo notio finiti nequit nos ducere in perfectam infiniti cognitionem.

Objectio secunda. Infinitum est perfectius finito. Atqui minus perfectum non potest præbere cognitionem perfectioris. Ergo finitum non potest gignere cognitionem infiniti. — Fabre. Op. et loc. cit.

Resp. Concedo *majorem* et distinguo *minorem :* Imperfectum non potest ducere in cognitionem perfectam perfectioris, *concedo;* in cognitionem imperfectam perfectioris logice connexi cum imperfecto ipso, *nego;* et nego *conseq.* Responsio patet ex dictis in solutione superioris objectionis. — Missas facimus alias objectiones præcitati Auctoris, quia eadem semper æquivocatione laborant circa cognitionem perfectam et imperfectam infiniti. Eas potest lector plene solutas videre in Opere citato, *Della luce intellettuale*, etc., Lib. I. Cap. XV.

Objectio tertia. Methodus *exclusionis*, a nobis defensa pro cognitione infiniti a finito, est ipsamet methodus lockiana *additionis*. Atqui methodus additionis absurda est, ut supra demonstravimus. Ergo et methodus *exclusionis*. — Probatur *major :* quia excludere limites est entitatem finiti augere sine fine. Hæc Joannes Sans-Fiel, *Discussion amicale sur l'Ontologisme*, Dialog. I. n. 16.

Resp. Nego *majorem*, et nego pariter rationem adductam, ad ejus probationem. Notio enim augmenti dat *majus*, et notio augmenti sine fine dat notionem indefiniti. At vero subtrahere limites, non est addere entitatem limitatam entitati limitatæ præexistenti, ut videtur supponere Sans-Fiel in suo argumento, sed per subtractionem negationis seu limitationis *absolutæ*, entitas non est amplius finita, neque entitas primitiva finita transformata,

neque ipsamet cum additione, sed absolute nova entitas quæ menti exhibetur : eo ferme pacto quo genus, addita differentia, non remanet amplius genus primitivum, neque transformatur in speciem sed per differentiam habetur nova absolute natura, quæ *species* dicitur.

Ne hujusmodi articulus extra debitos limites protrahatur, ad sequentem articulum remitto solvendas nonnullas alias quæstiones, quæ naturam ipsius infiniti objective spectati propius attingunt.

ARTICULUS QUINTUS

(24)

De subjecto infinitatis.

I. Quæstio prima. Solet quæri a philosophis cuinam subjecto infinitas competere possit : et in primis quæritur, utrum ratio infinitatis possit multitudini competere, seu, quod idem est, utrum realiter possit existere multitudo entium, quæ simul existant et sint numero infinita. Partem affirmativam docuerunt semper materialistæ et pantheistæ tum antiqui tum recentiores, et docuit pariter Leibnitzius ponens *monades*, ex quibus, juxta ipsum, corpora coalescunt, esse infinitas; partem negativam tenent unanimiter cordatiores philosophi, cum quibus sit conclusio :

II. Multitudo actu infinita intrinsece repugnat. Nota vocabulum *actu*, per quod designatur existentia elementorum, ex quibus multitudo exurgit, non in ordine possibilitatis sed realis existentiæ : fatemur enim possibilia ut possibilia esse infinita. Qua explicatione præmissa, probatur, et quidem rigore demonstrativo, conclusio enuntiata. — Omnis multitudo est species numeri, et resultat ex additione unitatis ad unitatem, ipsi detrahi vel addi aliquid potest indefinite. Atqui repugnat infinitum esse numeri speciem, et resultare ex additione unitatis ad unitatem, et ipsi posse aliquid detrahi vel addi indefinite. Ergo repugnat multitudo actu infinita. — *Major* certa est, quia fundatur in ipsa notione multitudinis, quam alibi tradidimus (14, VII et seq.) : multitudo enim sine numero, et numerus sine unitatum additione vel non amplius additionis aut subtractionis capax, sunt ideæ ad invicem omnino pugnantes. Probatur *minor:*

Infinitum non potest esse species numeri. — Nam numerus est multitudo mensurata per unum (14, VIII). Sed infinitum, ut ex ejus definitione liquido constat, mensuram omnem essentialiter excludit : quod enim mensuratur, limitibus coarctatur. Igitur infinitum species numeri esse nequit.

Infinitum non potest resultare ex additione unitatis ad unitatem. Hæc pars *minoris* vix probatione indiget, quia ejus veritatem supra jam contra Lockium demonstravimus (*artic. præc.*, IX). Et revera. Ex additione unitatis ad unitatem resultat numerus seu multitudo, cujus partes, e. g., medietates quæ in ea concipi possunt, sunt numero finitæ, ut patet. Atqui multitudo infinita non potest resultare ex partibus finitis *(ib.)*. Ergo neque ex additione unitatis ad unitatem.

Infinitum non est susceptivum neque additionis neque subtractionis. Quoad additionem constat : quia cui aliquid additur, jam finitum præsupponitur. Quoad subtractionem de facili probatur. Fac enim aliquid, puta unitatem, subtrahi infinito; post subtractionem ergo non erit infinitum. Sed si addamus postea unitatem subtractam, non propterea erit infinitum, quia per additionem infinitum haberi non potest. Non est igitur infinitum illud cui vel simplex unitas detrahi potest. — P. I. Qu. VII. Artic. IV.

III. **Solvuntur difficultates.** — *Objectio prima.* Non est impossibile esse *actu*, quod est possibile *in potentia*. Atqui multitudo est *potentia* infinita. Ergo non est impossibilis multitudo actu infinita.

Resp. Distinguo *majorem :* Non est impossibile esse actu secundum modum sui esse, quod est in potentia, *concedo;* aliter, *nego*. Et concessa *minori*, nego *conseq.* — Unumquodque, ut S. Thomas notat, P. I, Qu. VII. Artic. IV, ad eamdem objectionem, reducitur in actum non quocumque modo, sed secundum modum consentaneum propriæ naturæ; ita dies reducitur quidem in actum, at non ut sit tota simul (quia hanc simultaneitatem non patitur ipsius diei natura), sed successive. Similiter infinitum multitudinis in potentia reducitur in actum, non ut sit totum simul, sed successive, hoc scilicet sensu, quod cuilibet datæ multitudini alia semper et indefinite multitudo addi potest.

Objectio secunda. Cujuslibet speciei possibile est aliquod individuum in actu. Atqui species figuræ sunt infinitæ. Ergo possibile est esse figuras actu infinitas.

Resp. Distinguo *majorem :* Cujuslibet speciei possibile est ali-

quod individuum in actu vel simul vel successive, *concedo;* simul, *nego.* Hæc secunda objectio consonat cum præcedenti; unde eadem est responsio. « Species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri. Sunt enim species figurarum ut trilaterum, quadrilaterum, et sic inde. Unde sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum quod sit tota simul, ita nec multitudo figurarum. » — P. I. Qu. et Artic. cit. ad 2.

Objectio tertia. Leibnitzius, in metaphysica simul et mathesi doctissimus, in sua epistola ad Foucher tenet, multitudinem actu infinitam non solum non repugnare, sed revera dari in materia, imo in qualibet materiæ parte. Non igitur multitudinem actu infinitam repugnare ita est demonstrative probatum, sicut nos contendimus.

Resp. Hæc sententia Leibnitzii, viri aliunde acutissimi, nulla ratione defendi potest. Quis enim in materia, in se determinata atque undequaque limitata, partes infinitas esse sibi serio persuadeat? Quod si leibnitziana sententia vera esset, offenderemus insuper aliud absurdum, nempe, quod cum in parte A sint *monades* infinitæ sicut in toto B, cujus A pars constituitur, A pars numero monadum perfectissime adæquaretur toti B.

IV. Quæstio altera. Numerus unitatum ab invicem separatarum constituit multitudinem quæ dicitur quantitas discreta; prout autem unitates illæ sibi invicem adhærent, ut unum constituant, efficiunt magnitudinem, seu extensionem, seu quantitatem continuam. Quæritur ergo secundo, utrum magnitudo actu infinita dari possit. Sit igitur :

V. Repugnat magnitudo actu infinita. Hæc propositio est corollarium præcedentis. Etenim in magnitudine quamvis unitates disjunctæ non sint, sunt tamen ad invicem distinctæ et una extra aliam, et nedum mente dissociari possunt, sed revera sunt dissociabiles. Quocirca magnitudo actu infinita nonnisi ex multitudine actu infinita unitatum seu partium resultare potest. Atqui intrinsece repugnat multitudo actu infinita. Pari ergo ratione repugnat magnitudo infinita actu.

VI. Solvuntur difficultates. — *Objectio prima.* Geometria in suis demonstrationibus supponit lineam infinitam. Atqui hæc suppositio non est absurda. Igitur absurdum non est dari posse lineam (quæ est magnitudinis species) actu infinitam.

Resp. Distinguo *majorem :* Geometria supponit lineam *actu* infinitam, *nego;* lineam *potentia* infinitam, hoc est indefinitam, *concedo.* — Et contradistincta *minori* in sensu

distinctionis *majoris*, nego *conseq.* — Etiam tirones Geometriæ sciunt quod geometres non indiget sumere aliquam lineam esse infinitam actu, sed indiget accipere aliquam lineam finitam actu, quamvis indefinitam, a qua possit subtrahi quantum necesse est : et hanc nominat lineam infinitam. — S. Thom. P. I. Qu. VII. Art. III. ad 1.

Objectio secunda. Esse infinitum non est contra rationem magnitudinis. Ergo magnitudo actu infinita non repugnat.

Resp. Distinguo *antecedens :* Esse infinitum non est contra rationem magnitudinis in communi, *transeat;* in specie, *nego.* « Licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi, est tamen contra rationem cujuslibet speciei ejus, scilicet contra rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ, sive circularis, vel triangularis, et similium. Unde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam cum nulla species magnitudinis sit infinita. » — S. Thom. P. I. Qu. VII. Art. III, ad 2.

VII Ens absolute infinitum non potest esse nisi ens simplicissimum. Hæc propositio, post ea quæ de infinito hucusque explicata sunt, de facili probatur. Etenim infinitum absolute (23, III), hoc est undequaque perfectissimum, non potest esse in sua essentia quid extensum, neque aliquid multum, ut patet ex superioribus propositionibus; neque quid compositum ex partibus essentialibus sive physicis sive metaphysicis (L. 16, II), quia partes essent necessario finitæ, et ex unione finitorum non potest haberi infinitum, ut demonstravimus contra Lockium (*artic. præc.*, IX); neque compositum ex subjecto et accidentibus, et, generatim, ex potentia et actu, quia infinitum absolutum est perfectissimum, et nullum compositum esse potest absolute perfectum, ut dictum est (22, II). Igitur ens infinitum non potest esse nisi ens simplicissimum, seu *actus purissimus*, excludens omnino compositionem et potentialitatem. — Procul dubio hoc ens infinitum simul et simplicissimum imaginationem rebus materialibus et compositis assuetam prorsus transcendit; sed non imaginatione, quæ haud raro est nobis errandi occasio (L. 51, III), sed intellectu est philosophandum; intellectus autem, non quidem simplici intuitione immediata, sed ratiocinatione et mediate demonstrat infinito omnimodam simplicitatem essentialiter competere. — Cf. S. Th., P. I. Qq. III. IV et VI.

ARTICULUS SEXTUS

(25)

De ente mutabili et immutabili.

I. Mutationis notio. Mutationis nomen latissime patet : applicatur enim motui, qui est mutatio localis; applicatur potentiæ respectu tum positionis tum amissionis actus; subjecto respectu accidentis; et ita de similibus. Hinc generatim loquendo mutari communiter dicimus, quod aliter incipit ac antea se habere, seu, ut P. I. Qu. XLV. Artic. II. ad 2, S. Thomas dicit, *de ratione mutationis est, quod* aliquid idem *se habeat aliter nunc et prius.* Hinc mutatio generice describi potest : *transitus entis ab uno ad alterum modum se habendi.* — Dispositio seu entis potentia ad aliter, quam est, se habendum, abstracte sumpta, dicitur *mutabilitas.*

II. Requisita ad mutationem. Ex tradita mutationis notione generica, tria essentialiter ad mutationem requiri, quisque per semetipsum facile intelligit, nempe : 1° terminum *a quo* subjectum mutabile mutatione abscedit; — 2° terminum *ad quem* subjectum mutabile mutatione pertingit, sive terminus iste sit negativus, sive positivus : quod idem est dicendum de termino *a quo;* — 3° subjectum ipsum mutabile, quod a termino *a quo* recedens, transit ad terminum *ad quem.* — A termino *ad quem* mutatio speciem et denominationem habet, quia ad illum tendit et in illo absolvitur mutatio; unde communiter dicimus aquam calefieri cum ex frigida fit calida. — S. Th. P. I. Qu. XLV. Art. I ad 2. — Veteres terminum *a quo* negativum dixerunt *privationem*; terminum *ad quem* positivum vocaverunt *formam* vel *actum;* subjectum denique *materiam* generice, vel *potentiam* appellarunt.

III. Mutatio substantialis et mutatio accidentalis. Primo partimur mutationem in substantialem et accidentalem, veteres secuti contra non paucos recentiores qui omnes mundanas mutationes erronee dicunt accidentales. Sed de hac opinione alibi. *Substantialis* mutatio est, *transitus subjecti de una ad aliam naturam;* ita cibus mutatur substantialiter cum, peracta digestione, in carnem, sanguinem aliasque partes corporei organismi convertitur. — Mutatio *accidentalis* est, *transitus subjecti a privatione accidentis ad ipsius*

accidentis acquisitionem, vel ab accidente ad ejusdem privationem; ut cum ex infirmo homo fit sanus vel contra, aut ex nesciente fit sciens, etc.

IV. Mutatio ab intrinseco et ab extrinseco. Mutatio sive substantialis sive accidentalis, cujus ratio petitur ab ipsa intrinseca natura subjecti, dicitur *ab intrinseco;* ita mutationes ab intrinseco sunt quæ corpori humano eveniunt ex infirmitate vel aliis de causis. Si vero tota ratio mutationis petitur ex causa extrinseca subjecto, in quod cadit mutatio, hæc dicitur *ab extrinseco;* ut cum natura propria et connaturali personalitate destituitur, et subsistit in superiori personalitate, sicut de natura Christi Domini credimus cum Catholica Ecclesia. — Manifestum est autem quod mutatio ab extrinseco subaudit in subjecto potentiam passivam (8, III, seq.), qua virtuti causæ extrinsecæ activæ subjaceat.

V. Mutatio absoluta seu intrinseca, et mutatio relativa seu extrinseca. Per mutationem *absolutam* seu *intrinsecam* afficitur subjectum ipsius mutationis, ut homo cum ex uno in alium colorem mutatur; *per relativam* vero non afficitur subjectum cui per denominationem extrinsecam mutatio tribuitur, sed alia res in qua proprie habet locum mutatio; ut si quis a mea dextera transiret ad sinistram meam, quin ego movear.

VI. Axiomata. Ex tradita mutationis et mutabilitatis natura inferuntur sequentia corollaria, quæ inter axiomata jure meritoque a Scholasticis habebantur :

Primum. In omni mutatione oportet aliquid idem esse sub utroque termino, habens se post mutationem aliter quam prius. — Hoc axioma exprimit ipsa elementa quæ uti mutationi necessaria supra recensuimus. Et hinc est quod *creatio*, quæ est eductio *totius* rei ex nihilo sui et subjecti, et *annihilatio*, quæ est reductio *totius* rei in nihilum, proprie loquendo mutationes non sunt, quia ante sui creationem, vel post sui annihilationem, subjectum non est.

Secundum. Omne quod quocumque modo mutatur, manet quoad aliquid, et quoad aliquid transit. — Est intime hoc secundum axioma connexum cum præcedente. Manet enim subjectum idem, et transit a termino a quo ad terminum ad quem. Unde axioma.

Tertium. Omne quod mutatur, mutatione aliquid acquirit,

hoc est terminum *ad quem;* sive terminus iste intelligatur positive sive negative, ut supra, n. II. dictum est.

Quartum. Omne ens mutabile, quatenus mutabile, est imperfectum. Mutatione quippe vel aliquid acquirit vel aliquid amittit. Vel ante igitur vel post mutationem, subjectum mutabile est necessario imperfectum.

Quintum. Ens mutabile, quatenus mutabile, est compositum. Idem enim subjectum sub utroque termino perseverans, ut dicitur in primo axiomate, unum potest amittere et alterum acquirere; quod nonnisi de subjecto utcumque composito intelligi potest.

Sextum. Ens mutabile, quatenus mutabile, est ens in potentia. Potest siquidem ab uno termino ad alium transire (8, X).

Ut consideranti de facili patet, omnia hujusmodi axiomata, quæ apud Scholasticos frequenter occurrunt, in primo axiomate fundantur, cujus non aliud revera sunt quam explicationes verbis diversis propositæ. — P. I., Qu. IX. Artic. I.

VII. De ente immutabili. Ens *immutabile* per oppositum ad *mutabile* dicitur; et ideo oppositam definitionem sortiri debet; nempe ens *immutabile*, universim sumptum, est illud quod, *non potest se habere aliter nunc et prius*, seu quod, *non potest transire ab uno ad alterum modum se habendi.*

VIII. De ente immutabili SECUNDUM QUID et de ente immutabili ABSOLUTE. Omne quod mutatur, eatenus mutatur quatenus est in *potentia passiva* (8, III, seq.), sive mutatio proveniat a principio intrinseco subjecto mutabili, sive a causa extrinseca cui subjectum mutabile subjicitur (*sup.*, n. IV). Igitur si ens est immutabile, quatenus excludit quamcumque potentialitatem tum in se tum in ordine ad causas sibi extrinsecas, dicitur *immutabile absolute* seu *simpliciter.* — Si vero aliqua ex parte subjectum admittat aliquam potentialitatem mutationis sive ab intrinseco sive ab extrinseco, ex qua parte hanc habet potentialitatem erit mutabile, ex qua vero parte excludit potentialitatem erit *immutabile;* et ideo non absolute et simpliciter immutabile est dicendum, sed *secundum quid.*

IX. S. Thomæ doctrina. Pro coronide hujus articuli transcribo verba quæ circa diversas rationes mutabilitatis habet S. Thomas, P. I. Qu. IX. Artic. II : « sciendum est, quod mutabile

potest aliquid dici dupliciter. Uno modo per potentiam, quæ in ipso est. Alio modo per potentiam, quæ in altero est. Omnes enim creaturæ, antequam essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum; sed per solam potentiam divinam, inquantum Deus poterat eas in esse producere. Sicut autem ex voluntate Dei dependet quod res in esse producit, ita ex voluntate ejus dependet quod res in esse conservat : non enim aliter eas in esse conservat, quam semper eis esse dando; unde si suam actionem eis subtraheret, omnia in nihilum redigerentur, ut patet per Augustinum *super Genes. ad litteram.* Sicut igitur in potentia Creatoris fuit, ut res essent, antequam essent in seipsis, ita in potentia Creatoris est, postquam sunt in seipsis, ut non sint. Sic igitur per potentiam, quæ est in altero, scilicet in Deo, sunt mutabiles, inquantum ab ipso ex nihilo potuerunt produci in esse, et de esse possunt reduci in non esse.

» Si autem dicatur aliquid mutabile per potentiam in ipso existentem, sic etiam aliquo modo omnis creatura est mutabilis. Est enim in creatura duplex potentia, scilicet activa et passiva : dico autem potentiam passivam, secundum quam aliquid assequi potest suam perfectionem vel in essendo, vel in consequendo finem.

» Si igitur attendatur mutabilitas rei secundum potentiam ad esse, sic non in omnibus creaturis est mutabilitas : sed in illis solum, in quibus illud quod est possibile in eis potest stare cum non esse. Unde in corporibus inferioribus est mutabilitas et secundum esse substantiale, quia materia eorum potest esse cum privatione formæ substantialis ipsorum, et quantum ad esse accidentale, si subjectum compatiatur secum privationem accidentis; sicut hoc subjectum *homo* compatitur secum non album, et ideo potest mutari de albo in non album. Si vero sit tale accidens quod consequatur principia essentialia subjecti, privatio illius accidentis non potest stare cum subjecto. Unde subjectum non potest mutari secundum illud accidens, sicut nix non potest fieri nigra... Substantiæ vero incorporeæ, quia sunt ipsæ formæ subsistentes, quæ tamen se habent ad esse ipsarum sicut potentia ad actum, non compatiuntur secum privationem hujus actus : quia esse consequitur formam; et nihil corrumpitur nisi per hoc, quod amittit formam. Unde in ipsa forma non est potentia ad non esse : et ideo hujusmodi substantiæ sunt immutabiles et invariabiles, secundum esse : et hoc est quod dicit Dionys., quod *substantiæ intellectuales creatæ, mundæ sunt a generatione et ab omni variatione, sicut incorporales et immateriales.*

Sed tamen remanet in eis duplex mutabilitas : una secundum quod sunt in potentia ad finem, et sic est in eis mutabilitas secundum electionem de bono in malum, ut Damascenus dicit; alia secundum locum, inquantum virtute sua finita possunt attingere quædam loca, quæ prius non attingebant, quod de Deo dici non potest, qui sua infinitate omnia loca replet, ut supra dictum est.

» Sic igitur in omni creatura est potentia ad mutationem; vel secundum esse substantiale, sicut corpora corruptibilia : vel secundum esse locale tantum...; vel secundum ordinem ad finem et applicationem virtutis ad diversa, sicut in angelis : et universaliter omnes creaturæ communiter sunt mutabiles secundum potentiam creantis, in cujus potestate est esse et non esse earum. Unde cum Deus nullo istorum modorum sit mutabilis, proprium ejus est omnino immutabilem esse. »

LIBER TERTIUS

DE SUPREMIS GENERIBUS ENTIUM

Prologus. Absolvimus in secundo Ontologiæ Libro tractatum de ente transcendentaliter sumpto, deque ejus proprietatibus ac perfectionibus, quin de determinatis entium generibus peculiarem rationem haberemus. Et tamen, ut vel leviter observanti est manifestum, entia coordinantur sub diversis *categoriis*, quas in Logica naturas genericas vel specificas appellavimus. Reliquum est igitur, ut, sicut in prologo generali ad Ontologiam diximus, de variis generibus entium in hoc tertio Ontologiæ Libro disseramus. — Porro omne ens quod aut mente concipitur aut realiter existit, vel tale est, quod per semetipsum sustentare se valeat, quatenus nempe alio subjecto non egeat ut in propria natura existat; vel contra nonnisi in altero existendi habeat facultatem. Si primum, habetur *substantia;* si alterum, erit *accidens.* Et hæc sunt duo genera suprema, in quæ ens primo dividitur, et sub quibus inferiora genera et species coordinantur. — Patet igitur quænam sit hujus tertii Libri divisio : agam enim primo de *substantia;* deinde de *accidente.* Quia vero plura sunt accidentium genera, prius de accidente in genere sermo erit, postea vero de præcipuis accidentium speciebus, nempe de *qualitate*, de *quantitate* et de *relatione* tractatum, distinctis capitibus, habebo.

CAPUT PRIMUM

DE SUBSTANTIA

Prologus. Quoad substantiam notio ejus germana *primo* est determinanda; *deinde* dicendum est de substantiæ præcipuis speciebus; *tertio* de reali ejus existentia; *quarto* de supposito et persona.

ARTICULUS PRIMUS

(26)

De notione substantiæ.

I. Vulgaris notio substantiæ. Nomine substantiæ communiter intelligitur *subjectum*, quod jugiter sub successivis modificationibus idem perseverat; sicut homo idem manens variis affectionibus tum quoad corpus tum quoad animum subjicitur. Hinc *substantia* quasi a *sub-stare* dicta est, quia *substat* alteri, illudque sustentat, quod *accidens* ab *accidere* communiter appellatur.

II. Philosophica notio substantiæ ex SS. Augustino et Thoma. A vulgari notione substantiæ minime est recedendum, quia notio est dictata a sensu naturæ communi, sed potius declaranda est, eamque egregie declarant SS. Augustinus et Thomas. Primus in Lib. VII. *De Trinitate*, Cap. IV, n. 9, inquit : « Sicut ab eo quod est esse appellatur *essentia;* ita ab eo quod est subsistere *substantiam* dicimus. » S. Thomas, P. I, Qu. XXIX, Artic. II, in eumdem sensum loquens, docet substantiam esse *essentiam, cui competit per se esse et non in alio.* Quam definitionem explicitius tradit Qu. III, Artic. V, ad 1, his verbis : « Substantiæ nomen non significat hoc solum quod est per se esse, quia hoc quod est *esse*, non potest per se esse genus, ut ostensum est; sed significat *essentiam cui competit sic esse*, id est *per se esse*, quod tamen esse non est ipsa ejus essentia. » Denique, Qq. Dispp. *De Potentia*, Qu. VII, Artic. III, ad 4, addit : « *Ens per se* non est definitio substantiæ, ut Avicenna dicit. Ens enim non potest esse alicujus genus (7, V)... Sed si substantia possit habere definitionem, non obstante quod est genus generalissimum, erit ejus definitio, quod *substantia est res, cujus quidditati debetur esse non in aliquo.* » — Cf. et P. III. Qu. LXXVII, Artic. I, ad 2.

III. Expenditur et declaratur supradicta notio substantiæ. Ut substantiæ notio a SS. Augustino et Thoma tradita, explicata et probata maneat, sistamus breviter in etymologia nominis. Dicimus substantiam a *substare*, sicut accidens ab *accidere*. Quamvis autem nihil prohibeat quominus sub diversa ratione aliquid substet alteri illud sustentans, et simul ipsum ab alio subjecto cui

accidit sustentetur, ut videre est in partibus materialibus alicujus domus; impossibile tamen est ut nihil subsistat, et omnia accidant : quia si omnia etiam infinita accidere ponantur, non esset cui acciderent, et revera accidentia non essent : quod est contra rationem hypothesis a nobis in hac ratiocinatione assumptæ. Debet igitur esse subjectum X, cui sive mediate sive immediate accidant quæcumque illi accidunt. Atqui subjectum istud aliqua essentia esse debet : non enim nihil est; sed est talis essentia quæ alteri non accidit, sed cui alia accidunt, ut dictum est. Hæc essentia quæ nulli subjecto accidit, et consequenter non est in subjecto sed in seipsa, est ipsamet quidditas substantiæ (inf., n. V). Rectissima ergo est notio quam de substantia tradunt sanctissimi doctissimique viri præcitati.

IV. Falsæ quædam substantiæ notiones. Vera notio substantiæ maxime philosopho necessaria est : ex falsa enim notione ejusdem, tanquam ex falso principio, pessimi errores inferuntur, ut Spinozæ accidit. Interest ergo plurimum ut aliquas ex hujusmodi falsis notionibus refellamus (1). — Nonnulli igitur ex antiquis philosophis, ut refert Aristoteles tum in VII *Metaphysicorum*, tum alibi, nonnisi substantias corporeas et extensas agnoscebant, atque ideo per extensionem definiebant naturam substantiæ : quam quidem antiquorum sententiam ex recentioribus amplexus est Hobbesius in *Leviathan*, Cap. XI, ceterique materialistæ : quibus præterea arrident obscuriores illi pantheistæ, qui nonnisi substantiam corpoream agnoscunt vi quadam præditam. Pudet immorari in confutandis talibus hominum delirantium somniis. Unde ad alias minus in apparentia irrationabiles opiniones referendas veniendum est.

Cartesius igitur (*Princ. Philosoph.*, P. I, n. 13), substantiam definivit, *rem, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum.* Hæc cartesiana definitio æquivocatione laborat : ete-

(1) Baruch de Spinoza (1632-1677) definivit substantiam his verbis : *Per substantiam intelligo id quod in se est et per se concipitur;* i. e. *id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a quo formari debeat.* Hæc autem non est definitio substantiæ, sed entis a se existentis. Logice ex hac falsa notione deduxit unicam existere substantiam et consequenter pantheismum .Cf. *Cosmologiam* ubi *de Pantheismo.*

Cousin hanc tradidit notionem substantiæ : *Substantia est ens quo nihil ulterius concipi potest relate ad existentiam.* Fragm. phil. tom. I, p. 348. Ut patet hæc quoque definitio falsa est, quia solum *Infinito* convenit. Necessario duceret ad Pantheismum si admitteretur.

Alii aliter substantiam definierunt; sed non est necessarium omnia referre et confutare. Cf. Hugon, *Metaphysica ontologica*, pars II, p. 224.

nim intelligi potest quod substantia nulla alia re ut *subjecto* indiget ad existendum; et in hoc sensu verissima est, convenitque cum explicationibus a nobis traditis, nn. II. et III. Vel intelligi potest quod substantia nulla alia re indiget neque ut *subjecto* neque ut *causa* ad existendum; et in hoc secundo sensu est falsa et perniciosa.

Est falsa : nam ratio substantiæ in se sumptæ, nempe ut substantia est, neque includit neque excludit dependentiam ab aliqua causa efficiente sui esse; sed exclusive importat in suo essentiali conceptu tantummodo id quod in sua definitione includitur, nempe essentiam cui competit esse non in alio, sicut in subjecto sustentante ejus existentiam. Utrum vero hæc vel alia substantia causa efficiente extrinseca indigeat ad existendum, alia quæstio est, quæ aliunde quam a conceptu generico substantiæ solvi debet.

Est perniciosa : nam, ut Spinoza in sua *Ethica*, p. I, ratiocinatus est, substantia, quæ alia re neque ut subjecto neque ut causa indiget ad existendum, produci nullatenus potest, est unica, est ipse Deus; ceteraque omnia, quæ in mundo conspiciuntur et quæ substantiæ videntur, non sunt revera nisi accidentia unicæ substantiæ divinæ. Hæc concludit Spinoza, moderni pantheismi parens, suam demonstrationem exorsus a falsa notione substantiæ ut independentis tum a subjecto tum a causa : additque Spinoza principia Cartesii, quem ipse (injuria tamen, ut ego existimo) suum magistrum vocitat, a se fuisse applicata ad inferendas suas conclusiones pantheisticas. Qua in re consuli potest Cousin, *Fragments de philosophie Cartésienne*, §. VII, *Des rapports du Cartésianisme et du Spinozisme*, Paris, 1855, in-12, pag. 429 et seqq.

Leibnitzius *De primæ philos. emendatione*, p. I. pag. 19, quem sequitur Wolfius, *Ontolog.*, p. II. §. 77), in *Examine* a se instituto de principiis Malebranchii, reprobat definitionem cartesianam de substantia, hancque dicit esse, *ens præditum vi agendi :* quam definitionem approbat Antonius Genuensis in sua *Metaphysica*, P. I. *Schol.* definit. 22. — Verum, etsi hæc definitio leibnitziana a falsitate vindicari possit, non est tamen approbanda, quia relinquit id quod primarium est in substantia, et complectitur solummodo id quod secundarium est. Fatemur substantiam præditam esse vi agendi, fatemur illam ad agendum ferri natura sua; sed nihil agit nisi secundum modum quo existit, et actio sequitur naturam jam constitutam et existentem. Cum igitur Leibnitzius de hoc modo existendi substantiæ, ut de fundamento necessario ad agendum, nihil dicat, imperfectis-

sima est ejus definitio : imo nec substantia ab accidentibus, quæ vim agendi aliquo modo et ipsa habent, satis per definitionem leibnitzianam discernitur : qui quidem defectus in definitione est gravissimus.

V. Ratio essentialis substantiæ non consistit in ordine substandi accidentibus, sed in hoc quod per se existit et non in alio. Hanc propositionem ponimus ad majorem explicationem traditæ notionis de substantia. Revera substantiæ conceptus a nobis formatur *a posteriori*, hoc est ab accidentibus, quæ recedere a subjecto illique supervenire conspicimus : sed ratione sustentandi accidentia primitus in subjecto substantiali deprehensa, ulterius progredimur, et facili ratiocinatione concludimus substantiæ nullo pacto competere posse vim sustentandi alia, nisi antecedenter ex sua propria natura vim habeat sustentandi seipsam, quin alteri ut subjecto inhæreat. Non igitur in ratione *substandi* accidentibus, sed in ratione *standi per se* et non inhærendi subjecto, stat essentialis conceptus substantiæ.

VI. Corollarium. Ex dictis in hoc articulo infertur substantiæ notionem positivam esse, non negativam. Virtus enim existendi per se, et alio ut subjecto non indigere ad existendum, perfectionem positivam omnino enuntiat (1).

ARTICULUS SECUNDUS

(27)

De divisionibus substantiæ.

I. Sensus naturæ communis circa substantiarum diversitatem. Sensu naturæ communi substantias in varias dividi species, nemo negare audet : est enim factum evidentissimum. Quis enim hominum naturæ ductu non certo affirmet animam humanam esse essentiam substantialem diversam a substantiali essentia corporis? Negant quidem pantheistæ huic sensus communis judicio inesse veritatem : sed factum non negant, neque negare possunt; et si est errandum, melius

(1) Realitas obiectiva conceptus substantiæ probatur ex his quæ contra subiectivismum in Critica dicta sunt, et ab experientia nostra interna et externa contra positivistas confirmatur. Cf. art. III hujus cap.; PESCH, *Inst. Logic.*, 1459 et seqq.; REINSTADLER, *Ont.*, p. 295; A. FRANCHI, *Ult. Crit.*, vol. I, cap. V.

est errare cum humano genere, quam cum pantheistis sentire. Quocirca assignabimus hic varias substantiæ divisiones.

II. Substantia PRIMA **et substantia** SECUNDA. Celebris est apud Scholasticos divisio ista, quam Aristoteles opposuit divisioni platonicæ (4, I). Nomine substantiæ *primæ* intelligebatur substantia individua, Petrus, Paulus, etc.; quæ idcirco definiebatur : *substantia, quæ neque* in *subjecto est, neque* de *subjecto aliquo affirmatur.* Non *in* subjecto est, quia non esse in subjecto est essentiale substantiæ, ut in præcedenti articulo dictum est; non *de* subjecto aliquo affirmatur, quia revera dici nequit *Petrus est Paulus*, et sic de ceteris individuis. — Substantia vero *secunda* illa dicebatur, quæ *non est* in *subjecto, sed affirmatur* de *subjecto.* Hujusmodi sunt naturæ universales, quæ in proprio conceptu substantialem naturam præ se ferunt, ut *homo* et alia, et idcirco non sunt in subjecto; attamen de singularibus vere et proprie affirmantur, ut in primo Ontologiæ Libro, Artic. VI. fuse dictum est. Dicuntur autem substantiæ secundæ, tum quia prius realiter existunt individua, et postea operatione mentis universales naturæ considerantur ab individuatione præcisæ; tum quia non primo et per se convenit illis subsistere et substare accidentibus, sed quatenus sunt in individuis, in quibus solummodo existunt, et consequenter in individuis habent quod subsistant et accidentibus substent. — Substantia prima solet etiam dici *physica;* et substantia secunda appelletur etiam *metaphysica.* — S. Thom. P. I. Qu. XXIX, Artic. II, ad 4.

III. Substantiæ completæ et substantiæ incompletæ in ratione SPECIEI. Substantiarum quæ per se existunt, quædam negationi essendi *in* alio addunt negationem essendi *cum* alio ad componendam naturam aliquam specificam; ut sunt angeli : et hujusmodi substantiæ dicuntur completæ *in specie.* — Aliæ vero sunt quæ negationi essendi *in* alio addunt naturalem ordinem essendi *cum* alio ad naturam specificam componendam, ut sunt animæ humanæ; et hujusmodi substantiæ dicuntur incompletæ *in specie.* — Signum substantialitatis incompletæ in ratione speciei est, si substantia aliqua nequeat totaliter per semetipsam exercere operationes omnes illius speciei : « Non enim, inquit S. Thomas, aliquid est completum *in specie*, nisi habeat ea quæ requiruntur ad propriam operationem speciei. » (Qu. unica *De anima*, inter

Disp., Artic. I.) — Unde anima sensitiva non est *animal*, neque anima humana est *homo*, quia anima sensitiva nequit sine consortio corporis exercere operationes sensitivas; et ipsa anima humana etiam quoad operationem specificam hominis, nempe *intelligere*, aliquo modo, *objective* nempe, dependet a sensibus et consequenter a corpore cui unitur. Brutum igitur et homo sunt substantiæ completæ *in ratione speciei*, non autem anima, sive sensitiva, sive rationalis.

IV. Substantiæ completæ et substantiæ incompletæ in ratione SUBSTANTIALITATIS. Huic divisioni sedulo attendendum est. Substantia completa in *ratione substantialitatis* illa est, quæ per semetipsam operationes sibi proprias et specificas exercere potest, et de facto exercet, independenter *subjective* ab alio, cum quo forte est unita ab complementum speciei. Talis enim substantia non solum non est *in* alio, sed etiam existit vel potest existere *sine* alio; et ideo ipsa sibi per se vindicat rationem perfectæ subtantialitatis (*Artic. præc.*, n. V). Si vero substantia ita est alteri unita, ut non solum *cum* eo componat unum esse specificum, sed etiam unum subjectivum operationis specificæ principium in omnibus, dicitur substantia incompleta non solum in ratione speciei, sed etiam in ratione substantiæ. Hæc enim substantia, quia est substantia, non existit *in* alio sicut in subjecto, neque *de* subjecto dicitur (*sup.*, n. II); sed, ex hypothesi, non potest existere nisi *cum* alio; igitur ipsa per se sola non existit, atque ex hac parte caret perfecta substantialitate. — Rem exemplis illustremus. Anima nostra est substantia, et substantia est etiam anima brutorum : operationes specificæ animæ humanæ sunt intellectuales actiones; operationes specificæ animæ brutorum sunt actiones sensitivæ. Sed operationes intellectuales sunt ab anima intellectiva, sicut ab unico principio a quo fluunt, et sicut ab unico subjecto (mediantibus tamen facultatibus) in quo sunt, quin corpus vel sensus ad illas actiones exercendas concurrant ut *principium* vel ut *comprincipium*. Anima ergo nostra agit independenter independentia *subjectiva* ab alio. — At operationum sensitivarum ut suo loco plenius demonstrabitur, non anima sola, neque solus organismus, sed compositum, hoc est organismus animatus, est principium elicitivum. Igitur anima brutorum operationes suas specificas exercet cum dependentia *subjectiva* a corpore, ut a comprincipio, unde actio sensitiva fluit. Substantia agens primo modo vocatur substantia completa in ratione substantialitatis; substantia agens secundo modo di

citur substantia incompleta in ratione substantialitatis. — Hinc angelus, quia ex se totaliter proprias operationes exercet, est substantia completa tum in ratione substantialitatis, tum in ratione speciei. — Anima humana, quæ ex se sola *subjective* exercet operationes suas specificas, nempe intelligere et velle, est substantia completa in ratione substantiæ; at non in ratione speciei, quia habet a sensibus dependentiam *objectivam*, quatenus nempe, quamdiu corpori in præsenti rerum ordine est unita, ministerio indiget sensuum et phantasmatum rerum corporearum, unde ideas primitus sibi comparat (L. 52, II). — Denique, anima brutorum neque in specie neque in ratione substantiæ est substantia completa, quia ex se sola non potest subjective actiones specificas, hoc est sensitivas, sine corporis consortio exercere.

V. Substantia simplex et substantia composita. Cum ens *simplex* dicatur per privationem compositionis, quatenus scilicet non est ex multis compositum, ut S. Thomas notat Lect. XXVIII. in Lib. *De causis*, et *compositum* dicatur ens ex pluribus entibus coalescens; illa erit substantia composita *in ratione* substantiæ, quæ ex pluribus substantiis incompletis coalescit, ut *homo*, *brutum*, et alia hujusmodi. — Substantia vero simplex in ratione substantialitatis illa erit, quæ ex pluribus substantiis incompletis non resultat, sed ex se sola est substantia sive complete sive incomplete; ut anima brutorum, anima humana, angelus, Deus.

VI. Substantia CORPOREA, MATERIALIS **et** IMMATERIALIS **seu** SPIRITUALIS. Divisio ista valde necessaria et maximi momenti in philosophia. Substantiam autem trifariam sic dividimus, ut omnis æquivocatio tollatur et clare atque distincte notio substantiæ spiritualis retineatur.

Substantiam corpoream illam dicimus in cujus notione continetur aliquo modo *extensio* seu *quantitas*, unde et substantia extensa dicitur. Non refert autem impræsentiarum declarare varios modos, quibus quantitas ista substantiæ corporeæ conveniat. Ita, *aurum*, *argentum* aliaque hujusmodi, vulgo *corpora* et *substantias corporeas* appellamus.

Substantia materialis, ut hic a nobis sumitur, non est idem ac substantia corporea, quamvis omnis substantia corporea dici possit materialis. Ad cujus intelligentiam sciendum est quod, ut supra explicavimus, ex substantiis quædam sunt incompletæ in ordine speciei, et ideo ad complementum speciei alicui subjecto uniuntur, ut anima sensitiva in brutis

et anima rationalis in homine. Patet autem subjecta, quibus animæ istæ uniuntur, esse corpora. Age porro. Substantia incompleta subjecto corporeo ita potest esse unita, ut sine corpore, ut comprincipio et consubjecto, nullam actionem possit exercere; sicut accidit animabus mere sensitivis, quæ, ut supra diximus, non solum vegetationem solæ non exercent, sed neque sensationem : sentit enim non organum neque anima sola, sed *animal*, hoc est corpus *organicum-animatum*. Et tamen sensatio est actio specifica animæ sensitivæ. Impossibile autem est quod principium subjective dependens ab aliquo subjecto in actionibus suis specificis, ab eodem subjecto non dependeat etiam quoad esse : quia *operari sequitur esse*, et quod est independens quoad *esse* est etiam independens quoad *agere*. Substantia incompleta dependens quoad agere specificum et consequenter quoad esse a corpore seu materia, dicitur substantia *materialis*, quamvis ratione suæ *simplicitatis* corporea non sit.

· *Substantia immaterialis seu spiritualis.* Hæc substantia dicitur per oppositum ad substantiam materialem et multo magis corpoream. Igitur potest definiri : *Substantia simplex independens tum quoad agere suum specificum tum*, consequenter, *quoad esse a materia.* Et nota cautissime quod hæc definitio complectitur tum substantias in se completas in ratione *substantialitatis* et in *specie* cum omnimoda separatione a materia, ut sunt angeli et Deus, tum substantias incompletas in *specie*, completas tamen in ordine *substantialitatis*, ut sunt animæ humanæ : sive enim substantiæ omnino separatæ a materia intelligantur, sive in materia existentes, dummodo independentes sese exhibeant a materia in propriis operationibus specificis et consequenter quoad esse, incunctanter dicendæ sunt essentialiter *spirituales*, hoc est *immateriales*, seu supra omnem materiam et corpoream naturam positæ. — Conceptum ipsum spiritualitatis passim tradit S. Thomas; sed post Cartesium, philosophi, doctrinæ scholasticæ ignari, ab eo recesserunt, cum maxima idearum confusione et scientiarum detrimento, rationemque spiritualitatis fere ex unica rei simplicitate derivarunt. Germanum itaque spiritualis substantiæ conceptum restituere conati sumus : cui quidem maxime est insistendum.

ARTICULUS TERTIUS

(28)

De realitate substantiarum.

I. Lockii opinio. Asseruit Lockius in Lib. II. *De intellectu humano*, Cap. XXII. §§. I. et II, substantiam non esse aliud quam collectionem qualitatum, quas cum credamus haud posse sine subjecto subsistere, eis aliquid supponimus, quod vocamus substantiam; de qua tamen nullam claram notitiam habemus.

Ex quibus principiis, ut Cousin, *Philosophie de Locke*, Leçon VIe *(fin.)*, recte animadvertit, legitime infertur realitatem substantiarum relate ad nos aut dubiam esse, aut esse quid mere ideale vel mentis figmentum.

II. Origo opinionis lockianæ Forte autem lockiana opinio orginem ducit ex confusione duplicis cognitionis, quam de re aliqua mens nostra habere potest. Supra distinximus substantias in primas et secundas (27, II). Certum est autem a nobis non cognosci clare et distincte naturam singularem seu atomam substantialitatis, quæ competit substantiis primis, sicut jam diximus de earum essentiis (10, VI); attamen sicut nonnullas essentias cognoscimus per notas communiores *(ibid.)*, ita communiorem substantialitatis notionem quæ scilicet substantiis secundis propria est, claram habemus (26, I-III. V). Quia vero universalia Lockius habet ut mera nomina, quibus nil reale respondet, ita debuit communem illum conceptum substantiæ inter mera nomina pariter reponere, sine ullo reali respondente in rebus ipsis. Contra autem lockianam et sensisticam opinionem sit conclusio :

III. Doctrina de substantiarum realite, ut certissima est omnino tenenda. Probatur. Opinio, quæ negat realitatem substantiarum caret fundamento, ludit in ambiguo, a se ipsa dissentit, sensui hominum contradicit, et rationi apertissime adversatur. Ergo opinio contraria, quæ affirmat realitatem substantiarum, ut doctrina certissima est retinenda. *Consequentia* patet; probatur *antecedens.*

Caret fundamento. Fundamentum opinionis de qua loquimur est substantiæ notio a Lockio tradita *(Op. et loc. cit.)*, nempe quod substantia *subjective* sumpta sit, *congeries idearum simplicium sensu perceptarum*, spectata vero *objec-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tive sit *complexus qualitatum sensu perceptarum, ignota ratione coexistentium.* Atqui, ut ex dictis in primo articulo hujus libri constat, hæc notio contradicit veræ atque germanæ notioni substantiæ. Igitur opinio lockiana revera destituitur fundamento.

Ludit in ambiguo. Id ex ipsis verbis Lockii *(loc. cit.)*, fiet manifestum : « Si quis, inquit, interrogatur quodnam sit subjectum, in quo color aut pondus inhæret, nihil indicare posset, præter partes solidas extensas; et si rogaretur quidnam sit soliditatis et extensionis subjectum, haud in minus nodum difficilem incideret, quam Indus ille, qui cum diceret mundum sustentari ab ingente elephante, rogabatur, quidnam elephantem sustentaret; respondit, ingens testudo; roganti denuo, quid testudinem sustineat, respondit, aliquid; quid vero, nescit. Hoc modo hic, ut in omnibus aliis casibus, ubi vocibus utimur sine claris et distinctis ideis, puerorum ritu loquimur : qui rogati quid res sit quam ignorant, confestim respondent esse aliquid; quod perinde est ac si dicerent se nescire, atque se rei, de qua quantum notissima loquuntur, nullam omnino habere ideam, verum istius penitus ignaros esse. » Hæc Lockius qui, dum pueros deridet, pueriles æquivocationes imitatur. Quid si Indus respondisset elephantem sustinere sed non sustineri? Erronee utique locutus fuisset, sed præclusisset viam aliis interrogationibus, duos distinctos conceptus manifestando, videlicet dependentiam mundi ab elephante, virtutem elephanti concessam sustentandi seipsum. Sed ad rem veniamus. Esto igitur quod clare et distincte dicere nesciamus quid sit ratio individualis subjecti substantialis qualitatum, clare tamen et distincte dicimus non solum quod sit *aliquid*, ut Lockius gratis fingit, sed quod sit ens reale existens per se et non in alio, nempe subjecto reali et individuo vere et realiter inesse naturam substantiæ universaliter cognitæ affirmamus. Pessime igitur se gessit Lockius, confundendo cognitionem claram et distinctam individuæ substantialitatis cum cognitione substantialitatis universaliter inspectæ, et ex negatione primæ notionis inferendo negationem secundæ.

A se ipsa dissentit. Audiamus iterum hac in re Lockium; « Haud concipientes, inquit, quomodo hæ simplices ideæ per se subsistere possent, solemus substratum aliquod supponere, in quod subsistant, et unde resiliant, quod idcirco substantiam vocamus. » Et addit non immerito substantiam esse materiam et fundamentum humani sermonis. Quæ Lockii con-

fessio, ejus opinionem, quam impugnamus, mirifice evertit. Etenim si mens ita intelligit reales qualitates, ut natura istarum non valeat per se existere, sed essentialiter *ab alio* exigat sustentari et *in alio* esse ut existat; consequitur manifeste quod, sicut reales sunt qualitates, reale quoque dici debeat subjectum : cujus proinde existentia *in se et non in alio* clare et distincte menti exhibetur. — Et, si substantia est fundamentum humani sermonis, debet profecto esse quid clare perceptum et realiter existens sub qualitatibus realibus, nisi velimus dicere fundamentum humani sermonis esse quid inane.

Sensui communi hominum contradicit. Id concedit vel ipse Lockius, additque, sine tamen probatione, hoc judicium sensus communis ex *incuria* procedere. Atqui præfatum judicium, quo substratum reale ponitur jugiter idem perseverans sub variis succedentibus modificationibus, non esse ex incuria, Lockius ipse fateri cogitur dum, ut in præcedenti argumento audivimus, mentem naturaliter ferri dicit ad concedendum accidentalibus qualitatibus substantiale quoddam subjectum.

Rationi apertissime adversatur. Contradicit enim apertissime rationi opinio, quæ concedit existere realiter qualitates quæ nonnisi in alio esse possunt, et simul negat hoc aliud (nempe substantiam, in qua esse postulant qualitates illæ) realiter dari. Sed hujusmodi, ut vidimus, est opinio lockiana, de qua in præsenti agimus. Igitur opinio lockiana apertissime rationi adversatur.

Opus non est ut immoremur in enodandis difficultatibus, quas Lockius opponit : quia de illis in argumentis contra ipsum adductis satis egimus. Addit medicus Anglus a sensibus nobis non dari notionem substantiæ; sed id propterea dicit quia, sensismo vehementer addictus, omnem nostram cognitionem intra limites sensibilitatis concludit. Hujus sententiæ falsitas late in ideologia demonstrabitur.

ARTICULUS QUARTUS

(29)

De supposito et persona.

I. Prologus. Quia ratio substantialitatis magis vel minus perfecte substantiis convenire potest, ut supra, articulo 27, nn. III et IV. late ostendimus; ideo post ea quæ de

natura, divisione ac realitate substantiarum dicta sunt, reliquum est ut dicamus de perfectione ultima, per quam ipsa substantia, evehitur ad rationem *suppositi* vel ad dignitatem *personæ*.

II. Notio suppositi et personæ. Substantialitas, ut diximus, est proprietas qua ens existit per se et non in alio tanquam in subjecto; at non offieit rationi substantiæ, quominus alteri substantiæ uniatur ad constituendam unam substantiam compositam, ut supra explicavimus, et in nobismetipsis videre est, qui componimur substantia specifica humana ex substantia animæ et ex substantia corporis. Quo in casu, quidquid sit de principio *quo* seu elicitivo actionum quæ sunt in hac substantia composita, certissimum tamen est, quod actiones utriusque substantiæ unitæ, uni substantiæ compositæ tribuuntur communiter. Hinc deambulatio pedum, manuum actiones, sensationes sive externæ sive internæ. intellectiones et volitiones, actiones sunt quæ *mihi* tribuuntur; etenim *ego* deambulo, *ego* sentio, *ego* intelligo et volo; et τὸ *ego* non est solum corpus meum, non est sola anima mea, sed compositum ex utraque substantia. At absurdum esset profecto dicere quod sicut actiones animæ et actiones corporis ita sunt animæ vel corporis ut etiam sint actiones *mei*, ita actiones *mei* ita sunt *mei* ut etiam sint Petri, vel Pauli, vel cujusvis alterius individui. Igitur *ego* non solum sum substantia quæ existo per me independenter ab alio ut a subjecto, sed etiam ita per me existo, ut ego sim principium actionum quæ mihi tribuuntur et non alteri tribui possunt. Et quia actionis perfectio manifestat perfectionem naturæ; ego sum substantia cujus ESSE *mei* est, et non potest esse alterius. *Substantia quæ est perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis*, modo explicato, dicitur *suppositum* generice, dicitur autem *persona* si præfata substantia sit naturæ rationalis.

III. Solvitur objectio. Manus non est *sui* sed corporis, cujus est pars, et tamen videtur esse suppositum. Nam manus vel quodcumque aliud membrum, a corpore præcisum, est suppositum, ut omnes concedunt; quidni corpori unitum? Male igitur affirmatur quod suppositum debet esse *sui* et non alterius.

Resp. cum S. Thoma, III. Dist. V. Qu. III. Artic. III, ad 3, quod *separatio dat utrique partium totalitatem;* unde nil mirum si membrum præcisum induit rationem suppositi, quia jam cessat esse alterius, nempe corporis. At unitum pars est, non totum;

et ideo *corporis* est, non *sui;* unde rationem suppositi habere nequit.

IV. Subsistentia et personalitas sunt quid vere positivum. Ratio qua substantia fit *perfecte* subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis, abstracte sumpta dicitur *subsistentia;* ipsamet autem subsistentia concrete accepta dicitur suppositum vel persona. Existimavit ergo Scotus hanc subsistentiam esse quid mere negativum, ita nempe ut per personam humanam, e. g., non aliud intelligatur quam natura ipsa humana individua non assumpta a superiori persona eique non unita. Hanc Scoti sententiam, præter alios, amplectuntur *Philosophia Lugdunensis,* Cap. IV. Art. I. *Metaphysica generalis;* Cardinalis Gerdil, *Institut. Log. Metaphys. et Eth.* Ontol. Qu. I. Cap. IV. et Storchenau *Ontologia,* Sect. III. Cap. III. §. 125, *Schol.,* qui etiam graviter addit illam esse *communiorem opinionem.* Concedo hanc esse communem sententiam scotistarum et cartesianorum, sed utraque schola non constituit sententiam communiorem. Sed his missis, dico opinioni præcitatæ nullimode esse subscribendum. Et revera. Subsistentia debet saltem admitti ut complementum illius perfectionis et independentiæ, qua substantia tanquam per gradus a substantialitate incompleta in ratione substantiæ ad substantialitatem completam in ratione speciei perducitur (27, III et IV). Sicut igitur ratio ista independentiæ est revera quid positivum (26, VI), ita et quid positivum debet poni ratio completa independentiæ, qua nempe substantia constituitur plene sui juris, hoc est suppositum vel persona. — Deinde, ex sententia scotistica et cartesiana, natura humana individua in se spectata realiter et sine addito esset persona. Atqui, ut paulo infra demonstrabimus, personam esse realiter idem ac naturam individuam, est contra rationem; præter quam quod minus consentaneum videtur fidei catholicæ, qua credimus humanam naturam in Christo non fuisse personam humanam, cujus loco suffecta est persona divini Verbi, in qua ipsa natura humana subsistit. Non igitur admittendum est rationem personæ in negativo consistere.

V. Quæstio prima. Sed ex tradita natura personalitatis sponte exurgit quæstio. Certum est enim rationem suppositi non posse accidentibus convenire, quia cum accidentia non habeant independentiam a subjecto in existendo, multo minus possunt habere completam independentiam, quæ impor-

tatur per personalitatem. Rationem ergo suppositi non convenire nisi substantiis in aperto est. At substantiæ aliæ dicuntur primæ, aliæ secundæ, ut supra (27, II) dictum est (nihil enim est dicendum de substantiis incompletis, quibus ratio personalitatis non convenit, ut ex dictis, n. II, est manifestum); unde quæri potest, utrum ratio personalitatis æque concedi possit tum primis tum secundis substantiis. Cui quæstioni respondeo :

VI. **Substantiæ SECUNDÆ non possunt esse personæ.** Probatur de facili. Ad rationem personæ requiritur quod sit natura perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis, ut supra, n. II. dictum est. Atqui substantiæ secundæ sunt essentialiter communicabiles : substantiæ enim secundæ sunt naturæ universales, quarum est proprium habere aptitudinem essendi in multis (1, II et seqq.). Igitur substantiæ secundæ non possunt esse personæ; sed id competere solummodo potest substantiis primis, hoc est individuis existentibus.

VII. **Attamen ratio personalitatis non est in individuis substantiis ipsamet ratio earum singularitatis.** Hæc propositio facto ipso comprobatur. Nam si ratio singularitatis, præcise ut talis, esset idem realiter ac ratio personalitatis, cui conveniret prima, conveniret pariter et secunda. Atqui falsum conditionatum. Ergo et falsa conditio. — *Minor* declaratur. Anima mea, e. g., singularis est, sicut singulare seu individuum est corpus meum. Et tamen neque corpus meum neque anima mea sunt persona, cujus ratio *mihi* (ex uno et ex altera composito) convenit. Ergo ratio personalitatis non convenit cuicumque convenit ratio singularitatis seu individuationis. — Neque dicas in exemplo allato substantias esse incompletas : nam sive completæ sive incompletæ sint, ratio individualitatis eadem est; porro ratio individualitatis, in se sumptæ, dicit quidem aliquid ab aliis distinctum, imo et aliquid per se existens et non in subjecto, si sit substantia; at non est in ejus conceptu præciso, quod per ipsam individuum *separatim* existat, seu quod non sit alteri communicabile, quod non sit pars alterius, ut notat S. Thomas, P. III. Qu. II. Art. II. ad 3, et explicat Cajetanus, *ibid.*, § *In responsione ad tertium.* Ideo aliquid est, ipsi individuo addendum, ut non solum habeatur substantia individua, sed etiam persona, hoc est substantia *per se* et *separatim* existens.

VIII. **In rebus creatis persona distinguitur realiter a**

natura individua earum, seu, ut verbis utamur S. Thomæ in I. *Sent.*, Dist. V. Qu. I. Artic. I, *in creaturis... essentia realiter differt a supposito*. Hæc propositio est corollarium præcedentis conclusionis. Cum enim persona non sit natura neque universaliter neque singulariter accepta; sequitur quod sit quid realiter distinctum a natura ipsa, sive universaliter sive singulariter sumpta. Attamen ob rei gravitatem, præsertim ob fidem catholicam qua docemur a Verbo divino fuisse assumptam humanam naturam in individuo, non autem humanam ipsius naturæ personam; hæc addere placet in propositionis confirmationem.

In antecessum notanda sunt verba propositionis, *in rebus creatis;* etenim certissimum est in divinis personam non realiter distingui ab essentia. Deinde certum pariter est et ab omnibus concessum, personam in rebus ipsis creatis distingui saltem ratione ab earum natura individua. Tota igitur difficultas est de distinctione reali inter personam et individuam naturam, et non in divinis, sed in solis rebus creatis. Pro cujus difficultatis resolutione stat propositio enuntiata, ad cujus confirmationem hanc addo rationem.

Persona formaliter considerata excludit triplicem communicabilitatem : — 1° communicabilitatem universalis ad singularia ut supra, n. VI. dictum est; — 2° communicabilitatem partis ad totum et ad esse totius, ut pariter supra, n. III. diximus; — 3° communicabilitatem assumptionis, quatenus nempe non solum non egeat, sed neque etiam *ut talis* possit assumi ab alio supposito : secus enim actiones essent personæ assumptæ, ut principii *quod*, prout supponitur, et simul non essent, quia essent suppositi assumentis. Esset igitur persona illa, persona et simul non persona. — Atqui natura, etiam singulariter considerata, non excludit triplicem illam communicabilitatem. Non ergo persona in rebus creatis, etiam individualiter consideratis, est idem realiter ac earum natura. — *Minor* declaratur. Nam anima mea, e. g., natura est, singularis est, substantia est; et tamen ejus *esse* corpori communicatur, et corpus meum, natura substantialis singularis, assumitur ut pars mea ab anima in unitatem mei esse. — Cf. S. Thom. III. *Sententiarum*, loc. cit.

Hæc tamen citra fidem dicta esse volo. In ordine enim ad fidem catholicam placet hic transcribere verba sapientissima, quæ habet Dominicus Bannes in P. I. Qu. III. Art. III. *Prima conclusio :* « Quamvis, inquit, non sit error in fide aut temerarium dicere, quod suppositum et natura *sola ra-*

tione distinguuntur; est tamen multo conformius fidei et veritati, quod in compositis ex materia et forma distinguuntur realiter. » Et prosequitur doctissimus Auctor in demonstranda utraque parte suæ conclusionis. Teneamus igitur sententiam quæ magis veritati conformis nobis videtur, sed ab infligenda cujusque generis censura contrariam tuentibus abstinere omnino debemus.

IX. De natura distinctionis inter personam et naturam in rebus creatis. Personam in rebus creatis distingui realiter ab earum natura, etiam individualiter considerata, satis, ut puto, probatum est; sed distinctio realis cum possit esse entitativa et modalis (14, III), quæritur, cujus generis sit adserta distinctio illa inter personam et naturam. Insistentes principiis hucusque traditis, dicimus præfatam distinctionem non esse solummodo realem-modalem, sed majorem aliquam distinctionem. Notavimus supra (7, V, *fin.*) entia ad invicem distingui per majorem vel minorem explicationem ipsius entis. Quæ explicatio, ad rem nostram quod attinet, sic intelligitur. Essentiæ si addatur ratio independentiæ a subjecto in existendo, efficitur *substantia;* cui si addas rationem essendi sui et non alterius, habes majorem entitatis explicationem, nempe suppositum vel personam. Atqui sicut major explicatio entis in substantia non est dicenda solummodo modalitas, ita neque explicatio naturæ substantialis ad perfectum gradum suppositi videtur esse recensenda inter distinctiones mere modales. — Hanc ipsam sententiam, ut mihi videtur, amplectitur Cajetanus addens esse sententiam S. Thomæ. En verba doctissimi Cardinalis : « Distinguuntur *(natura et suppositum)* non tanquam duæ res separatæ, sed tanquam eadem superaddens aliqua alia... Distingui secundum rem contingit dupliciter : primo, sicut duæ res, quarum una nihil est alterius, ut albedo et dulcedo, ut Socrates et Plato, etc.; alio modo sic, ut una res includat totam aliam, et superaddat ei aliud. Et hoc modo suppositum distinguitur a natura secundum rem, quia scilicet includit naturam et addit aliqua alia. Et ne hoc voluntarie dici videatur, ex duobus effectibus hoc probat *(S. Thomas) :* primo ex modo significandi, quia hinc provenit quod significatur suppositum per modum totius, et natura per modum partis formalis perfectivæ suppositi. Secundo ex negativa prædicatione; quia *hic homo* non est sua humanitas : ex hoc enim quod Socrates est ut totum quoddam respectu naturæ et aliorum superadditorum, provenit utrumque, et quod sic significetur ut totum, et natura ut pars, constitutiva tamen ipsius;

et falsa sit affirmatio naturæ de Socrate, utpote partis de toto. » In III P., Qu. II, Artic. II.

X. Quæstio altera. Ad complementum tractatus de persona, hic examini subjicimus peculiarem Lockii opinionem circa personæ identitatem. Nemo sanus inficias ire potest se esse eamdem identicam personam quæ erat heri, nudiustertius, a primis denique instantibus suæ nativitatis. Docuit igitur Lockius, *Essai philosophique concern. l'entendement humain*, Lib. II. Cap. XXVII. §. 9, illam identitatem personæ constitui per memoriam vitæ præteritæ et conscientiam propriam vitæ præsentis : quam lockianam sententiam ita extollit modernus scriptor, ut docere ausus sit, quod si anima amitteret memoriam et conscientiam, nova anima loco primitivæ vere crearetur. Contra quam sententiam sit conclusio :

XI Intrinsece repugnat identitatem personæ constitui per memoriam et per conscientiam. Nota terminos conclusionis. Non enim inficiamur a nobis sciri nos esse jugiter identicam personam per memoriam vitæ præteritæ et per conscientiam testantem nos esse hodie quod in præterito fuimus : unde concedimus memoriam et conscientiam esse facultates *testificativas* identitatis nostræ personæ; at negamus eas esse *constitutivas* ejusdem identitatis. Et revera. Munus conscientiæ est renuntiare ea quæ ipsimet personæ eveniunt, illamque afficiunt (L. 52, I et III) : sicut munus memoriæ est iterum in mentem revocare quæ aliquando actualiter menti, seu personæ nostræ innotuerunt. Igitur tum memoria tum conscientia subaudiunt personam jam constitutam, illamque solummodo renuntiant. — Quæ conclusio indirecte confirmatur. Namque, si conscientia et memoria constituunt personæ identitatem, sequitur quod diminueretur personæ identitas vel penitus annihilaretur, quoties exercitium memoriæ vel conscientiæ minuitur vel suspenditur. Imo, ut recte animadvertit ipse Cousin in sua *Philosophie de Locke*, VIe Leçon, sententia lockiana ad illationes repugnantes ordini moralitatis perducit : nam si memoria vel conscientia constituunt personam, non potest culpa imputari vel pœna infligi delinquenti, qui delicti memoriam cum amiserit (in hypothesi saltem quod amiserit), amisit pariter identitatem personalitatis.

XII De mente Lockii. Hæc contra aperta verba Lockii faciunt;

utrum autem mente tenuerit quod ejus verba sonant, affirmare absolute non audeo. Forte ille, qui optimus medicus esse potuit, sed pessimus erat philosophus, confudit constitutivum personæ cum principio manifestativo personæ, hoc est, ordinem ontologicum cum ordine logico, prout jam distinxi in prænotamine ad conclusionis probationem : quamvis fatendum sit verba Lockii benigniorem hanc interpretationem non suscipere. Quæ autem addit nuperus Auctor, talia sunt ut crudiorem formam lockianæ sententiæ omnino defendant (1).

CAPUT SECUNDUM

DE ACCIDENTIBUS GENERATIM

Prologus. Duo sunt suprema entium genera, substantia et accidens. Unde, prælibatis iis quæ scitu necessaria sunt de substantia, ad naturam accidentium explicandam accedimus. Accidentia vero et in genere et in specie considerari debent; unde *de accidentibus in genere* erit sermo in præsenti Capite; in sequentibus vero *de accidentibus in specie.*

ARTICULUS UNICUS

(30)

De natura accidentium.

I. Accidentis prædicamentalis natura. Notavimus in Logica (6, IV) maximum discrimen inter accidens *prædica-*

(1) Ex dictis in hoc capite diffluunt *axiomata* notanda:

I. *Actiones sunt suppositorum;* supposito vel personæ tribuuntur a qua actiones eliciuntur. Ratio est quia agere proprie est ejus cujus est perfecte esse et existere, idest suppositi.

II. *Actiones participant dignitatem personæ,* quia dignitas actus generatim existimari oportet ex dignitate ejus cujus est actus, idest suppositi vel personæ; e. g. : actio regis est actio regalis.

III. *Substantia in ratione substantiæ non est magis et minus.* Quia ad essentiam ejus pertinet esse in se, idest non inhærere alteri ad existendum. Sed *esse per se, non inhærere alteri* ad existendum est aliquid indivisibile. Ergo :

Doctrina quam exposuit Auctor de *ente substantiali* plurimas applicationes in omnibus philosophiæ partibus ac theologiæ habet. Prospectum autem syntheticum vide apud HUGON, *Metaph. Ontol.*, **pars II, circa finem.**

mentale seu *physicum* seu *reale*, et accidens *prædicabile* quod etiam *logicum* appellatur. De hoc secundo non loquimur, sed exclusive de accidente prædicamentali, quod describi potest : *entitas cui naturaliter convenit non esse in se sed in alio ut in subjecto.* — Explicatur descriptio. Accidens dicitur per oppositum ad substantiam. Sicut igitur substantia in seipsa *est* et se *sustentat*, ita accidens, ex opposito, non in se *est*, sed in alio, quod est ejus subjectum, et ab alio, nempe a subjecto ipso, in quo est, sustentatur. Consequenter existit quamdiu existit subjectum, seu melius *inexistit subjecto*, et subjecto corruente, corruit et ipsum : sicut corpore humano destructo *quantitas* ejus, *color*, ceteraque hujusmodi quæ erant in illo, pereunt. Hæc, *accidentia* ab omnibus nuncupantur.

II. **Divisio accidentis in absolutum et modale.** Accidens physicum seu reale dividi solet in *absolutum*, et *modale*. — Accidens *absolutum* non tale dicitur quasi per se existat aut existere possit (ut quidam aut ignorantia aut prurigine calumniandi Scholasticos imaginati sunt) : cum enim de intrinseca natura accidentis sit non *esse per se*, fingere accidentia *in se* vel *per se* existere, idem est ac ponere ipsa non esse accidentia nisi voce, et revera esse substantias. Igitur accidens ideo absolutum dicitur, quia tum re tum conceptu est *realitas quædam*, distincta a substantia cui inhæret ab eaque dependens quoad existentiam, sed insigniorem tamen in se exhibens entitatem quam affert substantiæ ipsi. Hujusmodi sunt *quantitas*, *motus*, *calor*, et alia hujus generis, quæ ratione explicatioris entitatis quam præ se ferunt, quasi ut quædam diminutæ substantiæ concipiuntur, quamvis substantiæ non sint.

Accidens modale contra, ut vox ipsa indicat, vix entitatem significat, et potius designat *statum* essendi substantiæ cui tale accidens tribuitur. Hinc dicimus quod *sedere* vel *stare* sunt accidentia modalia hominis, et talia sunt *curvitas* lineæ in circulo, digitorum *extensio* vel *contractio*, et similia. Quocirca *modi* non immediate afficiunt substantiam ut accidentia absoluta, sed potius afficiunt immediate ipsa accidentia absoluta, et ipsis mediantibus substantiam ipsam; sicut *curvitas* virgæ immediate afficit virgæ quantitatem : et ex hoc, generatim loquendo, potest assumi criterium ad distinguendum accidens modale ab accidente absoluto.

Hinc distinctiones *reales-entitativæ* et distinctiones *reales-modales*, de quibus supra (14, III) dictum est (1).

III. Quæstio prima. His ergo explicatis, quæritur, utrum dentur vel saltem dari possint hujusmodi accidentia physica (de accidentibus enim logicis, cum sint in ratione, non disputatur), tum entitative tum modaliter distincta a substantiis, quibus præfata accidentia *inesse* intelligimus. Notandum hanc quæstionem dupliciter agitari posse, in genere et in specie : in genere, hoc est de accidentibus indeterminate sumptis; in specie, nempe de his vel illis peculiaribus accidentibus. In primo sensu hic quæstionem solvendam assumimus; in specie enim, nonnisi cum sermo erit de peculiaribus accidentibus, quæstio solvi potest. Qua de causa impræsentiarum *primo* dicendum est de *possibilitate* existentiæ, *postea* de *facto* existentiæ eorumdem accidentium. — Communi consensu Scholastici tum in *jure* tum in *facto* stabant pro realium accidentium existentia, sed universa schola cartesiana doctrinam Scholasticorum acriter impugnavit et in ipsam sparsit ridiculum. Sed sit conclusio :

IV. Accidentia physica realiter distincta a substantia nullam involvunt repugnantiam. Probatur. Hæc enim repugnantia non aliunde deprehendi posset quam ex repugnantia idearum, et in nostro casu, ex repugnantia ipsius essentiæ accidentis, ut a nobis sumitur et definitur. Atqui ex essentia ipsius accidentis, ut a nobis sumitur et definitur, nulla deprehendi potest in accidente physico repugnantia ad existendum. Ergo accidentia physica realiter distincta a substantia nullam involvunt repugnantiam, et ideo existere possunt. — Probatur *minor :* nam circa *majorem* nulla movetur neque moveri potest difficultas.

---

(1) Ad clarificandam notionem accidentis notamus has peculiares proprietates a scholasticis investigatas :

1) Ens prædicatur tantum analogice de substantia et accidente.

2) Accidens non fit sed potius per ipsum fit subiectum *tale.*

3) Accidens de subiecto in subiectum migrare non potest; cum enim « numerum accipiat a subiecto, non potest esse, quod idem numero manens, sit quandoque in hoc, quandoque in illo subiecto ». S. Th. III, q. 77, a. 1.

4) Accidens substentatur a subiecto cui tribuit terminationem quandam et formam.

5) Sunt accidentia quæ necessitate naturæ remanent conjuncta cum propria substantia sicut *intellectus, appetitus :* alia e contra veniunt et abeunt ut *intellectio.* Cf. Pesch, 1483.

Conceptus essentialis accidentis reponitur in *essentia* cui competit esse seu existere non in se red in altero; proindeque exhibet entitatem diminutam, *entis ens*, ut S. Thomas sæpe dicit, seu entitatem deficientem a perfectione substantiali. Porro *esse non in se* sed *in altero* repugnare rationi entitatis non solum non probatur, nec probant adversarii nostri, sed in promptu omnino est probare contrarium. Etenim res omnes et concipiuntur et sunt constitutæ in diversis gradibus perfectionum essentialium, quibus non nomine solummodo sed revera inter se essentialiter differunt, sicut angelus differt realiter et essentialiter ab homine, et homo a bruto. Similiter homo, e. g., constituitur in sua essentia specifica ex *anima* et *corpore*, seu ex partibus quæ et essentialiter sunt distinctæ et essentialiter inter se differunt. Homo igitur non est *corpus* solummodo, non est *anima* solummodo, quia totum non est sua pars, sicut pars non est suum totum. Ergo *anima* et *corpus* sunt substantiæ incompletæ in ratione speciei, quæ est homo. Ex quo apparet in ordine substantiarum esse gradus. Quænam ergo repugnantia adesse potest si, descendendo ad entitates magis etiam imperfectas, aliquas ponamus quæ careant omnino substantialitate et consequenter non *in se* existant sed existant in alio? Hæc mihi manifesta sunt, sicut manifesta erant S. Thomæ et subtilissimis Scholasticis.

V. Dantur realiter accidentia, quæ a substantia in qua sunt realiter distinguuntur. Hanc propositionem quoad utramque partem sensus naturæ communis, experientia quotidiana fretus, evidenter dictat. Namque plura realiter nobis advenire quæ prius non inerant, atque plura alia quæ nobis insunt nos amittere, tam certum est quam quod certissimum. Atqui non propterea augetur vel minuitur substantia nostra, præsertim si de anima est sermo, quæ augmentum vel diminutionem non patitur. Igitur illa sunt accidentia realia, realiterque a substantia quam afficiunt distincta.

VI. De natura distinctionis realis inter accidentia et substantiam. Solet a philosophis quæri, cujusnam naturæ sit distinctio realis, quam existere probavimus inter accidens et substantiam; cui quæstioni ut breviter satisfaciam, animadverto eam posse dupliciter definiri, in genere scilicet, et in specie de quibusdam peculiaribus accidentibus. In genere autem dico quod nonnulla accidentia non solum distinctione reali-modali, sed etiam reali-entitativa a substantiis distinguuntur. Et revera, calor in-

aqua est accidens respectu aquæ; color vultus mei vel figura, aliaque hujusmodi sexcenta, quæ mihi *adveniunt* vel a me *recedunt*, sunt accidentia mea; sed tamen sunt entia a *mea entitate* omnino *distincta*. Quocirca, generatim loquendo, concedi debet nonnulla accidentia distinctione reali-entitativa a substantia in qua sunt distingui. Quid vero de quibusdam accidentibus in specie sit sentiendum, videbimus in sequentibus Capitibus.

VII. Solvuntur difficultates. Rejicienda prorsus esse accidentia physica peripatetica sequentibus argumentis, quæ sunt argumenta cartesianorum, Gerdil conatur ostendere in *Institutionibus Logicæ, Metaphysicæ et Ethicæ*, editis a P. Vercellone, Romæ, 1867; Ontologia, Qu. III, Cap. I.

Objectio prima. « Illud non est admittendum, quod prorsus repugnat; atqui accidentia physica peripatetica prorsus repugnant; ergo, etc. — *Minor* probatur : nam idem sentiendum est de reliquis accidentibus, quod de rotunditate ceræ, v. g.; atqui repugnat rotunditatem in cera esse accidens physicum a cera reapse distinctum; ergo, etc. Probatur *min.* Repugnat rotunditatem ceræ esse accidens ab ipsa cera reapse distinctum, si rotunditas ceræ essentialiter consistat in partibus illius tali ratione dispositis, ut quæ sunt ad circumferentiam æqualiter distent a parte media, quæ centrum nuncupatur; atqui rotunditas revera ceræ in hoc consistit essentialiter; ergo, etc. »

Resp. Concedo *majorem*, et nego *minorem*. Ad ejus probationem nego *majorem*, et distinguo *minorem;* repugnat rotunditatem in cera esse accidens *absolutum* a cera rotunda reapse distinctum, *concedo;* accidens modale, *nego*. — Negavi *majorem* probationis, quia revera, dato etiam quod rotunditas in cera nullatenus a cera distingueretur realiter, non propterea idem judicium ferendum esset de aliis omnibus accidentibus. Rotunditas ceræ est *modus* ipsius ceræ, cum contra alia accidentia majorem entitatem præ se ferant, cujus realis distinctio a substantia potest sustineri independenter a distinctione accidentium modalium. — Quoad *minorem* dixi rotunditatem in cera distingui modaliter a cera ipsa; et revera ipse Gerdil concedit rotunditatem ceræ essentialiter consistere in partibus illius *tali ratione dispositis :* quæ dispositio tali ratione est vere accidens modale ipsius ceræ. Unde hoc primum argumentum eminentissimi Auctoris non demonstrat accidentia physica peripatetica esse prorsus rejicienda.

Objectio altera. « Si darentur hujusmodi entitates, sive accidentia, deberent semper suum effectum formalem et sibi proportionatum producere, non contrarium, v. g., deberet calor semper

calefacere, nunquam autem frigefacere et vicissim; sed si calor est hujusmodi entitas, oppositum contingit; ergo, etc. Prob. *min.* Nam si daretur aqua in qua sit accidens caloris secundum aliquem gradum, et in eam injiciat quis manum, quæ minorem habeat gradum caloris, is utique hanc aquam calidam sentiet : si vero alter aut ipse idem alteram manum injiciat vehementi calore agitatam, ille eamdem aquam frigidam percipiet; sed hoc posito evidens est quod accidens caloris produceret frigus. Ergo si calor et frigus sunt entitates peripateticæ, debent aliquando effectum sibi contrarium et minime proportionatum producere, in quo est maxima repugnantia. »

Resp. Concedo *majorem*, et nego *minorem;* et ad ejus probationem dico quod si aqua calida, frigida sentitur a manu vehementi calore agitata, sentitur autem calida a manu quæ habeat minorem gradum caloris, id non probat aquæ non inesse accidens quod calorem dicimus, neque probat a calore aquæ contrarios effectus produci; sed probat solummodo *subjectum* seu *manum* esse dispositam vel non dispositam ad recipiendam actionem caloris. Calor enim contactu sese communicat et sese communicando *æquilibrium* facit. Unde, quando manus vehementi calore agitata in aquam tepidam injicitur, calorem proprium aquæ communicat, et ex hac communicatione, non ex actione aquæ, ut dicitur in objectione, manus frigescit; contra, quando in aquam calidam manus frigida injicitur, calor aquæ sese communicat manui, et hæc sentit sensationem caloris. Non ergo *calor* contrarios effectus producit, sed *subjectum*, v. g., *manus* diversimode disposita, diversimode modificatur.

Objectio tertia, « Accidens, ut a S. Thoma definitur ac nobilioribus peripateticis, est id cujus totum esse est inesse : tale tamen, ut a subjecto, cui naturaliter inest, divina virtute separari, ac separatim existere possit; atqui repugnat ut id cujus totum esse est inesse, a subjecto separetur cui inest, et separatum existat; ergo, etc. Probatur *min.* Id cujus totum esse est inesse, eo ipso cessat esse, quo cessat inesse; sed accidens a subjecto separatum cessat inesse; ergo etiam cessat esse : ergo repugnat ipsum separatum existere. »

Resp. Nego *majorem*, vel si lubet distinguo : accidens est id cujus totum esse *existentiæ* est inesse, *concedo;* cujus totum esse *essentiæ*, subdistinguo : si agatur de accidente modali, *transeat;* si de accidente absoluto, *nego.* — De hac distinctione, nec non de ceteris partibus hujus tertiæ objectionis, fuse est dicendum ex professo in sequenti quæstione : hic solummodo transcribo responsionem S. Thomæ ad similem objectionem : « Cum

ens non sit genus, hoc ipsum, quod est *esse*, non potest esse essentia *substantiæ* vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ, *ens per se sine subjecto*, nec definitio accidentis, *ens in subjecto* : sed *quidditati*, seu *essentiæ* substantiæ competit habere *esse non subjecto; quidditati* autem sive *essentiæ* accidentis competit habere *esse in subjecto*. » — P. III. Qu. LXXVII. Artic. I. ad 2.

VIII. Quæstio. Sed altera movetur quæstio magni momenti in re philosophica non solum, sed etiam in re theologica, in ordine præsertim ad Sacramentum altaris. Ex tradita definitione accidentis, quod scilicet non existat in se, sed indigeat esse in subjecto, a quo in esse sustentatur, difficultas exurgit, utrum inhærere actu alteri ut subjecto sit essentiale accidenti reduplicative ut accidens est.

IX. Prænotamina ad quæstionis solutionem. *Prænotamen primum.* Quæstio est de accidente ut accidens est, non vero de hoc vel illo peculiari accidente. Et hoc nota. Sunt enim nonnulla accidentia, quæ talia sunt, ut *inhærentia* sit illis necessaria, ut puta, intellectio humana, prout actio humana est, requirit quod in intellectu humano sit, a quo solummodo esse potest.

Prænotamen secundum. In ratione accidentis duo sunt distinguenda, nempe *inhærentia* subjecto, et ipsius subjecti, ex accidentis inhærentia, *modificatio*. Prius autem, prioritate saltem rationis, est inhærere quam modificare, quia secundum est vi primi.

Prænotamen tertium. Ratio inhærendi convenit accidenti, non qua modificat, sed qua ex se incapax est sustendandi seipsum, ut ex explicata ejus natura liquido constat. Quocirca accidens requirit subjectum non præcise ut subjectum est, sed reduplicative ut est sustentans.

Prænotamen quartum. Accidentia habent naturalem ordinem ut sustententur a propriis naturalibus subjectis; sicut accidentia corporea naturaliter exigunt esse in subjecto corporeo, et ab eo sustentari. Attamen aliud est *exigentia* naturalis, quæ cum intima rerum natura connexa est, aliud illa ipsa exigentia ad *actum* reducta; sicut aliud est exigentia, seu inclinatio rationis ad scientiam, aliud est actualiter scire.

Prænotamen quintum. Quæstio proposita metaphysica est. Quæritur nempe, utrum accidens postulet essentialiter esse

in suo connaturali subjecto reduplicative ut subjectum est. — His prænotatis, dico :

X. De essentia accidentis, ut accidens est non est quod actu sit in connaturali subjecto, ut est subjectum. Consulto appono, *ut accidens est.* Sunt enim quædam accidentia, quæ dari nullatenus possunt extra connaturalia subjecta, ut subjecta sunt, sicut dictum est in primo prænotamine. Verum hæc repugnantia non ex eo quod accidentia sunt provenit, sed ex eo quod sunt talia accidentia; et omnino contra rationem est ex peculiari conditione unius rei de re ipsa universaliter accepta ferre judicium. — Probatur conclusio. De intrinseca natura accidentis, ut talis, est subjectum exigere, quatenus subjectum habet virtutem sustentandi accidentis existentiam. Atqui virtus illa sustentans, quæ naturaliter subjecto inest, non repugnat quod suppleatur ab alio principio, saltem a Deo, cui certe non est deneganda virtus, quam suis creaturis largitus est. Igitur de essentia accidentis, ut est accidens, non est quod actu sit in connaturali subjecto. — *Major* declaratur. Accidentis natura, per oppositum ad naturam substantiæ, postulat esse in alio; at si quæras cur in alio existere necesse sit, non aliud invenies nisi quia non potest existere in seipso per virtutem propriam, et ideo indiget virtute aliena. Non igitur accidens requirit subjectum, sed virtutem subjecti; qua data, existere potest, et non esse *actu* in subjecto.

XI. De accidentibus et speciebus. Accidens prout dicit ordinem inhærentiæ substantiæ, *accidens* ab *accidere* alteri dicitur; prout vero ordinem dicit ad sensus quos afficit, et quibus ingerit sui cognitionem, solet a quibusdam *species* vocari, ab *εἶδω* græce, quod latine idem sonat ac *conspicere.* Sed hæc, meo quidem judicio, minutiora sunt, licet magna quibusdam videantur. Id solum animadverto, cum illis qui volunt accidentia potius vocare species, distinctionem esse adhibendam : nam si nomine *speciei* intelligunt accidentia ut actu sensus afficiunt, non est disputandum cum istis de voce cum in re conveniant; at si nomine *speciei* intelligunt meram affectionem subjectivam sensuum sine ulla realitate objectiva extra nos, quæ sit causa objectiva determinata et realis illius affectionis, negandum est, ut ex hucusque dictis est manifestum, accidentia esse meras species.

CAPUT TERTIUM

DE QUALITATE

Prologus Post ea quæ dicta sunt de accidentibus in genere, dicendum est de accidentium speciebus. Accidentia vero quæ substantiam afficiunt tria potissimum sunt : quædam enim modificant substantiam in se ipsa, ut *qualitates;* quædam eam in partes extendunt, ut *quantitates;* quædam denique ad aliquid aliud eam referunt, ut sunt *relationes.* At vero prius est *in se* modificari, quam ad aliud referri, et præterea *modificari* in se majorem universalitatem habet quam *extendi* in partes, quia primum etiam spiritibus convenit, secundum autem corporum tantummodo proprium est. Tractatum igitur de accidentibus in specie in tria capita subdividimus : in quorum primo sermo erit de *qualitate;* in secundo de *quantitate;* in tertio de *relatione.* — Circa qualitatem vero *duo* consideranda occurrunt *primum* quidem : *natura speciesque qualitatis*; — *secundum* autem specialis quædam qualitas, quæ *habitus* communiter audit.

ARTICULUS PRIMUS

(31)

De natura et speciebus qualitatis.

I. Diversæ significationes quibus sumitur vocabulum QUALITAS. Qualitas primo *latissime* sumitur a Scholasticis ad significandum quidquid prædicatur de subjecto *adjective,* seu, ut ipsi aiebant, *in quale* (L. 4, III); secundo sumitur *stricte* ad designandum quodlibet genus accidentis substantiæ; tertio *strictissime* ad designandum peculiare genus accidentis, a quo substantia modificatur, qualificatur et dicitur *qualis.* Hoc tertio sensu sumimus hic qualitatem.

II. Notio qualitatis. Qualitas a S. Thoma definitur, *accidens modificativum seu dispositivum substantiæ in se ipsa,* ut *doctrina* qualitas est, qua mens modificatur, qua fit sciens et denominatur docta. — Hanc notionem qualitatis docti indoctique habent, quam si explicare conaberis, obs-

curabis potius. — A beato Alberto Magno, super *Prædicamenta*, Cap. I, optime dicitur quod qualitas sit, *accidens complens ac perficiens substantiam tam in existendo quam in operando*. Quæ definitio amplior est, sed convenit cum definitione a S. Thoma tradita.

III. Qualitatis proprietates. Loquens Aristoteles de qualitatis proprietatibus, eas ad tres recte reducit : 1m habere contrarium; 2m suscipere magis et minus; 3m esse fundamentum similitudinis vel dissimilitudinis rerum. Non tamen omnes qualitates singulas has proprietates collectim habent, ut videre est in figura, quæ non suscipit intensionem vel remissionem; attamen id in figura (et idem de quibusdam aliis dicito) contingit, non ex eo quod est qualitas, sed ex eo quod specialis quædam qualitas est. Generatim loquendo, doctrina Aristotelis est retinenda. Et revera. — *Qualitas habet contrarium*, scilicet alteram qualitatem sive positive sive negative sumptam a qua potest destrui in subjecto in quo est, et cum qua simul coëxistere nequit; ut virtus et vitium, doctrina et nescientia, sanitas et infirmitas. — *Qualitas suscipit magis et minus*, hoc est intensior vel remissior fieri in subjecto potest, ut videre est in vitio et virtute, in colore et ceteris hujusmodi. — *Qualitas est fundamentum similitudinis vel dissimilitudinis :* ea enim *similia* dicuntur quæ in aliqua qualitate conveniunt, sicut quæ in quantitate conveniunt, dicuntur *æqualia* (1).

IV. Qualitatis species. Ex Logica nota est qualitatis divisio in quatuor distinctas species a Scholasticis tradita, scilicet : 1a habitus et dispositio; 2a potentia et impotentia; 3a passio et patibilis qualitas; 4a forma et figura. — Hujus divisionis ratio breviter ac dilucide traditur a S. Thoma, I-II. Qu. XLIX. Artic. II. qui ex definitione qualitatis ut accidentis modificativi substantiæ in seipsa, animadvertit hanc modificationem quadrupliciter intelligi posse. 1° Quatenus substantia modificatur ut bene vel male se habeat in ordine ad finem, cui consequendo natura sua destinatur; ut homo virtute bene disponitur in ordine ad æternam felicitatem consequendam. Et hæc prima species qualitatis di-

(1) Prima et secunda proprietas *soli* qualitati convenit; attamen non *omni*. « Entre substances, entre accidents d'une' catégorie autre que celle de la qualité, l'opposition contraire ne se vérifie point ». MERCIER, 163. Sunt enim quædam qualitates quæ contrarium non suscipiunt ut intellectus, et plures quæ nec magis nec minus, i. e. figura.

citur *habitus* vel *dispositio*. — 2° Quatenus substantia modificatur in ordine ad agendum; et habetur secunda species qualitatis quæ dicitur *potentia* vel *impotentia*. — 3° Quatenus substantia modificatur in ordine ad passionem et alterationem; et est tertia qualitatis species, scilicet *passio* et *patibilis qualitas*. — 4° Quatenus substantia modificatur in ordine ad extensionem; et hæc est species quarta qualitatis, nempe *forma* et *figura*. — De habitibus dicam, ut promisi, in sequenti articulo; de aliis autem qualitatis speciebus satis sunt quæ in Logica (6, VII) delibavimus (1).

ARTICULUS SECUNDUS

(32)

De habitibus.

I. Notio generica habitus. « Multis modis, inquit S. Augustinus, Lib. LXXXIII. *Qq.*, Qu. LXXIII, habitum dicimus : vel habitum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ perceptio, *usu raborata atque firmata*, vel, etc. » Et S. Thomas I-II. Qu. XLIX. Artic. I. hæc de habitibus habet : « Hoc nomen *habitus* ab *habendo* est sumptum : a quo quidem nomen habitus dupliciter derivatur. Uno quidem modo, secundum quod homo vel quæcumque alia res dicitur aliquid habere. Alio modo secundum quod aliqua res aliquo modo habet se in seipsa, vel ad aliquid aliud. » (2) De habitu in secundo sensu accepto loquimur in hoc articulo, sicut loquitur S. Augustinus in verbis citatis.

II. Habitus definitio. Habitus, prædicto modo sumptus, recte ab Aristotele, V. *Metaphysicorum*, Cap. XX, definitur : *dispositio, secundum quam bene vel male disponitur*

---

(1) Addimus qualitates fieri posse intensiores, non per productionem novæ qualitatis et corruptionem prioris, ut vult Durandus, nec per additionem qualitatis ad qualitatem seu gradus ad gradus, ut aliis placuit, sed per novum perfectionis modum ratione cujus qualitas magis radicatur in subiecto, ipsum magis actuans et perficiens. Quia *intendi* significat fieri in illo perfectius et consequenter magis perficere. Si ratio qualitatis in genere est determinare et actuare subiectum, maior perfectio qualitatis erit magis actuare et perficere. HUGON, *Ont. met.* Tract. III, 9. IV, a. 1.

(2) Ampla expositio da qualibet specie harum qualitatum habetur in PESCH, *Inst. Log.* II, 2, sectio III.

subiectum aut secundum se, aut in ordine ad aliud. — Res enim plerumque carent actualitate, ad quam ordinem dicunt, ut intelligentia nostra a principio caret cognitione, et voluntas caret virtute; plerumque ex se sunt indeterminatæ ad multa, imo contraria, sicut anima nostra ex se indeterminata est, et flecti potest tum in veritatem, tum in errorem tum in vitium, tum in virtutem; plerumque denique ea ipsa, quæ res ad aliquid disponunt, variis modis rebus ipsis inesse possunt. — Porro quæ actualitate carent, aut ex se indeterminata sunt ad contraria, indigent actuari et determinari ad unum contrariorum per aliquam superadditam dispositionem, quæ dicitur habitus. Quia vero per habitum res disponi potest vel in iis quæ ipsam in se respiciunt, ut, e. g., essentia animæ per *gratiam;* vel in ordine ad aliud, e. g., voluntas per *justitiam;* et potest bene vel male disponi, ut puta ad vitium vel virtutem; hinc in definitione supradicta hæc omnia recensentur. — Habitus disponentes subjectum in seipso dicuntur *entitativi;* qui vero disponunt subjectum ad operandum dicuntur *operativi.*

III. Corollaria. — *Corollarium primum.* Igitur subjectis, quæ composita non sunt ex potentia et actu (8, II et seqq.), habitus minime tribui possunt.

Secundum. Sed præterea habitibus omnino carent subjecta *ad unum* determinata, hoc est ad aliquid unum eodem modo vi naturæ semper se habentia; ut lapides, plantæ, etc.

Tertium. Habituum subjecta sunt naturæ quæ ad plura, eaque contraria, se habent. — I-II, Qu. XLIX, Artic. IV.

IV. De ratione habitus est dicere aliquo modo ordinem ad operationem. Habitus potest considerari dupliciter, ratione sui, et ratione peculiaris subjecti in quo est; et ex utroque capite apparet veritas nostræ propositionis. — Secundum quidem rationem habitus, inquit Angelicus, convenit omni habitui aliquo modo habere ordinem ad operationem quamdam, qua natura disponitur aut convenienter suæ naturæ aut inconvenienter, ut ex dictis, n. II, est manifestum, Atqui natura ipsa existens ulterius ordinatur ad aliquem finem, qui aut est actio, aut aliquod operatum quod natura per actionem ipsam consequitur. Quocirca eo ipso quod habitus disponit naturam ex se ordinatam ad agendum, manifeste patet habitum aliquo modo importare ordinem ad actionem, ad quam ipse disponit naturam. — A fortiori etiam propositio nostra probatur, si considerentur habitus

ratione peculiaris subjecti in quo inveniuntur, quando hoc subjectum sunt naturæ essentialiter ordinatæ ad agendum, sicut sunt omnes facultates activæ animi nostri. Hac enim in hypothesi per quam manifestum est quod habitus, qui disponit hujusmodi facultates ut male vel bene se habeant secundum propriam naturam, principaliter importat *vi subjecti* ordinem ad actum. — Qu. cit. Artic. III.

V. De modo quo habitus potest esse in corpore nostro, in sensibus, et in anima nostra. Corporibus, ut corpora sunt, habitus proprie non inesse jam diximus in secundo corollario, n. III. Atqui corpus nostrum non est simpliciter corpus, sed corpus animatum anima rationali, cujus imperio in pluribus obedit. Estne igitur habitus in corpore nostro? — Jam diximus per habitum disponi subjectum existens in potentia ad actum, qui est vel *forma* quædam, vel *operatio*. Porro, respectu operationum, in corpore nostro aliæ sunt operationes quæ illi conveniunt ex natura sua et ab anima mutari non possunt, ut *gravitas;* aliæ sunt actiones, quæ eidem conveniunt quatenus subest animæ moventi, ut motus manuum, e. g., in pulsatione cymbali. Corpus, quoad illas operationes quæ sunt illi a natura et ad *unum* determinantur non potest esse subjectum habituum, ut jam dictum est. Operationes vero, quæ sunt ab anima per corpus, principaliter sunt animæ, et secundario sunt corporis. Et ideo dispositiones, seu habitus ad easdem operationes, principaliter sunt in anima; secundario autem sunt in corpore, quatenus scilicet corpus ab anima disponitur et habilitatur ad prompte deserviendum operationibus ipsius animæ. — Si vero loquamur de dispositione subjecti ad formam, sic habitualis dispositio potest esse in corpore, quod comparatur ad animam, sicut subjectum ad formam : patet enim subjectum magis vel minus posse esse dispositum ad formam. Et hoc modo sanitas et pulchritudo et similia, habituales dispositiones dicuntur. — Quæ vero de habitibus in ordine ad corpus dicta sunt, proportione servata, sunt applicanda sensibus nostris. Vires enim sensitivæ in se consideratæ naturaliter et ex instinctu agunt; et ideo sunt ad unum determinatæ, nec habituum capaces sunt. At in nobis sensus possunt aliquo modo dirigi ratione; consequenter habitus possunt sensibus inesse, quatenus bene aut male disponuntur ad obediendum rationi, eo modo quo de corpore in ordine ad animam diximus. — I-II, Qu. L. Artic. I et III. — Denique si considerentur habitus in ordine ad operationem, maxime inveniuntur in anima nostra : anima enim humana plures atque inter se diversas et oppositas operationes exercere potest. Quæ

quidem subjecti indeterminatio ad opposita est ratio ponendi habitus in eodem subjecto. Et quia anima est principium operationis per facultates activas quibus dotata est, ideo habitus hujusmodi sunt in ipsis animæ facultatibus. — In essentia vero animæ possunt esse habitus, ut gratia, secundum quod subest supernaturali agenti, nempe Deo. Sed de his ad theologos. — Qu. cit. Artic. II.

VI. De habitibus intellectualibus. Porro habitus, qui sunt in parte intellectiva, bifariam dividuntur, nempe in habitus proprie intellectuales, quorum mens est subjectum, et in habitus morales, qui proprie afficiunt voluntatem. De his ultimis dicemus in Ethica. — Habitus intellectivi alii dicuntur speculativi, alii practici, secundum quod aut ordinantur ad solam contemplationem veritatis, aut ulterius ordinantur ad opus. — Insuper alii sunt *habitus primorum principiorum*, alii *scientifici* qui versantur circa conclusiones demonstratas; est denique habitus fidei supernaturalis inclinans ad assensum firmum veritatibus a Deo revelatis.

VII. De coexistentia habitus fidei cum habitu scientiæ in eodem subjecto. Hic opportunus locus est breviter nonnulla addendi circa quæstionem, utrum in uno eodemque intellectu respectu *ejusdem* objecti intelligibilis seu ejusdem veritatis possit coëxistere habitus fidei cum habitu scientiæ, ita ut una et eadem veritas simul sciatur et credatur. — Ad quam quæstionem dico : *Habitus scientiæ et habitus fidei non possunt esse simul in eodem intellectu respectu ejusdem objecti:* Nota terminos illos propositionis, *simul, in eodem intellectu* et *respectu ejusdem objecti;* non enim negamus *separatim* vel *successive* vel *quoad diversa objecta* præfatos habitus coëxistere posse. — Probatur propositio. Habitus scientiæ ille est quo intellectus disponitur ad assentiendum veritatibus ex principiis per se notis *evidenter* deductis (L. 41; III);; fides autem supernaturalis, de qua unice loquimur, est habitus supernaturalis in intellectu residens, quo inclinamur ad assentiendum veritatibus revelatis *non in se evidenter visis*, sed in criterio *extrinseco*, quod est *auctoritas* (L. 58, II). Atqui repugnat quod aliquod objectum in se evidenter videatur, et simul in se non videatur. Repugnat ergo quod in uno eodemque subjecto sit duplex habitus inclinans ad actus oppositos in ordine ad *idem objectum*, scilicet habitus fidei inclinans ad assensum rei non visæ, et habitus scientiæ inclinans ad assensum rei visæ. « Dicen-

dum, inquit Angelicus, quod fides importat assensum intellectus ad id quod creditur. Assentit autem intellectus alicui dupliciter. Uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per seipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est *intellectus*, vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est *scientia*. — Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam. Et, si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio. Si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. — Illa autem videri dicuntur, quæ per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem. Unde manifestum est quod nec fides nec opinio potest esse de ipsis visis aut secundum sensum aut secundum intellectum. » II-II. Qu. I. Art. IV. — Ex quibus Angelicus, articulo sequenti, infert non posse simul coëxistere *scire* et *credere* respectu ejusdem, et scientiam cum fide : « Omnis scientia, inquit, habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa : et ideo oportet, quæcumque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non autem est possibile quod idem ab eodem sit visum et creditum, sicut supra dictum est. Unde etiam impossibile est quod *ab eodem idem* sit scitum et creditum. » — Cf. etiam *resp.* ad 4. — In I. etiam *Posteriorum Analytic.* et alibi sæpe, S. Thomas eadem docet de non coëxistentia scientiæ et opinionis : « Manifestum est, inquit, quod non contingit simul omnino idem *scire* et opinari ; quia simul homo haberet existimationem quod posset aliter se habere, et quod non posset aliter se habere. » (Lect. XLIV; n. 10). In hanc S. Doctoris conclusionem plura annotavimus, *ib.*, not. 22.

VIII. Solvitur difficultas. Dices : Nonnullæ veritates quæ creduntur, sciuntur etiam, ut nos ipsi affirmavimus in Logica (64, IV). Igitur habitus fidei et habitus scientiæ coexistere simul possunt in uno subjecto et respectu unius veritatis.

Respondeo veritatem *scitam* non esse proprie *creditam*, sumpta fide *formaliter* ut est de non visis, sicut probatum est; sed tamen revelatio alicujus veritatis, quam aliquis ratione etiam perspectam habet, nonnihil addit, nempe *intensiorem* certitudinem. Etenim, ut Capreolus notat, philosophus fidelis tenet Deum esse, aliasque veritates divinas ratione demonstratas per duplex medium, divinam scilicet auctoritatem et scientificam demonstra-

tionem; unde scientia ejus confortatur a divina auctoritate, a qua recipit certitudinem supernaturalem, sicut virtutes morales acquisitæ recipiunt supernaturale meritum ex subordinatione ad charitatem (*Goudin*, Philosoph., IV. P., Disp. II. Qu. IV). In hoc sensu locuti sumus in Logica, loc. cit. — Addo cum S. Thoma II-II, Qu. cit., Artic. V, quod « potest contingere, ut id quod est visum vel scitum ab uno, sit creditum ab alio. Etenim quæ de Trinitate credimus, nos visuros speramus, secundum illud I, ad Corinth. XIII, *v.* 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem :* quam quidem visionem jam angeli habent, unde quod nos credimus, illi vident. Et sic similiter potest contingere, ut id quod est visum vel scitum ab uno homine, etiam in statu viæ, sit ab alio creditum, qui hoc demonstrative non novit. Id tamen quod communiter omnibus proponitur hominibus ut credendum, est communiter non scitum ». Et in responsione ad *tertium* ait : « Ea, quæ demonstrative probari possunt, inter credenda numerantur : non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem præsupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent. » — Cf. Goudin, loc. cit.

IX. De causis habituum. Animæ naturaliter inesse habitus secundum quamdam *inchoationem*, est veritas quæ vix ac ne vix quidem probatione indiget. Nomine enim *habitus inchoative* sumpti intelligimus ordinem et inclinationem subjecti ad operationes suæ naturæ convenientes. Porro intellectus et voluntas, quæ sunt habituum humanorum subjectum, naturaliter dicunt ordinem et inclinationem ad operationes convenientes naturæ animæ humanæ, ad cognitionem scilicet veritatis et amorem boni. Naturaliter igitur secundum inchoationem insunt animæ habitus. — At in præsenti quærimus de causis habituum secundum perfectam eorum naturam supra definitam. Dicimus ergo causas habituum generatim et naturaliter loquendo esse actus ipsarum potentiarum, quas diximus esse immediata et propria habituum subjecta : unde illud vulgare adagium : *ex repetitis actibus fit habitus ;* et inde alterum : *ab assuetis non fit passio.* Loquimur, ut patet, de habitibus acquisitis, non autem de habitibus infusis. — Probatur itaque assertum per syllogismum applicatum intellectui nostro. Intellectus quoties ratiocinatur de conclusionibus, movetur a propositione *per se nota*, quæ ad intellectum ratiocinantem se habet quasi principium activum ad passivum, quatenus nempe intellectus certitudinem conclusionis non admittit, nisi vi et, ut ita dicam, impulsu

veritatis principiorum. Atqui omne quod ab alio movetur disponitur per actum agentis, et quanto magis motus efficax est et repetitus, tanto magis subjectum ipsum quod movetur, disponitur. Unde ex multiplicatis actibus ratiocinationis acquiritur in intellectu quædam dispositio vel facilitas (ut patet in hominibus) ad *prompte* et *faciliter* et ordinate ratiocinandum, secundum veritatem primorum principiorum : quæ dispositio est ipse habitus scientificus intellectus humani. Generice igitur ad alios habitus applicando quæ de habitibus intellectivis diximus, concludimus quod ex actibus generatur quædam qualitas in potentia passiva, quæ nominatur habitus. — I-II. Qu. LI. Artic. II. — Ex his sequitur quod si principium activum ita moveat potentiam, ut ad se trahat totaliter et firmiter potentiam ipsam, unus actus sufficit ad ingenerandum in ipsa potentia habitum; sicut una propositio per se nota convincit intellectum ad assentiendum conclusioni. — Qu. cit., Artic. III (1).

CAPUT QUARTUM.

DE QUANTITATE

Prologus. Deinde dicendum est de quantitate : de qua in antecessum determinanda est *natura;* postea vero quærendum, utrum a substantia corporea, quam extendit in partes, realiter distinguatur. Quia vero *spatium* et *tempus* ad modum rerum quantitativarum concipiuntur, de spatio et tempore dicemus. Denique tempori opponitur æternitas, quæ cum negatione temporis concipitur, sicut infinitum cum negatione finiti (23, VI). Quocirca quinto loco, *de æternitate* erit sermo.

(1) Habitus augeri possunt *intensive* quatenus perfectius in subiecto radicantur et perficiunt illud, ut supra dictum est; *extensive* per ordinem ad partes subiecti, vel partes diversas objecti quas attingunt. Habitus, juxta Thomistas, non augentur per actus remissos, nec per æqualiter intensos, sed tantum per *actus intensiores* habitu præxistente, quia augeri dicit excedere id quod jam habetur, et hoc fieri nequit nisi per intensiores actus. *Corrumpuntur* autem *formaliter* per habitus sibi contrarios cum quibus habent repugnantiam; et corrumpuntur *efficienter* per actus contrarios, quia sunt inductivi formæ contrariæ.

Ex habitu autem et dispositione constituitur *character moralis*, qui definitur a P. Gillet, O. P. : « *Un ensemble d'habitudes et de dispositions intelligemment groupées autoûr de l'axe volontaire en vue de réaliser l'idéal humain* ». *Rev. des Sc. Ph. et Th.*, avril 1907; p. 238.

ARTICULUS PRIMUS

(33)

De quantitatis natura.

I. Proprietates quæ DE FACTO **insunt quantitati.** Substantia quantitate affecta quinque proprietates, ratione ipsius quantitatis, exhibet : 1° *Partes* in quodam toto, quod est substantia ipsa, dispositas, ita ut una non sit alia, et una sit extra aliam; — 2° *Partes in loco*, ita ut una non sit ubi est alia; — 3° *Impenetrabilitatem*, seu exclusionem cujusque alterius corporis a loco occupato per quantitatem ipsius substantiæ; — 4° *Divisibilitatem*, per quam partes extensæ et unitæ separari possunt; — 5° *Mensurabilitatem*, qua major vel minor quantitas determinatur.

II. Quæstio. Proprietates recensitas omnes communiter admittunt; at quæstio est, quænam ex illis constituat proprie et essentialiter quantitatem. De facili convenit inter philosophos impenetrabilitatem, divisibilitatem, mensurabilitatem esse quidem *propria*, seu attributa quantitatis, nullatenus autem ejusdem quantitatis essentiale constitutivum; sed quoad priores proprietates, extensionem scilicet partium in ordine ad ipsam substantiam et extensionem partium in ordine ad locum, disputatur, quænam ex eis sit essentiale constitutivum quantitatis, cui procul dubio essentialiter convenit aliqua extensio. Respondeo :

III. Essentiale constitutivum quantitatis est extensio partium in ipsa substantia, non vero extensio partium in ordine ad locum. Nota bene, quod non negamus extensionem in ordine ad locum quantitati convenire, sed affirmamus esse ejusdem quantitatis attributum, non constitutivum. Et probatur. Constitutivum essentiale cujusque rei est illud quod primo in re concipitur, quo posito res statim intelligitur, quo negato res ipsa negatur, et est radix omnium proprietatum quæ rei ipsi conveniunt (10, II). Atqui hæ conditiones quoad quantitatem verificantur in sola extensione partium in substantia in se considerata. Ergo constitutivum essentiale quantitatis est extensio partium in ipsa substantia, non vero extensio partium in ordine ad locum. — Probatur *minor*. Etenim prius intelligitur substantia habere partes in sensu absoluto, hoc est in semetipsa, quam habere partes

in ordine ad locum, sicut prius est habere pecuniam, quam pecuniam dare; deinde, quo primum intelliguntur partes unitæ, præcisione facta a loco, concipitur extensio; sed sublata illa extensione, impossibilis est omnino quantitatis conceptus; denique ratio cur substantia occupet locum, sit divisibilis, impenetrabilis, mensurabilis, est quia substantia ipsa est in se extensa.

IV. Objectio. Extensio in partes in ordine ad se ita connectitur cum extensione in ordine ad locum, ut si ab hac secunda fiat præcisio, prima omnino pereat. Consultius igitur videtur dicendum utramque extensionem ad essentiale quantitatis constitutivum pertinere.

Resp. Nego *antecedens* et *conseq.* — Illa connexio duplici ex capite datur respectu nostri. Primo quidem ex eo quod de facto una *naturaliter* non est sine altera; secundo ex prævalentia sensuum, qui non per extensionem partium in ordine ad substantiam, sed per extensionem partium in ordine ad locum unice quantitatem percipiunt. At vero non sequitur esse identica in ordine metaphysico, quæ naturaliter unita inveniuntur in ordine facti : deinde non ad phantasmata imaginationis (L. 51, III), sed ad rationis judicium et rerum naturas scientia debet recurrere.

V. Quantitatis definitio. Quibus omnibus si recte attendatur, definire possumus quantitatem : *accidens extensivum substantiæ in partes in ordine præcipue ad ipsam substantiam.* Brevius etiam dici cum S. Thoma potest, quod quantitas sit, *positio, seu ordo partium in toto.* — *Contra Gent.*, Lib. IV, Cap. LXV (1).

---

(1) De essentiali constitutivo quantitatis plures sunt sententiæ :

Quidam dicunt hoc essentiale quantitatis elementum esse *mensurabilitatem.*

Alii illud reponunt in sola impenetrabilitate.

Plures formalem rationem quantitatis dicunt esse extensionem actualem.

Capreolus et nonnulli in divisibilitate posuerunt.

Quarta sententia eorum est qui effectum formalem quantitatis in hoc esse dicunt quod substantiæ tribuit *compositionem entitativam* quæ est ex partibus *integrantibus.* Ita e. g. Nys, *Cosmologie.* Sublata enim quantitate, aiunt sententiæ istius defensores, substantia corporea non habet compositionem nisi *substantialem*, ex materia et forma.

Quidam contendunt quantitatem continuam explicari posse per vim expansivam et attractivam. Vis expansiva facit ut partes entitativæ materiæ sint ad invicem distantes : vis attractiva con-

ARTICULUS SECUNDUS

(34)

De reali distinctione quantitatis a substantia.

I. Quæstio. Quæ in superiori articulo determinavimus, respiciunt quantitatem in se consideratam. At naturaliter non existit quantitas, sed existit res, seu substantia *quanta* Unde quæritur, utrum quantitas sit accidens substantiæ, vel sit essentia ipsa substantiæ, seu, utrum quantitas sit quid realiter distinctum a substantia, quæ quantitate afficitur. Et loquor de *reali* distinctione : non enim in dubium vertitur quod quantitas, cum dicat distinctam formalitatem a substantia, ab ipsa distinguatur distinctione rationis.

II. Sententiæ contrariæ. Nominales propositæ quæstioni negative respondent, censentes molis quantitatem non esse realiter distinctam ab essentia substantiæ. Opinionem Nominalium fuse exponit et confutat Suarez, *Dispp. Metaphysic.*, Disp. XL, Sect. II, §. II et seqq.; at ipsi postea subscripserunt Cartesius cum sua schola, Lockius et cum eo sensistæ omnes, aliique bene multi extra utriusque scholas. Contra, affirmativa responsio est S. Thomæ, P. III, Qu. LXXVII, Artic. II, et communis scriptoribus Scholasticis: quorum sententiam verissimam censemus.

III. Radix solutionis quæstionis. Ne verba plura hac in re faciamus, sistamus in radice, ex qua pendet quæstionis solutio : quæ radix, meo judicio, in eo sita est, quod determinetur, utrum substantia realis corporea vi suæ essentiæ, seu quatenus essentia, sit nec ne extensa. Patet enim quod si essentia corporea reduplicative ut essentia, est extensa *actu*, extensio seu quantitas idem est realiter ac essentia illa; at contrarium absolute est pronuntiandum si secus res se habeat. Et consulto dixi, *actu;* nam non negamus in essentia

---

tinet eas in unitate. Sic Gust. Pecsi, *Cursus brev. phil.*, I, 257.

Sexta sententia est illa quam Auctor defendit III, hujus art.

— *Realitas objectiva* extensionis, licet a Kant et idealistis forma quædam subiectiva existimetur, retinetur tamen a consensu universali totius generis humani, et est rationi et experientiæ conformis, ita ut nisi sceptici esse velimus eam oporteat admittere.

substantiæ corporeæ, ut essentia est, inesse exigentiam ad quantitatem ipsam. Designata radice solutionis, sic ad quæstionem respondeo :

IV. Essentia realis corporea, quatenus talis, non est extensa actu. Essentia realis corporea, qua talis, abstrahit a determinata quantitate, seu, ut loquitur S. Thomas, P. III, Qu. LXXVI, Artic. I, ad 3, *totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva vel magna quantitate..., sicut tota natura hominis in magno vel parvo homine.* Ergo realis essentia corporea, qua talis, non est actu extensa. — Probatur *conseq.* Eo ipso quod essentia realis corporea abstrahit a determinata quantitate, plane se demonstrat indifferentem ad eamdem determinatam quantitatem, quam de facto habet cum realiter existit. Atqui quoties subjectum est essentia sua indifferens ad aliquid, posito quod hoc aliquid realiter insit subjecto illi, aliunde quam ex subjecti essentia est petendum : nulla enim natura est indifferens ad id quod sibi essentiale est, sed illud postulat necessario. Igitur aliunde quam ab ipsa essentia reali corporea repetenda est extensio determinata qua afficitur, nempe a principio realiter ab ipsa distincto, quod communiter dicimus quantitatem, quæ, utpote essentialiter extensa, potest extensionem substantiæ determinare.

V. De natura distinctionis realis quantitatis a substantia. Ex thesi præcedenti constat quantitatem realiter a substantia distingui; sed hanc distinctionem non modalem tantummodo esse sed etiam entitativam, ratio naturalis imprimis sufficienter suadet. Etenim accidens absolutum seu physicum illud diximus (30, II) quod *subjecto* cui inest affert quamdam insigniorem entitatem. Atqui non videtur posse negari, extensionem, qua essentia corporea fit potens ad occupandum locum et ad exercendam vim resistentiæ, præ se ferre illam insigniorem entitatem, sed esse habendam inter simplices modalitates. — Ceterum propositionem nostram probat præcipue christianus ex mysterio SS. Eucharistiæ. Qua in re audiatur Suarez, *Dispp. Metaphys.*, Disp. XL. Sect II. §. VIII : « Neque sufficere potuisset, inquit, distinctio modalis, quia substantia non potest esse modus quantitatis, ut per se notum est. Deberet ergo quantitas esse modus substantiæ. At vero modus non est ita separabilis ab illa re cujus est modus, ut sine illa esse possit, ut in superioribus ostensum est. Ergo quantitas non est tantum modus, sed res distincta a substantia. »

VI. Corollarium. Opus non est ut immoremur circa quæstionem, quæ passim in philosophia movetur, utrum Deus possit quantitatem a substantia præcisam conservare. Solutio enim ex supra dictis infertur. Quantitas accidens est realiter ab essentia corporea distinctum et est accidens absolutum, ex illis nempe accidentibus quæ non requirunt substantiam ut subjectum, sed ut principium sustentans (30, VIII, seqq.). Atqui vis, quæ substantiis creatis convenit sustentandi accidentia, potest sine dubio suppleri a divina virtute.

VII. De reali distinctione quantitatis a substantia corporea in ordine ad Ecclesiæ Catholicæ doctrinam. Fidei catholicæ dogma est substantias panis et vini per verba consecrationis *transubstantiari*, ut loquitur Concilium Tridentinum, in corpus et sanguinem Jesu Christi Redemptoris nostri. Catholici ergo qui negant realem distinctionem inter quantitates panis et vini eorumque essentias, explicare debent cur species panis et vini, peracta conversione essentiarum in corpus et sanguinem Christi, remaneant in Sacramento Altaris. Quidam igitur, ut difficultatem solvant, eam negant, asseverantes species illas post consecrationem esse subjectivas et apparentes, non vero reales et objectivas, quatenus nempe Deus in sensus nostros easdem affectiones producit, quæ antea producebantur a speciebus illis realibus. Quæ explicatio contra unanimem venerandam auctoritatem Patrum Doctorumque Ecclesiæ arridet non paucis recentioribus, atque in eam inclinat Tongiorgi in *Cosmologia*, Lib. I. Cap. VI. Artic. III et IV. Hunc auctorem præ ceteris nomino, quia nonnulla ejus dicta approbanda omnino non sunt, atque ideo specialiter notare volo.

Argumenta quæ afferuntur pro reali identitate substantiæ cum quantitate non esse demonstrativa, nemo nisi qui temerarie philosophatur in dubium vertere auderet. Atque id plane concedit Tongiorgi, loco citato, n. 234. Aliunde certissimum est sensus, gustus, odoratus, visus et tactus eo ipsissimo modo affici a speciebus panis et vini post consecrationem, quo ante consecrationem afficiebantur; et hoc evidenter, constanter, ineluctabiliter. Qua igitur ratione huic sensuum testimonio contradicere, et Deum sine stricta atque evidenti necessitate veluti nempe ex machina in medium adducere, ipsique sensuum deceptionem tribuere? Id profecto intelligerem si argumenta adversariorum forent demonstrativa; sed cum talia non sint, ut ipsi fatentur, negare sine temeritate non possumus quæ sensus aperte renuntiant. — Refert Tongiorgi, n. 227, auctoritatem Suaresii concedentis realem distinctionem quantitatis a substantia, *non posse*

ratione naturali sufficienter demonstrari. At imprimis respondeo neque posse naturali ratione sufficienter demonstrari realem identitatem quantitatis cum substantia, ut Tongiorgius ipse concedit. Quo in casu ratio dictat standum esse *facto*, nempe testimonio sensuum, qui sicut vere testantur realitatem specierum ante consecrationem, ita vere testantur et postea. Deinde respondeo, imprudenter Suaresium citari a Tongiorgio, cujus officium erat integrum non vero truncatum textum afferre Theologi suæ Societatis. En hujusmodi textus, ut legitur *Dispp. Metaphysic.*, Disp. XL. Sect. II. §. VIII. Statuit imprimis hanc propositionem : *Approbatur sententia reipsa distinguens quantitatem a substantia.* Deinde immediate adjungit : « Hæc sententia est *omnino* tenenda. Quamquam enim non possit ratione naturali sufficienter demonstrari, tamen ex principiis theologiæ *convincitur esse vera*, maxime propter mysterium Eucharistiæ. Ex quo etiam ipsa naturalis ratio illustrata intelligit, ipsis etiam naturis rerum esse veritatem hanc magis consentaneam ac conformem. » De contraria vero sententia scribit, loc. cit. §. XII, *partim ratione naturali, partim adjuncto mysterio* SUFFICIENTISSIME *improbatur.* His verbis commoveri debuerat Tongiorgi et cum eo omnes qui, nescio quo falso timore ducti, Scholasticis omnibus theologis, Christifidelibus, imo et ipsius Ecclesiæ inveterato usui loquendi contradicere audent. Quis enim unquam fidelium non firmiter credat, Christum Dominum vere ac realiter post consecrationem esse sub veris atque realibus panis vinique speciebus? *Sensu apparet*, inquit S. Thomas, P. III Qu. LXXV, Art. V, *facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere;* additque in *resp.* ad 2 : *In hoc Sacramento nulla est deceptio : sunt enim ibi* secundum rei veritatem accidentia, *quæ sensibus dijudicantur.* Et Auctor Opusculi XLVIII, *Logicæ Aristotel. Summa*, inter Opuscula S. Thomæ, Tract. I, Cap. VIII, asserit *communiter* ab omnibus teneri in hostia consecrata *accidentia* realiter esse separata per Dei virtutem ab eorum connaturali subjecto. In quam sententiam communem manifeste concedit Ecclesia ipsa Catholica, ut videre præcipue est in Officio, ab ipso S. Thoma composito, quod Ipsa recitandum præscribit in Festo Corporis Christi : « Accidentia autem sine subjecto in eodem *(Sacramento)* subsistunt. » — (*Offic. Corpor. Christi*, Lect. III, 2, *Nocturni*). Cur ergo nonnulli ex recentioribus catholicis scriptoribus a sententia tam communi, quæ *ex principiis theologiæ convincitur esse vera*, recedant, plane non video, unde nec eos a maxima imprudentia excusare possum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ARTICULUS TERTIUS

(35)

De spatio.

I Spatii notio vulgaris. Nobis inesse notionem spatii, atque istud concipi ut extensionem quamdam, nemo sine nota stultitiæ negaret. Quæ in præsenti articulo dicenda occurrunt, ex hac vulgari notione deducentur.

II. Locus, situs, spatium. In communi usu loquendi tria ista vocabula in eodem sensu haud raro usurpantur; attamen distinguuntur, ut ex sequentibus definitionibus erit manifestum.

Locus definitur ab Aristotele, IV. *Physicorum*, Cap. VI : *Superficies prima, immobilis, corporis ambientis*, seu, *terminus* vel *finis continentis, immobilis, primus.* — Superficies in hac definitione ponitur ut genus, in quo *locus* convenit cum ceteris cujusque naturæ superficiebus; alia vero adjuncta vicem gerunt differentiæ. Locus siquidem concipitur ut quoddam *ambiens*, cujus extremæ lineæ claudunt, ut ita loquar, vacuum quoddam a *locato* repletum. Quæ extremæ lineæ, quamvis *materialiter* mutentur, tamen *formaliter* ut circumscriptivæ corporis locati, eædem immobiles perseverant. Unde dicimus quod homo stans immotus in flumine sit semper in eodem loco, quamvis semper circa ipsum renovetur superficies aquæ. — S. Th. *Quodlib.* VI, Artic. III. — Cf. Lect. VI, in citat. Lib. *Physicorum.*

Situs est dispositio partium corporis locati in loco : quatenus videlicet eadem res, unum eumdemque locum occupans, potest suas habere partes diversimode dispositas, sedendo, e. g., stando, cubando, et aliis modis.

Spatium denique est distantia illa, quam intercedere intelligimus inter unum et aliud corpus, vel inter partes unius ejusdemque extensionis. Hinc dicimus unam civitatem distare ab alia spatio quatuor, decem, vel viginti leucarum.

III. Spatium reale et spatium imaginarium. Satis obvia ac facilis est distinctio spatii in imaginarium et reale. Spatium reale, quod etiam *positivum* dici merito potest, est extensio realis, et consequenter corpus reale extensum (non enim naturaliter existit per se extensio, sed existit realiter

extensum corpus) intercedens inter duo alia corpora, vel inter duas partes ejusdem corporis, eo modo quo hic supra dictum est. — At spatium *imaginarium*, quod et *negativum* jure dici potest, est vacuum quoddam, seu negatio cujusque corporis vel extensionis realis, quam tamen phantasia imaginatur ut quid positivum, seu ut meram capacitatem continendi corpora, quamvis corpora revera non contineat. Ita spatium quod ab Universo corporeo occupatur, ante mundi creationem nihil erat, sicut nihil est spatium illud quod fingitur esse extra limites ipsius Universi; attamen lusu imaginationis spatium illud ut quoddam reale imaginamur, et intellectus concipit ipsum ut meram possibilitatem ontologicam corporum essendi in loco ex ipsa eorum possibilitate ad existendum.

IV. Conceptus spatii realis. Conceptum vulgarem spatii esse philosophice difficillimum explicatu, ex diversis summorum philosophorum hac in re sententiis, et etiam ex eorum confusione in exponendis propriis opinionibus liquido patet. Nec ego volo me tantis viris præponere, sed modeste meam proponere sententiam. Igitur in antecessum de spatio reali (de imaginario enim non est curandum) illud certissimum videtur haud posse reale spatium concipi sine extensione; extensio autem realis naturaliter non datur sine corpore. Sed ex hoc ipso non sequitur quod spatium idem sit ac extensio, ut sentit Balmes in sua *Philosophia fundamentali*, Lib. III. Cap. XII, neque quod spatium sit idem cum substantia corporea identificata a Cartesio cum quantitate, ut ipsemet Cartesius tenuit. Nam ex hoc ipso quod unum non sit sine altero, haud sequitur unum esse alterum. Potest igitur dici quod spatium reale supponit realem extensionem, supponit reale corpus; attamen spatium, ut sentio, addit relationem quamdam ipsi extensioni, non quidem relationem rerum corporearum existentium inter seipsas et cum possibilibus, ut sentit Leibnitzius, sed relationem seu ordinem partium extensionis inter se; qui quidem ordo fundatur in ipsa extensione, et immediate oritur ex distantia partium continuatarum (1).

(1) In his duobus articulis Auctor explicat duo *prædicamenta, ubi* et *quando*.

Spatium reale, secundum ea quæ ab Auctore dicuntur, posset definiri : — *Ordo partium extensionis realis ex non interrupta coexistentium corporum serie constitutus.* Quæ definitio coincidit cum iis quæ ab hodiernis dantur.

V. De repugnantia spatii realis infiniti. Sensit Clarkius spatium esse revera infinitum; cumque deprehenderet infinitum non esse nisi Deum, docuit spatium esse Deum aut saltem esse Dei attributum. Quam Clarkii sententiam nervose impugnavit Leibnitzius, qui tergiversationes, ad quas Clarkius recurrebat, egregie præclusit, ut videre est in Operibus magni philosophi. Revera Clarkius confundit spatium imaginarium cum spatio reali; illud nihil est, eique vi imaginationis potest quidem concedi illimitatio quæ est *indefinitum*, non autem illimitatio quæ est *infinitum* (23, IV). Spatium vero reale neque infinitum esse potest, neque fingi ut Dei attributum. Equidem spatium reale sine extensione seu quantitate reali absolute dari nequit; sed extensio, quamvis ex se dicat indefinitum, intrinsece tamen repugnat quod sit actu infinita (24, V). Neque minus repugnat spatium esse Deum vel Dei attributum. Namque Deus est infinitus utique, sed eo ipso quod infinitus est, simplicissimum ens est (24, VII). Fuse hac de re Balmes in sua *Philosophia fundamentali*, loc. cit.; nescio tamen utrum ea omnia, quæ de spatio ibidem disserit, omnibus arrideant (1).

---

(1) *a)* Kant docuit spatium nihil esse nisi *forma subiectiva* sub qua phænomena a sensibus externis percipiuntur. Cf. *Critica. Rationis puræ. Æsthetica transcendentalis*, sect. I, 50, Sed hoc est falsum, quia etiam mente humana non existente, extensio rerum existeret ut aliquid reale, a parte rei.

b) Newton et Clarck identificarunt spatium cum Dei immensitate. « Deus, ait Newton, est æternus et infinitus per essentiam, durat semper et adest ubique; et *existendo semper et ubique, durationem et spatium constituit.* » Cf. *Phil. naturalis principia mathematica.* Scholium generale.

Si hæc positio intelligatur hoc sensu quod spatium potest *significare* Dei *immensitatem*, vera est; si vero intelligatur quasi immensitas Dei sit spatium realiter, tunc est multipliciter falsa. Immensitas Dei est substantia ipsius, spiritualis, infinita realiter. Spatium autem realiter est materiale, finitum, etc.

c) Nec spatium concipi potest ut *receptaculum* reale commune omnium corporum existentium, ab eorum extensione vere distinctum; quia in hypothesi oporteret ponere et aliud receptaculum reale hujus receptaculi et sic in infinitum.

d) Insuper ipsum spatium formaliter concipimus ut aliquid *continens*, dum seriem corporum extensorum ut aliquid in ipso contentum. Ergo spatium nec potest formaliter identificari cum extensione, licet in hac extensione habeat fundamentum reale.

e) Consequenter, partim dicendum est esse *ens rationis* quatenus ut *receptaculum capax continendi* in re non existit; partim dicendum est *reale* quatenus extensio realis præbet fundamentum hujus conceptus.

De diversis opinionibus, cf. Nys. *La nature de l'espace d'après les théories modernes*, Hugon, t. II, pp. 204, ss.

ARTICULUS QUARTUS

(36)

De tempore.

I. Temporis notio vulgatissima. Tempus neque spatium est, neque extensio proprie dicta seu permanens, quæ exigit partes coëxistentes, quibus tamen tempus caret, cum ipsum sine successione instantium intelligi non possit. Attamen quia ad modum extensionis illud concipimus, de ipso, post notiones traditas circa extensionem et spatium, agimus. Nihil autem familiarius et notius tempore, sed ejus notionem philosophice illustrare perquam difficillimum. Unde illud notissimum S. Augustini in Lib. XI, *Confess.*, Cap. XIV, n. 17 : *Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.* Quia tamen officii nostri est difficillima quoque tractare pro virili, pedetentim ad notionem temporis utcumque elucidandam procedemus. Sit igitur primum :

II. In notione temporis includitur essentialiter successio. Tempus enim non intelligitur nisi ut quid essentialiter fluens, quidquid denique illud sit. Atqui fluxus concipi non potest sine aliqua successione, per quam subjectum fluens in successionis decursu alternatur, et est *hic* et *ibi*, ut loquitur S. Thomas, P. I. Qu. X, Artic. IV, ad 2. Igitur in notione vulgatissima temporis essentialiter includitur successio. — Ex quo sequitur quod, cum successio non intelligatur nisi simul concipiatur quod subjectum successioni obnoxium cesset esse *prius* et incipiat fieri *posterius*, et consequenter non intelligatur nisi in ordine ad aliquod præteritum et ad aliquod futurum; necessarium est ponere quod in notione vulgatissima temporis essentialiter includantur instans *præteritum* et instans *futurum*, quasi partes ipsius temporis.

III. Ad rationem temporis requiritur etiam essentialiter INSTANS **præsens.** In ratione temporis, ut modo dictum est, essentialiter includitur fluxus prioris instantis A, et inchoatio instantis C. Atqui nullo negotio intelligitur fluxum A prioris in C posterius esse non posse, nisi sub conditione quod detur punctum quodammodo intermedium et veluti annulus, qui sit et terminus puncti fluentis A, et inchoatio instantis C : secus inter A et C esset saltus, non autem con-

tinuata et veluti graduata successio. Hoc autem instans intermedium B non est A, quia A jam fuit; neque est C, quia C nondum est, quia futurum. Est igitur B inter A præteritum et C futurum; seu B est instans præsens, quod proinde notionem temporis essentialiter ingreditur.

IV. Corollaria. *Corollarium primum.* Igitur totum illud quod realiter existit de tempore non est instans A, quod jam præteriit, neque instans C, quod adhuc non existit, sed est B, instans nempe *(nunc)* præsens.

Corollarium alterum. Tempus secundum suam totalitatem acceptum, A B C, non existit realiter nisi in mente. — Et revera ex tribus illis elementis realiter non existit nisi B, ut dictum est. Si igitur nihilominus numerantur et alternantur, quasi res positivæ actu simul existentes, numerantur et alternantur a mente et in ipsa mente, quæ, ut Angelicus notat P. I. Qu. X, Artic. IV, ad 2, alternat fluxum ipsius *nunc* sicut alternat motum. Hinc ipsemet S. Doctor, I. Dist. XIX. Qu. II. Artic. I, refert approbando illud Aristotelis : *Si non esset anima, non esset tempus.* — Cf. etiam Lect. XXIII, in IV. *Physicorum.*

Corollarium tertium. Tempus sine motu dari non potest. Per motum enim solummodo successio, tempori necessaria, intelligi potest.

V. Aristotelica descriptio temporis. Aristoteles dixit quod tempus est, *numerus motus secundum prius et posterius*, quam definitionem S. Thomas, Lect. XVII, in IV. *Physicorum*, illustrat his verbis : « Manifestum est enim quod tunc esse *tempus* determinamus, cum accipimus in motu aliud et aliud, et accipimus aliquid medium inter ea. Cum enim intelligimus extrema diversa alicujus *medii*, et anima dicat illa esse duo *nunc*, hoc *prius*, illud *posterius;* quasi numerando *prius* et *posterius* in motu, tunc hoc dicimus esse *tempus*. *Tempus* enim determinari videtur ipso *nunc*... Quando igitur sentimus unum *nunc*, et non discernimus in motu *prius* et *posterius;* vel quando discernimus in motu prius et posterius, sed accipimus idem *nunc* ut finem *prioris* et principium *posterioris*, non videtur fieri *tempus*, quia neque est motus. Sed cum accipimus *prius* et *posterius*, et numeramus ea, tunc dicimus fieri tempus. Et hoc ideo, quia tempus nihil aliud est quam numerus motus secundum *prius* et *posterius :* tempus enim percipimus, ut dictum est, cum numeramus prius et posterius in motu. Manifestum est ergo quod tempus non est motus, sed sequitur motum secundum quod nu-

meratur. Unde est numerus *motus*. » — Hæc, quæ in hoc articulo et in præcedenti de tempore et de spatio prælibavi, ut minus obscura mihi visa sunt; atque ideo scripsi. Cetera vero quæ adduntur, aliis fortasse clara, mihi vero perobscura videntur; qua de causa ab illorum expositione abstinendum mihi est (1).

ARTICULUS QUINTUS

(37)

De æternitate.

I. A notione temporis assurgimus ad notionem æternitatis. Jam dixi supra *(Prolog.)* cur post articulum de tempore agam de æternitate, quia nempe æternitas et tempus opposita sunt, et oppositorum ratio est ut ex uno dignosci alterum possit. Unde ea quæ tempori conveniunt negando, possumus utcumque in cognitionem æternitatis devenire.

II. Æternitas absoluta est essentialiter sine principio, sine fine, sine successione. Suppono ut certum, æternitatem ex se non aliud significare quam *durationem*, si utrumque vocabulum abstracte sumatur; et consequenter æternitatem non esse quid negativum, sed esse quid essentialiter positivum, sicut ipsam durationem. Hoc igitur supposito, probatur assertum. — De ratione temporis est quod inter duos terminos veluti concludatur, qui sunt principium et finis, nempe *prius*

(1) Sicut de *spatio* dictum est, ita relate ad *tempus* reicienda est opinio Kant qui reputat ipsum *formam a priori menti inditam;* reicienda est quoque sententia Newton qui tempus identificavit cum æternitate Dei. Nec dicere possumus tempus esse aliquid distinctum ab ipsa serie successionum motuum, sed illud concipere oportet ut ens rationis cum fundamento in re, ut diffusionem quandam ex non interrupta serie successionum motus, secundum prius et posterius constitutam, ut mensuram successionum consideratam.

Sic igitur « tempus universe acceptum significat successivam alterationem in mobili permanente : hæc successiva alteratio spectari potest in re, ut actu existens, et tempus *reale* dicitur; vel in animo ipsam cognoscente et tunc est tempus reale cognitum; vel in animo utente ipsa tanquam mensura durationis, et tunc tempus est *mensura;* vel demum secundum esse possibile, modo abstracto et indeterminato, et tunc tempus *ideale* dicitur, vel *absolutum*, vel *imaginarium*. » Cf. P. Lepidi. Elem. phil. Christ. III, p. 126.

Hodierni philosophi de *spatio* et de *tempore* agunt in *cosmologia*. — Cf. Farges. *L'idée du continu dans l'espace et le temps.* Réfutation du Kantisme, du Dynamisme et du Réalisme.

et *posterius*, ex quorum enumeratione exurgit totalitas temporis in anima (36, IV) : ex quo sequitur quod tempus sit quid essentialiter mutabile et successivum. Atqui æternitas absoluta, ut omnino opposita tempori, contraria absolute postulat attributa. Ergo æternitas essentialiter a se excludit principium, finem et successionem; seu æternitas est *interminabilis duratio tota simul existens*, sumpto vocabulo *interminabile* (voce negativo sed positivo sensu) pro negatione tum principii tum finis in duratione existentiæ.

III. Corollaria. — *Corollarium primum.* Repugnat ens necessarium habere actu existentiam qua antea careret (21, I et V), vel existentia carere quam actu habet *(ibid.)*; et consequenter ens necessarium essentialiter excludit quamcumque mutationem in duratione suæ existentiæ. Aliis verbis ens necessarium, posito quod realiter existat *(ibid.)*, absoluta gaudet æternitate.

Corollarium alterum. Et quia ex opposito ens *contingens* potuit non habere realem existentiam, eaque potest carere postquam existit, repugnat omnino ens contingens habere æternitatem absolutam.

Corollarium tertium. Tempus, seu res temporancæ sunt ab æternitate seu ab Ente æterno, ut a causa. Tempus enim, sicut et quodlibet ens contingens, habet causam suæ existentiæ. Existentiam autem non potest habere nisi ab ente necessario (21, IV), quod est essentialiter æternum, ut dictum est.

IV. De duplici æternitate. Consulto attribui soli enti necessario æternitatem *absolutam*. Etenim duplici sensu a philosophis accipitur *æternitas;* alia enim dicitur *absoluta*, quæ, ut dictum est, tria essentialiter excludit, *principium* nempe, *finem* et *successionem* durationis in existendo, alia dicitur *hypothetica*, seu *relativa* seu *participata*, quæ non excludit a subjecto *principium* existendi, seu habere existentiam ab alio, sed *posito quod* talem existentiam acceperit, talis naturæ est ut *ex se* postulet in accepta existentia *sine fine perdurare*, neque possit eadem privari existentia nisi ab omnipotentia Dei absoluta, quæ facere potest quidquid contradictionem non implicat. Hujusmodi sunt substantiæ spirituales creatæ, angeli nempe et animæ humanæ. — Ex quibus infertur quod si existat ens præditum æternitate hypothetica, illud ens, utpote contingens natura sua, non habet hanc suam æternitatem nisi ab ente necessario, a quo habet realem naturam.

V. Definitio æternitatis a Boëtio tradita. Merito laudatur a Scholasticis definitio illa æternitatis absolutæ a Boëtio tradita, *De Consolat.*, Lib. V, Prosa ultima, *circa princip. : Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* — Cur dicatur æternitas *interminabilis*, jam dixi supra, n. II. — Additur *interminabilis vitæ;* quia subjectum, cui convenit æternitas, non solum *est* sed etiam *vivit*, et aliis causa est essendi et vivendi. — Dicitur *tota*, non quasi *æternitas* partes habeat, sed quia nihil ei deest. — Dicitur *tota simul et perfecta;* nam, ut S. Thomas, P. I. Qu. X. Artic. I. ad 5 et 6, explicat, in tempore est duo considerare : scilicet, ipsum tempus, quod est successivum, et *nunc* temporis, quod est imperfectum. Dicitur ergo æternitas *tota simul*, ad removendum tempus; et *perfecta*, ad excludendum *nunc* temporis. — Denique dicitur *possessio*, quia vocabulum *possessio* satis clare designat *immutabilitatem* et *indefectibilitatem* æternitatis.

VI. Clarkii in Scholasticos falsa critica. Clarkius, Cap. IV sui *Systematis intellectualis*, risu excipit doctrinam Scholasticorum ponentium successionem essentialiter ab æternitate excludi. At Clarkii criticam risu potius dignam esse ex dictis in hoc articulo liquido constat; unde merito notat Balmes, Lib. VII. *Philosophiæ fundamentalis*, Cap. IV, quod anglus Scriptor non satis doctrinam quam deridet, fuerit meditatus. S. Augustinus in sensu Scholasticorum loquitur, cum in Lib. XI *Confess.*, Cap. XIII, nn. 15 et 16, scribit, Deum alloquens : « Idipsum enim tempus tu feceras; nec præterire potuerunt tempora antequam faceres tempora. Si autem ante cœlum et terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc faciebas? Non enim erat *tunc*, ubi non erat tempus; nec tu tempore tempora præcedis; alioquin non omnia tempora præcederes. » Et in Libro LXXXIII. Qq., Qu. XIX, ait : *In æterno enim, cum proprie dicitur, neque quidquam præteritum quasi transierit, neque quidquam futurum quasi nondum sit, sed quidquid est, tantummodo est.*

VII. Erronea Antonii Genuensis sententia circa naturam æternitatis. Antonius Genuensis in sua *Metaphysica*, P. I, Cap. XI, *Propos.* 144, negat quidem æternitatem consistere posse cum successione physica, sed affirmat æternitati convenire successionem metaphysicam, quam etiam *durationis* vocat, et definit *continuatam entis existentiam.* Duo potissimum in hoc modo loquendi sunt reprehendenda; quorum primum est successio, quæ in hac locutione æternitati tribuitur. Sive enim consideretur physice sive metaphysice, successio dicit essentialiter *prius* et *posterius;* at componere prius et posterius cum immutabili omnino

permanentia rei in existentia, qualis ab æternitate exigitur, est velle in unum componere ideas contradictorias et natura sua insociabiles. — Alterum reprehensione dignum est quod Genuensis asserit in probatione suæ sententiæ, videlicet *sucessionem* esse ipsam *continuatam entis existentiam :* manifeste enim sic aiendo confundit *sucessionem* cum *duratione*. *Duratio* quidem ex se neque successionem includit neque excludit, sed simpliciter est *permanentia rei in existentia :* quæ permanentia si successioni sit obnoxia, erit permanentia entis temporanei; si successionis sit expers, erit permanentia entis æterni. Unde *duratio* est veluti genus ad æternitatem et tempus.

VIII. De ævo. Quæ fuerint antiquorum opiniones circa *ævum*, quid sit, qua ratione differat ab æternitate et a tempore, breviter et dilucide explicat S. Thomas, P. I, Qu. X, Artic. V, cujus verba hic transcribo : « Ævum, inquit, differt a tempore et ab æternitate, sicut medium existens inter illa. Sed horum differentiam aliqui sic assignant dicentes, quod æternitas principio et fine careat, ævum habet principium sed non finem; tempus autem habet principium et finem. Sed hæc differentia est per accidens, sicut supra dictum est *(artic. præced.) :* quia si etiam semper æviterna fuissent et semper futura essent, ut aliqui ponunt, vel etiam si quandoque deficerent (quod Deo possibile esset), adhuc ævum distingueretur ab æternitate et tempore. — Alii vero assignant differentiam inter hæc tria per hoc, quod æternitas non habet prius et posterius; tempus autem habet prius et posterius cum innovatione et veteratione; ævum habet prius et posterius sine innovatione et veteratione. Sed hæc positio implicat contradictoria. Quod quidem manifeste apparet, si innovatio et veteratio referantur ad ipsam mensuram. Cum enim prius et posterius durationis non possit esse simul, si ævum habet prius et posterius, oportet quod, priori parte ævi recedente, posterior de novo adveniat : et sic erit innovatio in ipso ævo, sicut in tempore. Si vero referatur ad mensurata, adhuc sequitur inconveniens. Ex hoc enim res temporalis inveteratur tempore, quod habet esse transmutabile, et ex transmutabilitate mensurati est prius et posterius in mensura, ut patet ex IV *Physicorum*. Si igitur ipsum æviternum non sit inveterabile nec innovabile, hoc erit, quia esse ejus est intransmutabile. Mensura ergo ejus non habebit prius et posterius.

» Est ergo dicendum, quod, cum æternitas sit mensura esse permanentis, secundum quod aliquid recedit a permanentia essendi, secundum hoc recedit ab æternitate. Quædam autem sic recedunt a permanentia essendi, quod esse eorum est subjectum

transmutationis, vel in transmutatione consistit; et hujusmodi mensurantur tempore, sicut omnis motus et etiam *esse* omnium corruptibilium. Quædam vero recedunt minus a permanentia essendi, quia esse eorum nec in transmutatione consistit, nec est subjectum transmutationis; tamen habent transmutationem adjunctam vel in actu vel in potentia...; patet de angelis, quod scilicet habent esse intransmutabile cum transmutabilitate secundum electionem, quantum ad eorum naturam pertinet, et cum transmutabilitate intelligentiarum, et affectionum, et locorum suo modo. Et, ideo hujusmodi mensurantur *ævo*, quod est medium inter æternitatem et tempus. Esse autem quod mensurat æternitas, nec est mutabile nec mutabilitati adjunctum. Sic ergo tempus habet prius et posterius; ævum autem non habet in se prius et posterius, sed ei conjungi possunt; æternitas autem non habet prius neque posterius neque ea compatitur » (1).

CAPUT QUINTUM.

DE RELATIONE

Prologus. Post accidentia absoluta veniunt consideranda accidentia relativa, ut in prologo ad tertium Capitulum hujus libri dictum est. Porro circa relationes tria ordinate sunt expendenda : 1m quidem, *de natura et speciebus relationis;* 2m *de realitate relationum;* 3m *de relationum proprietatibus.*

ARTICULUS PRIMUS

(38)

De natura et speciebus relationis.

I. Relationis notio. Relatio, si ejus etymon spectes, a verbo *referre* est, ac proinde abstracte sumpta significat

(1) Sic igitur Æviternitas significat durationem rei quæ ortum habuit et proinde non est omnino immutabilis; at postquam de *non esse* transit ad *esse*, non admittit mutationem substantialem, sed solum admittit mutationes accidentales. Definiri ergo potest : *Duratio rei in essentia immutabilis, mutabilis vero in affectionibus.* Cf. Reinstadler. *Cosmologia*, p. 360.

Ex dictis in art. 3°, 4° et 5° hujus capitis sequitur manifeste repugnare æternitatem motus et temporis. Hanc veritatem contra materialistas ostendit et defendit Rmus P. A. Lepidi, *Cosmologia*, p. 127.

respectum habitudinem, *ordinem* ad aliquid, ut ad terminum; concrete vero est *id* quo subjectum tale denominatur et refertur ad aliquid, ut ad terminum. Ita *paternitas* est relatio, qua mediante *pater* denominatur *pater* et refertur seu ordinem dicit ad filium; et similiter *filiatio* est relatio qua *filius* denominatur *filius* et dicit ordinem ad patrem.

II. Relatio realis et logica. Respectus, seu habitudo, seu relatio, de qua supra, quam de aliquo subjecto affirmamus, aut est *aliquid subjecto tributum ex sola mentis consideratione*, quin ipsa aliquid realitatis ponat in subjecto ipso, aut contra est *aliquid realiter afficiens subjectum, de quo affirmatur*. Si primum, habetur relatio *logica;* si alterum, relatio *realis* (Cf. S. Th. P. I, Qu. XIII, Art. VII).

III. Relatio creata et relatio increata. Relatio realis in *creatam* et in *increatam* subdividitur, prout nempe aut Deo tribuitur aut creaturis. Divina est ordo, seu respectus divinarum personarum inter se. Quatuor recensentur. *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa* et *Spiratio passiva :* de quibus ad theologos. Relatio creata est ordo seu respectus creaturarum inter se vel ad Creatorem.

IV. Relatio transcendentalis et relatio prædicamentalis. Præterea relatio alia est *prædicamentalis*, alia *transcendentalis*. Relatio transcendentalis, quæ a Scholasticis *secundum dici* etiam appellatur, est *ordo non constituens sed consequens essentiam rei, in qua includitur et de qua dicitur*, seu, ut notat Goudin in sua Logica, *De relatione*, est *ipsa rei absolutæ entitas ex sua essentia ad aliud destinata.* Vocatur transcendentalis, quia ultra omnia genera est, et in omnibus rebus includitur, ut de transcendentibus in secundo Libro Ontologiæ dictum est. Ita *anima* dicit relationem transcendentalem ad corpus, cujus est forma, materia ad formam : facultates animæ ad objecta, et ita de ceteris. — Relatio prædicamentalis, quæ etiam *secundum esse* dicitur, est *purus ordo subjecti ad aliquid*, ut in definitione generica relationis dictum est; unde relatio prædicamentalis constituitur per merum ordinem ad aliud, quo sublato, nihil de ipsa remanet. Hujusmodi est *paternitas, filiatio*, etc. (S. Th. P. I. Qu. XIII. Art. VII, ad 1.)

Differentia inter relationem *prædicamentalem* et relationem *transcendentalem* in hoc consistit, quod « *transcendentalis* est habitudo *dependentiæ* unius ab alio, ita quod relativum transcendentale refertur ad aliud non tanquam ad terminum, aut correlativum, sed tanquam ad causam, ut

materia refertur ad formam, et accidens ad substantiam. Ex quo sequitur quod transcendentia relativa neque sunt simul natura neque cognitione. *Prædicamentalis* vero relatio est habitudo inter comparia, ita quod relativum prædicamentale refertur ad aliud tanquam ad terminum et correlativum, et non tanquam ad causam; et ita sunt simul natura et cognitione, ut *pater* et *filius* ». — Hæc Bannes in I, Qu. XLV. Artic. III. § *Circa primam conclusionem... Dico secundo.* — Hinc est quod relatio *transcendentalis* nonnisi ratione distinguitur ab entitate rei transcendentaliter relativæ; at relatio *prædicamentalis* ab entitate rei, cui præfata relatio tribuitur, differt realiter. — In præsenti de relatione prædicamentali exclusive loquimur.

V. Conditiones ad relationem prædicamentalem requisitæ. Ut recte notatur Opusc. XLVIII. *De totius Logicæ Aristotelis summa*, inter Opp. D. Thomæ (Tract. V, *De prædicamento*), quinque requiruntur conditiones ad constituendam relationem realem prædicamentalem : quarum duæ requiruntur ex parte *subjecti*, duæ ex parte *termini*, et una ex parte *relatorum*.

Prima conditio (ex parte subjecti) est quod habeat *subjectum reale*. Relatio enim de qua loquimur est, vel saltem supponitur *accidens reale*, quod patet esse non posse nisi in *reali subjecto*.

Secunda conditio (ex parte termini) est quod habeat *terminum* realem. Relatio enim realis constituitur per ordinem ad aliquid, quod est ejus terminus. Si igitur terminus iste *realis* non esset, haberetur ordo realis ad *nihilum;* quod est absurdum.

Tertia conditio (ex parte subjecti) est quod habeat *fundamentum* reale. Nomine *fundamenti* relationis intelligitur causa seu ratio, ex qua emergit in subjecto relatio ipsa; sicut *generatio* est causa cur relatio paternitatis homini tribuatur. Manifestum est autem quod relatio esse nullatenus posset realis, si causa in qua fundatur et ex qua exclusive oritur, realis non esset. — Scholastici duplex fundamentum distinguebant, nempe *materiale* seu *remotum*, et *formale* seu *proximum*. — Fundamentum *formale* illud dicebant in quo prædicamentalis relatio proxime ac immediate fundatur; sicut *generatio* est fundamentum formale relationis paternitatis in patre. — Fundamentum vero materiale est subjectum in quo est formale et proximum fundamentum; sicut

generatio est in patre. — Conditio tertia est, ut patet, de fundamento formaliter accepto.

Quarta conditio (ex parte termini) est quod subjectum et terminus relationis realiter inter se distinguantur : secus enim haberetur relatio realis ejusdem ad seipsum, nempe subjecti ad ipsum subjectum; quod dici non potest.

Quinta conditio additur ab eodem Auctore, quæ se tenet ex parte *correlativorum*, et est horum convenientia in eodem ordine, ita quod ambo sint limitata ad genus et speciem, vel ambo sint extra genus, ita quod ex æquo respondeat eis ratio generis aut speciei. Hinc creatura dicit relationem realem dependentiæ a Creatore; sed relatio Creatoris ad creaturas est rationis, quia Deus non potest habere rationem generis, in quo univoce cum creaturis conveniat (*inf.*, n. VII).

VI. Subjecti, termini et fundamenti definitiones. Ex dictis satis aperte colligitur quid hujusmodi vocabulis intelligant significare philosophi. — *Subjectum* relationis est id in quo est, et de quo dicitur relatio; ut subjectum *paternitatis* est *pater*, seu homo de quo dicitur *paternitas*. — *Terminus* relationis est id, ad quod relatio in subjecto existens ordinem dicit; ut terminus paternitatis est *filius*, sicut terminus filiationis est *pater*. — *Fundamentum* denique relationis est ratio seu causa ex qua exurgit relatio ipsa, sicut numero præcedenti explicavimus. — *Subjectum* et *terminus* vocantur *extrema* relationis, inter quæ *fundamentum* mediari intelligitur.

VII. Relatio MUTUA et NON MUTUA. Relatio in *mutuam* et *non mutuam* etiam dividitur. Relatio *mutua* est reciprocatio habitudinis seu ordinis inter subjectum et terminum; ita inter patrem et filium est *mutua* relatio, quia sicut pater refertur ad filium, ita filius refertur ad patrem. Qua in reciprocatione, ut in exemplo patet, *extrema* sunt sub diverso adspectu subjectum et terminus. — Relatio *non mutua* est illa quæ non importat reciprocationem inter subjectum et terminum, sed se tenet solummodo ex parte unius extremi; ita creaturæ dicunt realem relationem ad Creatorem, scientia nostra ad objecta : sed neque Creator dicit realem relationem ad creaturas, neque objecta ad scientiam nostram, sed solummodo rationis, seu relationem logicam. Inter relationem *mutuam* et *non mutuam* est maxima differentia. Nam in relatione actuali *mutua*, sublato uno extremo, perit aliud formaliter sumptum, sicut, filio sublato, actualis ratio pater-

nitatis aufertur patri, et vice versa. At in relatione *non mutua*, subjectum quidem perit, sublato termino relationis; at non vice-versa, sublato subjecto relationis, aufertur terminus. Hinc, si a Deo abstrahas, creaturæ nihil sunt, et si objecta cognita sustuleris, scientia humana non datur; at objecta et Deus existunt eodem modo, etsi creaturæ non extarent, aut scientia humana periret.

VIII. Relatio æquiparantiæ et disquiparantiæ. Insuper relatio mutua, alia est *æquiparantiæ*, alia *disquiparantiæ*. Prima est cum relatio reciproca est ejusdem rationis, et eodem modo expressa. Ita inter duo subjecta alba est relatio *similitudinis* in colore, et eodem modo exprimitur; nam sicut A est similis B, ita B est similis A. — Si vero relatio reciproca inter extrema non sit ejusdem rationis, et ideo diverso modo exprimatur, dicitur *disquiparantiæ;* ita relatio patris ad filium dicitur *paternitas*, relatio vero filii ad patrem dicitur *filiatio*. Et ratio est, quia hæc relatio patris ad filium, et vice-versa, est fundata in generatione qua pater *dat* et filius *accipit* esse.

ARTICULUS SECUNDUS

(39)

De realitate relationum.

I. Quæstio. In superiori articulo divisimus relationes in reales et logicas. Sed quæstio movetur, utrum revera dentur reales relationes, vel potius omnes ut relationes logicæ sint habendæ. Quæstio est de relationibus prædicamentalibus : nam circa relationes transcendentales nulla quæstio esse potest, cum sint, ut diximus, ipsæmet rerum entitates, quatenus ad aliud dicunt ordinem. Dari in Deo relationes reales, non quæ accidentia sint sed quæ realiter sint idem cum divina essentia, dogma nostræ fidei est, qua credimus personas divinas realiter ad invicem distingui per oppositionem relationum. Unde quæstio respicit res creatas.

II. Sententiæ contrariæ. Non dari in rebus reales relationes plerique ex Nominalibus post Aureolum tenuerunt, et ante illos Ammonius, Averroës, Avicenna, Stoici, quibus nonnulli ex recentioribus subscripsere. At eorum sententia non est vera. Unde sit conclusio :

III. Dantur in rebus creatis relationes reales. Probatur. In rebus creatis dantur realia fundamenta relationum. Ergo in rebus creatis dantur reales relationes. — Probatur *anteced.* In rebus creatis datur, e. g., vera atque realis generatio, cujus terminus est generatum. — Probatur *consequentia.* Eo enim ipso quod fundamentum reale ponitur, ut est in generatione, cujus realis terminus est generatum; hoc generatum necessario dicit ordinem seu relationem dependentiæ ad principium generans, sicut principium generans dicit ordinem influxus seu causalitatis ad generatum. Et cum acceptio *esse* in generato et efficientia *esse* in generante non sint entia rationis, sed entia realia; et entia realia dicendæ sunt ipsæ mutuæ relationes (1).

IV. Solvitur difficultas. Dices : Argumentatio nostra supponit relationem prædicamentalem realiter distingui a suo fundamento; quam distinctionem non omnes concedunt. — Respondeo hanc distinctionem admittendam esse. — Etenim « illa realiter distinguuntur, inquit Goudin, quorum entitates reipsa non sunt idem. Atqui entitas fundamenti non est idem cum entitate relationis... *Nam* entitas relationis est purus ordo, seu respectus, cujus totum *esse* est ad aliud se habere, ut patet tum ex definitione illius, tum ex notione quam omnes habent de relatione proprie sumpta, id est prædicamentali : atqui entitas fundamenti, quocumque modo invertatur, non est purus ordo, purusque respectus, tum ex notione quam omnes habent de relatione proprie versissima ab hoc genere rei, cum sit quid absolutum in re; ergo entitas fundamenti non est reipsa idem cum entitate relationis. » (Cf. artic. præc., n. V, *Tertia cond.*)

V. Adversariorum sophisma. Adversarii autem realitatis relationum in manifestum incidunt sophisma. Ex eo enim quod, sublato intellectu creato, nulla esset creata consideratio illa-

(1) *Alia arg. a)* In mundo est ordo mirabiliter intellectui fulgens, ex subordinatione et coordinatione rerum resultans secundum rationes causæ materialis, formalis, efficientis, finalis : sunt res majores, minores, similes, æquales, etc., ut evidentissime apparet. Hic autem ordo non ab intellectus consideratione infertur in mundum, ut idealistæ delirando asserunt, sed independenter a nostra consideratione existit. Existunt ergo relationes reales in mundo.

b) Negata existentia plurium relationum realium in mundo nobis tam clara et evidens, sicut Kant fecit, irruit scepticismus universalis qui, ut probatum est, pessimus est error in scientia et vitæ ruinosus. Ergo dantur relationes reales sensu explicato.

rum relationum, arguunt has pendere ab ipsamet intellectus consideratione. Quæ conclusio omnino sophistica est. Namque intellectus noster non est mensura realitatis rerum, sed contra realitas rerum est mensura nostrarum cognitionum. Sublato igitur intellectu creato, deest quidem creata realitatum consideratio; non deest tamen ipsa realitas. Unde in hypothesi adversariorum creata consideratio relationum non esset, tamen esset ipsa realis relatio. — Cf. S. Th., P. I. Q. XIII. Art. VII.

ARTICULUS TERTIUS

(40)

De proprietatibus relationum.

I. Prima relationum proprietas est, *non habere contrarium;* quatenus nempe una relatio alteri non opponitur, sed licet diversæ, in uno tamen eodemque subjecto, quamvis sub diverso adspectu, esse possunt. Hinc paternitas et filiatio in uno eodemque homine coexistunt. Opponuntur itaque relationes, non per affirmationem et negationem vel tamquam res sese ad invicem destruentes, sed solummodo ad excludendam identitatem subjecti ut subjecti et termini ut termini.

II. Secunda relationum proprietas est, *non suscipere magis et minus.* Non enim relatio admittit augmentum vel diminutionem *intrinsece,* quamvis ratione fundamenti ad plura vel pauciora terminetur; ut cum paternitas per novas generationes ad plures filios se extendit, *formale* paternitatis *intrinsece* non augetur.

III. Tertia relationum proprietas est, *invicem converti,* non quidem eo sensu quo identica convertuntur (quia absurdum est dicere quod *subjectum* possit converti in relationibus cum suo termino), sed quatenus unum relativum non explicatur nisi altero correlativo assumpto, cujus est; ut ratio paternitatis non explicatur nisi per correlativum filiationis, quia filius est patris filius et pater est filii pater.

IV. Quarta relationum proprietas est quod, *correlativa sint simul natura,* videlicet quod simul existant. Secus si unum ex illis existeret, altero non existente, haberetur vel subjectum sine termino, vel terminus sine subjecto : quod in relationibus absolute repugnat.

V. Quinta relationum proprietas est quod, correlativa (intellige semper relatione prædicamentali) *sint simul cognitione.* Secus posset intelligi terminus relationis sine subjecto, vel subjectum sine termino; quod idem esset ac intelligere ut relativum illud, quod ut relativi negationem intelligere necesse est. Hinc merito docebant Scholastici quod *relativa mutuo se definiunt* (ex 3ª proprietate) *et notificant.*

VI. De tribus ultimis relationum proprietatibus. Rectissime notat Goudin in sua *Logica Majori*, P. I. Disp. II. Qu. IV. Artic. VI, quod istæ tres ultimæ proprietates solis relativis mutuis videntur proprie convenire, ut expresse de quarta proprietate dicit S Thomas, Qu. VII, *de Potentia*, inter *Dispp.*, Artic. VIII, ad 1. Quia tamen, addit Goudin, terminus relationis etiam non mutuæ aliquo modo dicitur relativus, extrinsece scilicet et terminative in quantum respicitur a relatione, ideo quodammodo istæ tres proprietates possunt accommodari relativis etiam non mutuis, inquantum scilicet impossibile est, quod terminus actualiter terminet, nisi actualiter sit relatio, esto sit relatio rationis; et ipsa relatio cognoscitur per suum terminum; ipseque terminus, quantum ad actualem functionem terminandi, cognoscitur per relationem.

LIBER QUARTUS

DE CAUSIS

Prologus. Nulla res est, quæ non habeat propriam et sibi consentaneam operationem, qua explicat, ut ita dicam, propriam naturam et explicando perficit. Qua de causa Scholastici in numero axiomatum merito habebant, *naturam esse et ordinari ad propriam operationem;* et aliud, *naturam inclinari ad sui perfectionem*, quæ est vel actio vel aliquid quod per operationem natura consequitur. Igitur declaratis quæ ad entium naturam et proprietates pertinent, naturalis ordo postulat ut de entibus, prout agunt, dicamus, nempe *de causis.* Et quidem scopus philosophiæ, ut ejus definitio indicat, in explicatione causarum maxime consistit. Effectus enim cognitus, cujus causa ignoratur, admirationem parit; admiratio acuit desiderium cognoscendi; desiderium denique philosophiæ initia facit (*De philosophia in genere*, VI). At de causis dupliciter tractare possumus : *in genere*, assignando nempe earum principia universalia ex quibus constituuntur, relationes quas inter se habent, species earum, aliaque hujusmodi; *in specie*, hoc est de hac vel illa causa determinate, ut puta de Deo, de anima, et aliis. Ontologia tractat de causis in genere sumptis, quia de causis in specie agit Metaphysica specialis (1). — Ordinem vero, quem sequi debemus, ipsa materia ostendit. Præprimis enim dicendum venit de *causæ* natura in se, deque ejus *speciebus* immediatis; deinde vero de hujusmodi speciebus singillatim, hoc est de causis *efficiente, formali, materiali et finali.*

(1) Ad Ontologiam pertinet considerare omnia quæ enti in communi conveniunt. Cum autem agere sit proprium omnibus rebus et sit earum ultima perfectio, hinc tractatus *De causis* pleno jure ad Ontologiam seu metaphysicam generalem pertinet.

CAPUT PRIMUM

DE CAUSA IN GENERE

Prologus. Circa causam in genere tria distincte et ordinate quæri possunt : 1° *quid sit causa;* 2° *de ordine inter effectum et causam;* 3° *de immediatis causarum speciebus.*

ARTICULUS PRIMUS

(41)

De natura causæ.

I. Notio causæ in genere. Notiones *causæ* et *effectus* in genere primigeniæ sunt, omnibusque communes atque claræ. Quod si consideres quid nomine causæ omnes intelligant, invenies de facili quod per causam intelligitur, *id vi cujus aliquid*, quod vocatur effectus, *producitur*. In hac causæ definitione, sensu communi probata, insistendum est : non enim philosophus contra sensum communem quærere debet veritatem.

II. Conditiones requisitæ ad rationem causæ Ex tradita causæ notione infertur, ut corollarium, tres conditiones requiri ut ratio causæ habeatur.

Prima conditio est ut causa realiter ab effectu distinguatur; nam, si secus esset, non *aliud* efficeret reapse, et consequenter causa revera non esset.

Secunda conditio est ut effectus realiter a causa dependeat. A causa enim et a sola causa effectus producitur, et consequenter *esse* effectus, ut effectus, necessario pendet a causa.

Tertia conditio est ut causa sit prior effectu prioritate saltem *naturæ* (L. 8, IX). Effectus enim producitur a causa. Prius igitur quam effectus sit, causa est (1).

---

(1) Unde in productione rei tria sunt : 1) causa quæ producit, 2) effectus productus, 3) influxus causæ in effectum producendum *realis* et *intimus*, non mera connexio extrinseca consecutionis unius post alterum. Iste influxus dicitur *causalio*, vi cujus causa agendo influit esse in aliud et constituitur formaliter *causa*.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

III. Objectio. Contra hanc tertiam conditionem objici potest: Causa et effectus sunt correlativa; atqui dictum est (40, IV) quod correlativa sunt simul natura. Ergo causa esse non potest prior effectu.

Resp. Distinguo *minorem :* Correlativa sunt simul natura quantum ad respectus formales, *concedo;* quantum ad entitates in quibus sunt relationes, *nego.* — Causa et effectus dupliciter sumi possunt : uno modo *relative*, quatenus mutuo se respiciunt, e. g., pater ut pater, et filius ut filius; et in hoc sensu formali diximus, loco citato in objectione, correlativa esse simul. Alio modo sumi possunt *entitative*, ut cum consideratur pater ut homo, actione sua filium generans, et hoc sensu intelligimus causam priorem esse effectu.

IV. Notio sensistica causæ. Quæ de notione causæ tradidimus, sensu communi omnium hominum nituntur. At Lockius ideas tam communes, ac tam claras omnibus interturbat in suo Libro secundo *De intellectu humano*, Cap. XXVI, §. I, explicando naturam causæ non per rationem *efficientiæ*, ut fecimus, sed per solam *successionem* unius, quod dicitur *effectus*, ad alterum quod vocatur *causa*. Etenim omnes nostras cognitiones Lockius concludit intra terminos sensationis; sensatio autem, ut constat, nonnisi objecta sensibilia, ut successive sensus afficientia, percipit. Equidem Cousin in sua *Philosophie de Locke*, Lect. VII, contradictionis arguit Lockium circa notionem causæ; at vi systematis sensistici, cui Lockius erat addictissimus, in illam quam dedit causalitatis notionem descendere debuit, quam postea Humius totis viribus propugnavit, et novissime positivistæ (L. 63, II) quasi tesseram proprii systematis extollunt. — Verum hæc lockiana sententia de notione causæ absurda est. Etenim in notione effectus habemus tale *esse* quod antequam efficeretur, seu esset *effectus*, non erat. Quod autem *non est*, sibi ipsi sine manifesta repugnantia dare *esse* non potest. Habet ergo *esse* ab alio, quod *causam* dicimus. Succedit igitur effectus causæ non vi *ordinis* solummodo, sed vi *actionis* (quæcumque sit) qua causa ipsa confert *esse* effectui, in qua actione collativa *esse* effectui, omnes naturali rationis lumine ducti reponunt rationem intrinsecam causalitatis, non autem in mera phænomenorum successione, quæ sensibus objicitur.

V. Principii et principiati notio. Ut vero notio causæ magis magisque determinetur, addimus hic notiones *principii* et *principiati*. Principium igitur magis patet quam causa, et ad illam se habet quasi genus ad speciem. Nomine

enim principii generatim sumpti intelligitur, *id a quo aliquid quocumque modo procedit*, ut dicitur P. I. Qu. XXXIII. Art. I, sive hæc processio sit *ordinis*, sive *influxus*, sive *successionis*, sive quocumque alio modo intelligatur. Optime enim dicimus, *punctum esse principium lineæ*, *causam effectus*, *auroram diei*, etc. : quamvis diversa in hujusmodi rebus sit processio unius ab alio. — *Id quod a principio quocumque modo procedit*, dicitur *principiatum*.

VI. Corollaria. — *Primum*. Omnis ergo causa vere est principium; at non vice versa omne principium est causa. Veritas hujus corollarii evidens est ex tradita notione principii, et ex dictis n. IV contra sensisticam notionem causæ.

Secundum. Omne principium distinguitur a principiato; nihil enim procedit a seipso : ergo nisi *principium* distingueretur a *principiato*, revera nihil procederet, et consequenter non daretur principium.

VII. Ad rationem principii, ut principium est, non requiritur quod præcedat principiatum prioritate naturæ, sed sufficit origo unius ab alio. Est contra Storchenau, *Ontolog.*, Sect. III. Cap. IV. §. 140, qui absolute pronuntiat, immemor theologiæ, principium *natura* esse prius principiato. Fateor cum S. Thoma, P. I, Qu. XXXIII, Art. I, ad 3, hoc nomen *principium* quantum ad id a quo imponitur a *prioritate* sumptum esse : sed dico *vi sui* hanc prioritatem non importare : non enim, ut notat ibidem S. Thomas, idem est quod significat nomen, et a quo nomen imponitur. Fatcor etiam in rebus creatis sic revera esse sicut Storchenau asserit; at absolute nego prioritatem illam competere principio ut principium est. Et probo. — Ad rationem principii requiritur quod aliquid ab ipso procedat quocumque modo, ut n. V dictum est. Atqui hæc processio salvatur sine prioritate naturæ, et *originem* solummodo requirit. Igitur ad rationem principii, ut principium est, non requiritur *prioritas* ulla, sed sufficit *origo*. — *Minor* declaratur. Nam processio, quæ etiam cum solo ordine inter duo stare potest, optime intelligitur, sicut reapse ponitur in Divinis, simultaneitate omnimoda inter *procedens* et id a quo procedit. — Cf. Cajetan. in P. I. Qu. XLII. Artic. III (1).

(1) *Principium* est illud a quo aliud quocumque modo procedit. Tripliciter autem modus producendi discriminatur : Vel quatenus unum comunicat alteri esse quod jam est actu, et tunc est principium tantum *originans;* vel quatenus comunicat esse

VIII. De prioritate originis. Consulto dixi *originem* non vero priciritatem originis, quia hæc *prioritas* non semper existit, et Patribus Ecclesiæ ac antiquioribus Scholasticis non fuit accepta; et quoties de divinis sermo est, a S. Thoma non *prioritas*, sed *ordo originis* appellatur. « Tacuit, notat Suarez loquens de Angelico, nunquamque usus est illa locutione, sed *ordinem originis* appellavit, non *prioritatem*. Et sane non sine causa : tum quia in rebus divinis modus loquendi Patrum imitandus est, apud quos illa locutio non reperitur; tum etiam quia prioritas originis non est absolute prioritas prout in divinis personis reperitur : quia prioritas simpliciter et sine addito asserta imperfectionem aliquam in re, quæ *posterior* dicitur, indicare videtur. Item quia illud dicitur absolute *prius* quod potest aut esse, aut saltem exacte intelligi sine alio : una vero persona divina neutro modo ad aliam comparatur. » Hæc Suarez, *Dispp. Metaphys.*, Disp. XII. Sect. I. §. X. Cf. etiam Cajetan., loco supra citato (1).

---

quod est potentia non vero actu, et tunc est principium *causans;* vel quatenus sine ullo influxu procedit tantum et tunc est principium *initians*. Hinc principium *originans* nullo modo est prius principiato neque natura neque duratione. Principium *causans* est prius necessario prioritate naturæ, non vero necessario prioritate temporis. Principium autem *initians* est semper prius prioritate temporis vel durationis, numquam vero prioritate naturæ.

(1) a) *Conditio sine qua non* est id omne quod quamquam esse in aliud non influat, requiritur tamen sive ex parte causæ sive ex parte effectus ad causationem. Sic præsentia causæ respectu effectus quem causa operatur, dicitur esse *conditio sine qua* causa *non* efficeret.

Occasio appellatur quilibet occursus rei præter intentionem agentis, ad cujus præsentiam agens aliquid agit, quin res occurrens per se influat, etsi quandoque allicere et invitare possit ad agendum. (Lepidi).

Ratio rei ita describi potest : « Connaître la raison suffisante d'une *réalité*, c'est connaître la totalité de ses principes intrinsèques. Connaître la raison suffisante de l'*existence* d'une chose, c'est connaître les principes qui la font exister; en dernière analyse, c'est comprendre qu'elle dépend nécessairement d'une cause dont l'essence est d'exister. Seule, la raison *suffisante* est, à proprement parler, la *raison* de l'essence ou du devenir d'une chose. » Mercier. *Ontol.*, 251. Hæc ratio pertinet ad ordinem cognitionis potius quam ad ordinem entitatis. Errant igitur Hume, qui *causam* considerat ut *meram factorum successionem;* Stuart Mill, qui eam definit *antecedens invariabile* et *incondi'ionatum;* Kant, qui eam concipit *ut subiectivam necessitatem religandi in mente duo phænomena quorum unum post aliud in tempore percipimus*. Hæc omnia sensui communi vim faciunt. Cf. Hugon. Metaphys., pars. De Causis.

ARTICULUS SECUNDUS

(42)

De relatione inter effectum et causam.

I. Argumentum articuli. In superiori articulo dedimus notionem genericam tum causæ tum effectus : ex qua notione emergit relatio dependentiæ effectus a causa, quæ relatio exprimitur per vulgatum illud causalitatis effatum : *Effectus habet causam*, vel, *Non datur effectus sine causa*. Nemo non intelligit sensum et vim hujus principii : sed quæstio movetur, utrum principium illud sit verum.

II. Opinio Beguelini. Quod pene incredibile videtur, non defuere sophistæ, qui principii causalitatis veritatem sunt inficiati. Hos inter proxime elapso sæculo fuit Beguelin, qui pravis principiis Humii et Lockii circa notionem causalitatis insistens (41, IV), directe et aperte, data dissertatione in actibus Academiæ Berolinensis, veritatem præfati axiomatis negavit. Sententiæ Beguelini subscribunt, vel saltem vi systematis subscribere coguntur materialistæ sive antiqui sive recentiores, et qui hodie vocari malunt *positivistæ* seu fucati materialistæ. Sit itaque contra Beguelinum conclusio:

III. Principium causalitatis est axioma certissimum et evidentissimum. Probatur. Principium causalitatis, *non datur effectus sine causa*, evidenter dictatur a sensu naturæ communi, est evidenter analyticum, est intime connexum cum principio contradictionis. Ergo principium causalitatis est certissimum et evidentissimum. — *Consequentia* est manifesta; probatur *antecedens*.

Dictatur a sensu naturæ communi. Etenim segetes, e.

---

b) Notionem causæ habere valorem obiectivum *experientia nostra interna* persuasum habemus, qua multas modificationes *a nobis* et *in nobis efficienter* produci novimus; *experientia externa*, qua scimus multa de novo fieri non ex nihilo, ut patet, non ex seipsis quia repugnat, sed per intrinsecam rerum causalitatem; *ex consensu* universali hominum distinguentium inter res quæ simpliciter sibi succedunt et res quæ per *causationem* aliorum *producuntur;* tandem ex eo quod negantes realitatem obiectivam causarum sunt negatores cognitionis intellectivæ. Cf. LEPIDI, II, p. 244; — REINSTADLER. Ontol., p. 336; — PESCH. Inst. Log., III, p. 366.

g., haberi posse sine susceptione seminis, aërem sine luce illuminari, filium sine parentibus generari, cogitationem dari sine cogitante, si quis serio animo assereret, profecto dementiæ ab omnibus accusaretur. Atqui in exemplis allatis nemo, ductus sensu communi, intelligit meram *successionem* factorum, sed verum realeque *principium*, quod *causa* dicitur, realiter influens fecundationem semini, illuminationem aëri, existentiam filio, esse cogitationi : quæ omnia *effectus* vocantur, et non aliunde esse quam a correspectivis causis intelliguntur. Igitur principium causalitatis evidenter dictatur a sensu naturæ communi.

Est evidenter analyticum. Et hoc affirmamus non solum contra Beguelinum sed etiam contra Kantium, qui quamvis admittat principium causalitatis, negat tamen illud esse analyticum, et illud reponit inter sua judicia *synthetica-a-priori* (L. 19, V, seq.). Probatur. Effectus ut effectus ideo talis est et dicitur, quia *efficitur*, seu *causatur* (unde *causatum* etiam appellatur). Igitur efficitur vel a seipso vel ab alio. Non autem a seipso, quia antequam efficiatur non existit (secus non efficeretur), et quod non existit non potest sibi dare esse. Efficitur ergo ab alio quod est causa, quæ ex ipsa analysi effectus emergit. Cumque effectus sit subjectum in principio causalitatis, *Effectus postulat causam;* sequitur quod principium causalitatis habeat subjectum ex cujus notionis analysi deducitur prædicatum. Quæ est dos judiciorum analyticorum (L. 19, III).

Connectitur cum principio contradictionis. Hic non solum demonstrative sed *ad hominem* etiam argumentamur, quia Beguelin principium contradictionis non inficiatur. Probatur. Principium contradictionis est, *Impossibile est aliquid simul esse et non esse sub eodem respectu* (L. 55, IX). Atqui si verum non esset principium causalitatis, *effectus*, seu *causatum*, esset *causatum*, ut supponitur, et simul non esset *causatum*, quia non esset a causa a qua exclusive habet quod sit et dicatur *causatum*. Ergo principium causalitatis intime connectitur cum principio contradictionis (1).

IV. Argumenta Beguelini. Argumenta, quibus Beguelin errorem suum insinuare contendit, sunt :

(1) Plures impugnationes Davidis Hume, contra principium causalitatis et ejus confutationem vide apud A. Franchi. Ult. Crit., vol. III, Appendice. Cf. etiam Pesch, vol. III, p. 373.

Objectio prima. Principium causalitatis nequit demonstrari quin petitio principii offendatur : conclusio siquidem quæ esset principium causalitatis, ex alio principio altiori, quod ad conclusionem se habet ut causa efficiens, demonstraretur. Quod est supponere ut verum principium ipsum causalitatis, quod demonstratione probandum suscipitur; sicque haberetur petitio principii.

Respondeo 1° : Hoc argumentum Beguelini contra Beguelinum militat. Ipse siquidem ratiocinatus est contra principium causalitatis; non igitur ut validas ipse tenuit illationes nisi vi principiorum, quæ si ut causæ sint habenda, Beguelin ut certum subaudit principium causalitatis. — *Respondeo* 2° : Principia quamvis respectu conclusionum se habeant per modum causæ efficientis, proprie tamen causæ efficientes non sunt : *Principia*, inquit S. Thomas I. *Contra Gentiles*, Cap. LVII, n. 4, *sunt* QUODAMMODO *causa efficiens conclusionis.* « Adverte, notat Franciscus Ferrariensis in hunc locum, quod S. Thomas dicit principia esse *quodammodo* causam efficientem conclusionis, non autem *simpliciter* esse causam : quia non sunt causa quæ efficiat cognitionem conclusionis tamquam *agens quod*, sed tamquam ratio agendi : intellectus enim ex cognitione principiorum causat cognitionem conclusionis in seipso. » Unde stricte loquendo negamus Beguelino in omni ratiocinatione præsupponi a nobis ut verum causalitatis principium. — *Respondeo* 3° : Principium causalitatis demonstratione non indigere, quia est per se notum. — *Respondeo* 4° : Illud tamen demonstrari per principium contradictionis, quod quidem est ratio sufficiens veritatis principii causalitatis, sed cum principio causalitatis minime est identicum, ut patet : imo ab ipso differt in ratione formali entitatis et consequenter veritatis, quæ in principio contradictionis magis late patet. Petitio autem principii est cum idem assumitur ad probandum omnino idem.

Objectio secunda. In principio causalitatis fit transitus ab ordine ideali ad reale. Atqui hujusmodi transitus est sophisticus. Ergo principium causalitatis indubium non est.

Resp. Nego *majorem.* In principio causalitatis asseritur tantummodo nexus dependentiæ inter effectum et causam : qui quidem nexus utpote necessarius et essentialis inveniri debet ubicumque invenitur effectus. Id formaliter dicitur in principio causalitatis. Ejus autem applicatio ad ordinem realem pendet ab *alio elemento*, a principio causalitatis independente, quod est comperta a posteriori *existentia realis* effectus : qua habita, mens applicat effectui determinato quod omnibus et singulis effectibus

applicandum esse dicitur in causalitatis axiomate, juxta principium syllogismi : *Dictum de omni*, etc. (L. 32, II). *Omnis effectus habet causam; sed A est effectus; ergo A causam habet.*

V. De principio rationis sufficientis. Vulgata est Leibnitzii opinio circa principium quod ipse vocat, *principium rationis sufficientis.* Hujus naturam et vim declarat passim in suis operibus Auctor ipse. « Ratiocinia nostra, inquit, duobus magnis principiis superstructa sunt. Unum est principium contradictionis, vi cujus falsum judicamus quod contradictionem involvit : et verum quod falso opponitur vel contradicit. — Alterum est principium rationis sufficientis, vi cujus consideramus nullum *factum* reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enuntiationem, nisi adsit ratio sufficiens cur ita potius sit quam aliter, quamvis rationes istæ sæpissime nobis incognitæ esse queant. » (*Principia philosophiæ*, seu *Theses in gratiam Principis Eugenii*, nn. 31 et 32). In libro autem *Tentaminum Theodiceæ* (*De bonitate Dei, libertate hominis et origine mali*, n. 44), principium rationis sufficientis vocat principium rationis determinantis, quia « nihil unquam evenit., cujus non existat aliqua causa, vel saltem aliquod determinans, hoc est, *aliquid, quod inservire possit ad reddendam* A PRIORI *rationem cur hæc res potius existat quam non existat et cur hoc modo potius quam alio quolibet* ».

VI. Critica opinionis leibnitzianæ. Hæc leibnitziana opinio intra debitos limites contenta admitti debet, et, magis quam opinio, est dicenda propositio per se nota. Nam ut aliquid existat, et existat hoc vel alio modo, requiritur aliquid per quod determinetur tum quoad existendum tum quoad existendi modum, sive illud sit in natura rei existentis, sive in causa a qua existit res ipsa. Et hoc est ipsa *ratio sufficiens*, quæ, ut est manifestum, latissime patet et complectitur tum *necessaria* tum *contingentia.* Attamen quatenus necessariis applicatur, proprie diceretur *ratio necessaria;* quatenus vero applicatur *contingentibus*, appellatur a Leibnitzio, strictiori significatione, *ratio sufficiens.*

Dixi tamen principium rationis sufficientis intra debitos limites esse continendum. Etenim si principium rationis sufficientis *objective* sumatur in ordine ad voluntatem liberam, non habet veritatem; et ex hac parte doctrina Leibnitzii immoderata est et falsa. Ratio enim qua se determinat voluntas libera ad *exercitium* sui actus non est objectum, sed propria electio elicita a voluntate ipsa. Unde quoties voluntas eligit, est utique aliqua ratio sufficiens tum objectiva tum subjectiva; sed hæc

ratio sufficiens objective spectata non est principium necessario *determinativum* electionis voluntatis. Qua de causa negamus Leibnitzio, quod Deus, supposito quod voluerit mundum creare, debuerit eligere mundum inter possibiles optimum, quasi ad id determinatus a ratione sufficienti optimismi ipsius mundi. Sed de his alibi redibit sermo.

ARTICULUS TERTIUS

(43)

De causæ divisionibus.

I. **Species causarum quatuor.** Antiquioribus Scholasticis firma erat divisio causæ in *materialem*, *formalem*, *efficientem* et *finalem*. (Cf. S. Thomas in II. *Physic.*, lect. V et X.) — *Materialis* illa est, *ex qua aliquid fit :* ita marmor, vel lignum, vel æs, ex quibus artifex statuam conficit, dicuntur causa materialis statuæ. — *Formalis* illa est, *qua aliquid constituitur in aliqua determinata specie*, vel *denominatione*, sicut *anima* per quam corpus *vivens* constituitur, vel *doctrina* per quam homo dicitur doctus, sunt causæ formales corporis, vel hominis. — *Efficiens* est illa, *quæ actione sua physica rem* seu *effectum* seu *causatum producit*, ut artifex est causa efficiens statuæ, voluntas suarum volitionum, etc. — *Finalis* est illa, *quæ allicit causam efficientem ad agendum*, sicut bonitas divina est causa finalis hominem alliciens ad omnia in gloriam Dei agenda. — Hæc generatim de causæ speciebus dicta sint : de illis enim singillatim dicendum est in sequentibus capitibus.

II. **Præfata divisio est adæquata.** Pone effectum de novo fieri, seu ad *esse* produci, et illum oportet habere esse ab alio, ut supra probavimus contra Beguelinum. Hoc aliud vocatur causa *efficiens* seu *effectrix* causati quod dicitur effectus. — Sed causa effectrix aut *ex nihilo* causatum ad esse producit, aut ex aliquo præsupposito in quod agit et quod transformat ad producendum causatum, ut videre est in exemplo artificis supra inducto. Hoc præsuppositum est ipsa causa materialis, ut patet ex tradita definitione. — Præterea, res omnes ad invicem distingui ac poni in distinctis speciebus manifestum est ; habent igitur res quædam *aliquid* quod aliæ non habent et per quod ab aliis distinguuntur, in

se constituuntur, et tales denominantur. Hoc *aliquid* constitutivum, distinctivum et denominativum est ipsa causa formalis, ut ex dictis superiori numero liquido constat. — Denique, ut conscientia testatur, nos quotidie movemur et agimus ad aliquid, quod ut bonum apprehendimus, consequendum. Bonum istud apprehensum et alliciens nostram voluntatem ad agendum ut illud consequamur, est causa *finalis*. — Præter hujusmodi causas nulla est aut fingi potest, quæ ad illas reduci non possit : quod clarius patebit ex responsione ad sequentem difficultatem.

III. Objectio solvitur. Non videtur præfata divisio adæquata, quia aliæ dantur causæ irreductibiles ad unam ex quatuor traditis. Namque *intelligibile* est causa scientiæ, *idea artificialis* est causa artificii, *essentia* rei est causa proprietatum quæ in ipsa re sunt, *malleus* est causa horologii, *fundamentum* est causa relationis (38, V). Atqui hujusmodi causæ ad nullam ex quatuor assignatis reduci possunt. Igitur præfata divisio non est adæquata.

Respondeo cum Goudin, *Physic.*, P. I. Disp. II. Qu. II. Artic. I. negando *minorem*. Hæc enim omnia recensita, aliaque id genus quæ connumerari possunt, reducuntur ad quatuor prædictas causarum species. — Objectum quidem *intelligibile*, vel ad causam *formalem* extrinsecam, determinantem scientiam ad aliquod genus rei, reducitur, vel ad *finalem*, quia scientia est propter objectum. — *Idea* etiam per se pertinet ad causam *formalem* extrinsecam; est enim ipsa rei forma in mente artificis præconcepta, ad cujus similitudinem artifex artificium conficit. — *Essentia* habet quasi rationem causæ efficientis respectu suarum proprietatum, ut dicit S. Thomas, quia proprietates dimanant ab essentia tanquam a propria radice (L. 21, IV); et rationem causæ *finalis*, quia ad perfectionem essentiæ proprietates sunt ordinatæ; et rationem causæ *materialis*, quatenus est susceptiva quarumdam proprietatum (S. Th. P. I. Qu. LXXVII, Artic. VI, ad 2). — *Fundamentum* reducitur ad genus causæ efficientis, ut ex ejus notione supra tradita (38, VI) facile constat. — *Malleus* aliaque instrumenta ad causam efficientem instrumentis ipsis utentem pertinent natura sua.

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSA EFFICIENTE

Prologus. De speciebus causarum acturi, incipimus a causa efficiente, quæ quoad exercitium, seu, ut dicitur, in ordine executionis, prima est. Et circa illam tria sunt dilucidanda : 1° *Quænam sit ejus natura;* 2° *Quibus rebus ratio causalitatis efficientis conveniat;* 3° *Quo pacto causa efficiens agat.*

ARTICULUS PRIMUS

(44)

De natura causæ efficientis.

I. Notio vulgaris causæ efficientis. Transmutationes tum in rerum natura, tum in nobismetipsis fieri, ac per illas aut novas entitates produci aut præexistentes modificari, in dies experimur. Utrum hæc omnia realiter aut apparenter fiant, parum refert in præsenti definire. Verum saltem est ea ita nobis apparere, ut eorum *esse* apprehendatur post eorum *non-esse;* quod sufficit ut animus sponte sua certo definiat, ea non potuisse sibi a seipsis dare illud *esse,* sed ab alio accepisse. Hoc *aliud* dans *esse* alteri dicitur causa efficiens, cujus notio communis est, et inter notiones primitivas adnumeranda.

II. Causæ efficientis definitio philosophica. Quod si notionem istam vulgarem causæ efficientis philosophice explicare velimus, causa efficiens recte dici potest : *Principium extrinsecum a quo primum fluit motus,* seu *rei productio, mediante actione.*

Dicitur, *principium,* quia principium est genus sub quo coordinantur omnes causarum species (41, V). — Dicitur *extrinsecum,* quia causa efficiens non dat effectui suum proprium esse formale quo ipsa constituitur, sed aliud esse ab ipsamet distinctum; et consequenter non est principium intrinsecum effectui, quasi ejus elementum intrinsecum, sed est ipsi effectui extrinseca, sicut artifex est extrinsecus statuæ. — Additur, *a quo primum fluit motus* seu *actio* productiva effectus, ut causa efficiens distinguatur a finali,

sicut per hoc quod est principium *extrinsecum* distinguitur a causa *formali* et a *materiali:* nam causa finalis illa est, non *a qua* elicitur proprie actio productiva effectus, sed *propter quam* agens agit : nempe causa finalis movet quidem, sed motu metaphorico, alliciendo agens ad amorem sui; et quamvis ipsa sit prima in ordine apprehensionis, est tamen ultimus terminus quem actionibus suis causa efficiens consequitur. — Ultima autem verba clara sunt : causa enim efficiens cum efficit, efficit profecto aliquid mediante actione, qua constituitur *actu* causans seu efficiens. — Cf. SUAREZ, *Dispp. Metaphysic.*, Disp. XVII. Sect. I; GOUDIN, *Physic.*, P. I. Disp. II. Qu. IV. Artic. I. ad 1. Brevius Aristoteles causam efficientem definivit : *A quo est principium motus et quietis* (II. *Physic.*, Cap. III, S. Th. lect. 5, n. 5).

III. **Ratio assignandi divisiones causæ efficientis.** Quoniam, notat Suarez, loc. cit., Sect. II. §. I, nomen *causæ efficientis* latissime patet, et impropriissime ac per imperfectam quamdam analogiam multis rebus tribuitur, aliis vero licet tribuatur proprie, tamen secundum varios causandi modos; ideo priusquam ulterius procedamus, necesse est varias hujus causæ divisiones præmittere, ad quas intelligendas opus est præ oculis habere definitionem datam : nam juxta diversum modum participandi illam, erit differentia in causis efficientibus.

IV. **Causa efficiens** PER SE **et causa efficiens** PER ACCIDENS. Prima illa dicitur, *quæ ex seipsa et directe influit effectum*, qui propterea ipsi connectitur et ab ea formaliter pendet. — Causa efficiens *per accidens* illa est, quæ non directe influit effectum, neque effectus ab ipsa formaliter pendet, attamen ipsi tribuitur indirecte, ratione scilicet efficientiæ formalis seu per se. — De his vide quæ supra dicta sunt (18, VIII) (1).

(1) Causa efficiens per accidens se habet quadrifariam :

1° Cum nihil operatur. Sicut musica ædificatoris ad ædificium. Unde illud musicus ædificat non inquantum musicus est, sed inquantum aliquid aliud.

2° Quæ operatur removendo impedimentum. Sicut aperitio fenestræ ad illuminationem cubiculi. Qui modus operandi constituit conditionem *sine quâ non.*

3° Quæ non attingit effectum, sed aliquid effectui conjunctum. Sicut crudelitas tyranni operata est patientiam martyrum. Qui modus causandi est *occasio.*

4° Quando vere producit effectum, tametsi ad illud producendo non sit ordinata. Sicut fodiens foveam invenit thesaurum.

V. Causa efficiens principalis et causa efficiens instrumentalis. *Principalis* illa est, *quæ virtute propria agit*, ita ut effectus illius sit; ita homo est causa principalis suarum cognitionum et appetitionum. — *Instrumentalis* est, *quæ* ut talis *non virtute propria agit sed virtute sibi communicata a principali agente :* quapropter non instrumentali causæ sed principali proprie tribuitur effectus. Ita vulnus vel mors alteri per gladium illata, homini imputatur non gladio, qui movetur et dirigitur ab homine. — Dixi, *ut talis :* nam instrumentum sub influxu principalis agentis habet actionem sibi propriam per quam ad effectum ipsius principalis agentis concurrit, ut in exemplo gladii apparet. Quam quidem actionem si instrumentum ex se non haberet, ab agente principali minime adhiberetur ad suum effectum per illud producendum.

VI. Fusior explicatio causæ instrumentalis ex S. Thoma. Quæstione XXVII, inter Qq. Disputatas *De veritate*, Artic. IV, Angelicus ita declarat naturam causæ *instrumentalis :* « Ad aliquem effectum operatur aliquid dupliciter. Uno modo, sicut *per se agens :* et dicitur per se agere, quod agit per aliquam *formam sibi inhærentem per modum naturæ completæ*, sive habeat illam formam a se, sive ab alio, aut naturaliter, aut violenter; per quem modum dicuntur illuminare sol et luna, calefacere ignis et ferrum ignitum et aqua calefacta. Alio modo, aliquid operatur ad effectum aliquem *instrumentaliter*, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhærentem, sed solum *inquantum est motum a per se agente.* Hæc enim est ratio instrumenti, inquantum est instrumentum, ut moveat motum : unde sicut se habet forma completa ad per se agentem, ita se habet motus quo movetur a principali agente ad instrumentum, sicut serra operatur ad scamnum. Quamvis enim serra habeat aliquam actionem, quæ sibi competit secundum propriam formam, ut dividere; tamen aliquem effectum habet qui sibi non competit, nisi inquantum est mota ab artifice, scilicet facere rectam incisionem et convenientem formæ artis, et sic instrumentum habet duas operationes : unam, quæ competit ei secundum formam propriam, aliam quæ competit ei secundum quod est motum a per se agente, quæ transcendit virtutem propriæ formæ. » — Expendens autem naturam *virtutis* procedentis a principali agente et receptæ in instrumento, hæc addit Angelicus, *loc. cit.*, in responsione ad 4 : « Quæ quidem virtus non habet esse completum in natura, sed est quid *incompletum in*

genere entis : quod patet ex hoc quod instrumentum movet inquantum movetur; motus autem est actus imperfectus secundum Philosophum; unde sicut illa quæ movent, inquantum sunt jam quasi in termino motus assimilata agenti, movent per formam perfectam, ita illa quæ movent prout sunt in ipso moveri, movent per virtutem incompletam. »

VII. Causa principalis prima et secunda. Hæc est subdivisio causæ efficientis principalis. Causa principalis *prima* illa est, *quæ neque quoad virtutem qua potest agere, neque quoad exercitium hujus virtutis, ab alio pendet quoquomodo ;* et est solus Deus. — *Secunda* est, *cujus aut virtus qua prædita est ad agendum* ab alio est, *aut exercitium hujus virtutis* ab alio dependet. — Sic omnes creaturæ sunt causæ secundæ respectu Dei, a quo habent virtutem agendi et moventur ad agendum, ut suo loco dicemus. Pariter causæ instrumentales, qua tales, sunt causæ secundæ, quia motæ et applicatæ a causa principali.

VIII. Causa efficiens proxima et remota. Causa *proxima* illa est, *quæ immediate influit effectum,* ut ignis stipulam comburens. — Causa *remota* illa dicitur, *quæ mediante alia vel aliis causis, in quam vel quas influit, producit effectum ;* ut cor, sanguine mediante, in omnia membra corporis calorem influit.

IX. Causa efficiens totalis et partialis. Causa *totalis* ea dicitur, *quæ in suo ordine effectum ex toto producit,* ut cum unus equus trahit currum. — *Partialis* illa est, *quæ simul cum aliis causis* ejusdem ordinis *effectum producit,* ut cum multi equi currum trahunt. Omnes equi *collectim* sumpti sunt quidem causa totalis, sed separatim sumpti sunt causæ partiales illius effectus.

X. Causa UT QUÆ et causa UT QUA. Causa efficiens *ut quæ,* seu principium *quod,* est ipsum subjectum efficienter agens, ut cum homo docet vel loquitur; — causa efficiens *ut qua,* seu principium *quo,* est *forma vel virtus qua subjectum potens est efficienter agere ;* sicut scientia est causa efficiens *qua* homo docet, et anima est causa efficiens *qua* homo sentit et intelligit. — Hinc provenit in scholis ratio distinguendi causam *ut qua,* in *radicalem, in actu primo remoto, in actu primo proximo,* et *in actu secundo.* Causa *radicalis* est natura subjecti agentis, ut causa intelligendi est essentia substantiæ spiritualis; — causa *in actu primo*

remoto est ipsa agentis essentia non nuda sed instructa viribus necessariis ad agendum, sicut essentia substantiæ spiritualis, ut est dotata facultatibus intellectivis, est causa in actu primo remoto intelligendi; — causa *in actu primo proximo* addit supra causam in actu primo remoto dispositionem necessariam ipsis facultatibus ut agere queant, sicut intellectus rerum ideis informatus est in actu primo proximo intelligendi res illas; — denique causa *in actu secundo* est ipsa operatio causæ agentis, seu causa ipsa actualiter agens.

XI. Causa efficiens universalis et particularis. Causa efficiens *universalis* illa est, *quæ plures effectus distinctarum specierum potest producere*, ut anima humana, quæ se sola in nobis præstat actiones vitæ vegetativæ et vitæ sensitivæ, præter actiones vitæ intellectualis quæ suæ naturæ sunt propriæ et specificæ. — *Particularis* est illa, *quæ ad unam speciem effectuum limitatur;* ita arbor intra limites vegetationis exercet efficientem suam activitatem.

XII. Causa univoca et causa æquivoca. Ex causis autem aliæ etiam sunt *univocæ*, *quæ effectum sibi similem in specie producunt*, ut homo generat hominem. *Æquivocæ* vero, quæ et *analogæ* etiam et verius dicuntur, sunt illæ, *quæ effectus natura sibi inferiores producunt*, ut cum Deus creaturas producit.

XIII. Causa libera et causa necessaria. Causa *libera* illa est, *quæ suarum actionum dominium habet* ita ut illas ponere vel ab illis abstinere pro libito possit; ita ego scribo quia volo, et, si velim, a scribendo cessare possum. — Causa *necessaria* est illa, *qua posita, sequitur effectus*, ita nempe ut sibi relicta temperare per semetipsam ab actione non valeat : ut lapis non suffultus deorsum cadit.

XIV. Causa physica et causa moralis. Causa *physica* est illa, *a qua directe per motum seu influxum proprium est actio effectum producens;* sicut ignis est causa physica combustionis stipulæ. — *Moralis* illa dicitur, *quæ* persuasione, promissionibus, minis, aliisque *mediis moralibus* (quæ scilicet voluntatem flectunt ad agendum vel ab agendo deterrent), *in effectum influit;* sicut quando suasione vel terrore aliquis inducit hominem ad bonum vel malum faciendum.

XV. Causa perficiens, præparans, adjuvans, consilians. Addimus denique hanc divisionem causæ a S. Thoma in II,

Physicorum, Lect. V, assignatam, quæ ex eo repetitur quod causa efficiens : aut opus *complet;* aut *disponit* materiam ad opus producendum; aut causam principalem *coadjuvat;* aut *scientiam* præstat, qua causa efficiens in opere perficiendo dirigatur. — Ceterum hæc ultima divisio ad aliquam ex supradictis de facili revocatur. Et revera. Causa *consilians* est causa moralis; *perficiens* vero, *præparans*, *adjuvans*, prout accipiuntur in ordine ad eumdem effectum, uti causæ *partiales*, de quibus supra, n. IX, dictum est, sunt habendæ.

XVI. Quæstio. Causam efficientem tum in seipsa tum in suis multiplicibus speciebus explicavimus. Reliquum est ut illam in ordine ad nostras cognitiones paululum consideremus. Quæri enim potest, utrum ex cognitione effectus valeat mens nostra assurgere ad cognitionem causæ efficientis : et quia hujusce causæ duo, sicut et cujuslibet rei, cognosci possunt, *existentia* nempe et *essentia;* circa utriusque cognitionem distinctæ sunt conclusiones ponendæ. Sit prima.

XVII. Ex quocumque effectu cognito potest manifeste demonstrari EXISTENTIA **causæ.** Suppono imprimis demonstrationem tum existentiæ tum essentiæ causæ ex effectibus, esse demonstrationem *a posteriori*, seu per ea quæ non sunt priora *simpliciter*, sed *secundum quid*, videlicet quoad nos (L. 41, V, seqq.). Deinde dixi ex effectu *cognito*, quia in demonstratione causæ per effectum utimur *effectu* ut principio demonstrationis; proindeque effectus, non ut entitas est, sed reduplicative ut est effectus nobis innotescere debet, ut demonstrationem instituamus. — Probatur. Statuimus contra errorem Beguelini veritatem principii causalitatis, *Omnis effectus habet causam.* Igitur quoties mens effectum ut talem cognoscit, ipsi præsupponere existentiam causæ debet, vi universalitatis ipsius principii causalitatis, quod omnes et singulos effectus sua extensione complectitur (42, IV, ad 2). Neque effectus pendet a causa quatenus majori vel minori perfectione est dotatus, sed præcise quatenus est *effectus*, quia ratio præcisa effectus, quacumque alia ratione postposita, dependentiam a causa essentialiter præ se fert. Unde in propositione consulto dixi, *ex quocumque effectu.* — S. Thomas, P. I. Qu. II, Artic. II, *per totum.*

XVIII. Ex quocumque effectu cognito potest aliqua saltem ratione cognosci NATURA **causæ.** Hac conclusione respondetur secundæ quæstioni propositæ n. XVI; et probatur. Cum effectus pendeat a causa, cognito existente effectu, mens arguit legitime et necessario causæ præexistentiam, ut in

superiori propositione probatum est. mera existentia abstracta, sed con *natura cum suis respectivis propri* quæ omnia in ratione effectus, ut duntur. Omnia igitur ista habet ef tum est autem quod causa non pos tribuere, nisi illa omnia in seipsa al haberet : nemo enim dat quod nu vulgare adagium. Ergo cognitis ex prietatibus effectus, mens nostra le cludit quod causa non solum præexi tem ratione habet quidquid perfecti sæ effectus. Dixi *aliqua saltem ratio* causæ proportionatus, ut in causis sunt ex effectu cognosci natura et causæ; si vero effectus est causæ suæ supra, n. XII, diximus de causis test ex effectu quod causa habeat *formaliter* naturam et proprietates s *perfectiori modo*, seu, ut vulgo in scho et *eminenter* (20, V). Unde merito S. XII, Artic. XII, postquam probavit quod nostra non possit assurgere ad videndam tiam, sapientissime hæc addit : « Sed qui ejus effectus a causa dependentes, ex ei possumus, ut cognoscamus de Deo an est ut cognoscamus de ipso ea, quæ necesse secundum quod est prima omnium causa sua causata. — Unde cognoscimus de ipso h sius ad creaturas, quod scilicet omnium est ca rentiam creaturarum ab ipso, quod scilicet ips quid (*formaliter*, *specifice*, vel *generice*) eorum causantur : et quod hæc non removentur ab eo defectum, sed quia superexcedit. » Seu illa ha Deus, sed perfectiori modo et sine commixtione d limitationis, ut paulo supra dictum est. — Hanc doc mente teneat adolescens philosophus, quia illa est fu mentum totius Theologiæ nostræ naturalis, ut innuit ips met Angelicus loc. cit. et Qu. XXXII, Artic. I, imo e totius ferme Metaphysicæ specialis, ut ex dicendis erit manifestum (1).

(1) *Axiomata* quædam :
1° *Agens agit simile sibi*, i. e. simile formæ per quam agit; sive

ARTICULUS SECUNDUS

(45)

De subjecto causalitatis.

I. **Occasionalismus.** Averroës in IX. *Metaphys.*, Comment. VII; Albertus Magnus II. *Physic.*, Tract. II, Cap. III; S. Thomas III *Contra Gentiles*, Cap. LXIX, P. I,. Qu. CV, Artic. V, II *Dist.* I, Qu. I, Artic. IV, *De potentia* Qu. III, Artic. VII, aliique Auctores bene multi referunt sententiam quorumdam ex antiquioribus philosophis, ponentium res contingentes, hoc est creaturas, nihil agere, sed Deum (qui solus juxta ipsos est agens) ad præsentiam creaturarum omnia revera agere quæ ab ipsis creaturis apparenter fieri cernuntur, *occasione* sumpta ab eisdem creatis rebus; sicut, *occasione* sumpta ab eo quod ignis stipulæ supponitur, Deus stipulam comburit, non ignis, qui est tantum Deo occasio ut ipse per semetipsum comburat stipulam. Hujus perantiquæ et jam obsoletæ sententiæ auctor vel auctores ignorantur, quamvis Suarezio, *Dispp. Metaphysic.* Disp. XVIII, Sect. I, § I, videatur Philo in lib. II *Allegoriarum* in hanc ipsam sententiam inclinatus. At illam sæculo XVII instauravit in Gallia novoque apparatu defendit Malebranchius in Opere quod inscripsit, *De la recherche de la vérité*, P. II, *De la Méthode*, Lib. VI, Cap. III (1).

---

hæc forma sit naturalis sive non. Agere enim est communicare illud ratione cujus agens est in actu. Sed hoc est facere aliquid simile sibi. Hinc explicatur illud Evang. : Ex fructibus eorum cognoscetis eos. (Matth. c. 7, v. 20).

2. *Propter quod unumquodque tale et illud magis*, i. e. quando aliquid est ratio cur cætera sint talia, ipsum debet esse magis tale. Sic quia Deus est causa cur multa sint pulchra in mundo, sequitur ipsum esse pulcherrimum. Quod est verum etiam in sensu logico. Nam causa magis dignoscitur habere perfectionem effectus.

3° *Causa causæ est causa causati.* Intelligi debet de causa a qua alia pendet non solum quoad fieri, sed etiam quoad esse. Sic causa ignis est causa caloris, non vero causa filii est causa conservationis filii. Alia plura vide in HUGON. Loc. cit., p. 144.

(1) « Il n'y a donc que Dieu qui soi véritable cause, et il semble qu'il y ait contradiction à dire que les hommes puis-

II. Occasionalimi spescies. Occasionalistæ autem bifariam dividuntur; alii enim universaliter negant contingentibus omnibus et singulis rationem causalitatis efficientis, et dicuntur occasionalistæ *rigidiores;* alii vero rationem causalitatis efficientis denegant contingentibus, sed excipiunt substantias spirituales, ut sunt animæ humanæ et angeli, quas revera efficienter agere concedunt. Hi dicuntur occasionalistæ *mitiores.* Quamvis Malebranche subobscure fuerit locutus hac de distinctione in Opere præcitato, *De la recherche de la vérité*, ex dilucidationibus tamen quas postea dedit inseruitque eidem Operi, ac ex suis epistolis videtur occasionalismo mitiori solummodo adhæsisse. Ut vero quæstionem quam præ manibus habemus complete solvamus, tres conclusiones ponemus : in quarum prima generice occasionalismum refutabimus; in secunda veram causalitatem efficientem in animabus nostris vindicabimus; in tertia denique de corporum activitate erit sermo. Sit itaque prima conclusio :

III. Entia contingentia revera agunt efficienter. Nota in antecessum a nobis admitti et ab omnibus admitti debere entia contingentia non esse causas *primas* sed solummodo causas *secundas* (44, VII), ac proinde indigere Dei influxu ad agendum, ut in Theologia probabitur; sed solummodo affirmamus entia contingentia ut causas secundas revera efficienter agere. — Probatur thesis. Subtrahere causalitatem efficientem rebus contingentibus est derogare sapientiæ divinæ, ordini Universi, scientiæ humanæ, et naturis ipsorum contingentium. Sed hæc omnia affirmare est absurdissimum. Ergo absurdum est subtrahere entibus contingentibus veram causalitatem efficientem. Probatur *major.*

Derogatur sapientiæ divinæ. Nam solus Deus, juxta occasionalistas, operatur omnia immediate, et res creatæ nullo modo operantur ad effectus producendos : et tamen juxta adversarios res, occasionaliter saltem, ad effectus producendos a Deo adhibentur. Atqui frustra aliquid adhibetur ad effectum aliquem producendum, quem nullo modo producere

---

sent l'être... Il n'y a qu'une vraie cause, parce qu'il n'y a qu'un vrai Dieu; la nature ou force de chaque chose n'est que la volonté de Dieu : toutes les causes naturelles ne sont point des véritables causes, mais seulement des causes *occasionnelles*, qui n'agissent que par la force et l'efficace de la volonté de Dieu. » MALEBRANCHE. *Recherche de la vérité*, l. VI, P. II, cap. 3.

potest. Igitur Deus frustraneum aliquid faceret; quod est contra naturam divinæ sapientiæ.

Derogatur ordini Universi. Res quæ Universum componunt diversæ sunt naturæ, ut per experientiam notum est, et tamen in aliquam unitatem conspirant, quæ est ordo et pulchritudo ipsius Universi. Atqui res diversæ naturæ non possunt in unitatem conspirare, nisi per hoc quod quædam agunt, quædam vero patiuntur : unitas enim multarum rerum necessario pendet aut ex earum convenientia in unitate naturæ, aut ex mutuis ad invicem actionibus : cum nihil sit tertium in ipsis fingendum. Igitur eo ipso quod est ordo in partibus diversis Universi, causalitas vere effectrix est in partibus ipsis.

Derogatur scientiæ humanæ. Si effectus non producuntur ex actione rerum contingentium, sed ex solo Deo, ut occasionalistæ contendunt, sequeretur quod omnes nostræ demonstrationes *a posteriori*, quibus *ex* consideratione effectus deducimus existentiam, virtutem et naturam causæ (44, XVII et XVIII), fundamento reali carerent. Et quia cognitiones nostræ circa res naturales per demonstrationes *a posteriori* habentur a nobis; omnis nostra scientia circa existentiam, virtutem et naturam rerum aut dubia aut omnino erronea foret dicenda.

Derogatur naturis ipsarum rerum contingentium. Jam in prologo ad quartum hunc Librum animadvertimus, res omnes natura sua ordinari ad proprias operationes, quæ sunt explicativæ et perfectivæ ipsius naturæ; ita ut nescio utrum possit vel mente concipi realis natura iners, seu non aliquo modo ad actiones proprias inclinata. Quocirca, posita sententia occasionalistarum, vehemens dubium ingeritur circa realem existentiam ipsarum naturarum contingentium, quam nonnulli sceptici absurdissime inficiantur (L. 50, XI et XII). Pro aliis rationibus videri potest S. Thomas, Lib. III, *Contra Gentiles*, Cap. LXIX, ex quo argumenta hucusque adducta desumpsi.

IV. Substantiæ spirituales vere sunt causæ efficientes. Ut clarior evadat argumentatio, loquor exclusive de animabus humanis, non de angelis, quibus *a fortiori* concedenda est activitas quæ animabus nostris adseritur. — Probatur. Subtrahere causalitatem effectricem animabus nostris est adversari manifesto conscientiæ testimonio, et libertati humanæ naturæ, eisque omnibus quæ libertatem ipsam con-

sequuntur. Ergo animæ nostræ vere sunt causæ efficientes. Consequentia est manifesta. Probatur *antecedens*.

Adversatur conscientiæ testimonio. Ego quidem intime atque vividissime sentio revera me esse, qui cogito, qui sentio, qui manum moveo ad scribendum, qui scribo, qui loquor; atque hæc omnia non utcumque sentio, sed sentio esse a me ut a principio a quo efficienter sunt. Et quod ego experior, ceteros homines experiri ex eorum testimonio certo deprehendo; ita ut dementiæ accusarent, qui eos in contrariam sententiam trahere conarentur. Conscientia autem quoad internas animi nostri actiones et unicum et tutissimum est veritatis criterium (L. 52, V) : quod tamen testimonium insipienter verbis pessumdant rigidiores occasionalistæ, negando vim effectricem animæ humanæ, cum tamen *facto* affirment. Non enim, ut puto, cogitationes argumentationesque quibus occasionalismum propugnant, Dei argumentationes dicere auderent : secus enim et meæ argumentationes contra illos Dei pariter essent, atque hac ratione Deus oppositas theses sibi contradicendo sustineret.

Adversatur libertati. Et revera libertas est facultas electiva. Electio autem supponit in subjecto libero activitatem, cum a dominio propriarum actionum pendeat. Si igitur, ut rigidiores occasionalistæ docere videntur, actiones animæ nostræ efficiente nostra activitate destituuntur, libertate non gaudent. — Ex sola libertate autem consequitur quod actiones nostræ habeant rationem moralem rectitudinis vel peccati, quod nobis imputetur earumdem actionum malitia quoad culpam, vel bonitas quoad laudem, quod denique eædem actiones sortiantur meritum vel demeritum. Si igitur liberi non sumus, quia efficiente activitate non gaudemus, hæc omnia, quæ ex sola libertate oriuntur, nostra non sunt, sed sunt Dei, qui omnia per se agit : quod est et absurdum et blasphemia.

V. Etiam corpora sunt revera in proprio ordine veræ causæ efficientes. Probatur. Causalitatem efficientem corporibus concedunt sensus naturæ communis, sensus externi, ipsa denique principia mitiorum occasionalistarum. Igitur causalitas efficiens vere competit etiam corporibus. Probatur *antecedens*.

Sensus naturæ communis. Et revera, nemo est qui, naturæ impulsu ductus, phænomena quæ in mundo cernuntur

a causis corporalibus esse non admittat, sed Deo unice agenti tribuat : hinc combustio igni tribuitur, machinæ motus vapori aquæ compresso, etc. In quam omnium hominum sententiam concedunt ipsi occasionalistæ, cum naturam audiunt, et naturæ contraire per philosophiam non præsumunt.

Sensus externi. Etenim ad præsentiam rerum sensibilium excitari in nobis analogas sensationes nemo in semetipso non experitur : quarum quidem sensationum causæ in sensus agentes non aliæ assignantur quam res ipsæ sensibiles (L. 50, XIII). Quo in casu si testimonium sensuum externorum fallaciæ arguatur, nescio utrum ipsa corporum existentia vindicari contra scepticismum possit.

Principia occasionalistarum. Aiunt enim isti corpora occasionem Deo præbere ad agendum quæcumque aguntur in mundo. Sed occasio ista aut datur efficienter a creaturis ipsis corporeis, aut secus. Si primum; ergo corpora vere et efficienter agunt. Si alterum; ergo corpora neque occasionem Deo dant agendi. Quocumque igitur se vertant occasionalistæ, contradictionem effugere nequeunt.

Ut quisque per se videt, hisce argumentis quæ pro secunda ac tertia conclusione probanda attulimus. adjungi possunt ea quæ disseruimus contra occasionalismum in genere inspectum.

IV. Solvuntur objectiones. — *Objectio prima.* Activitas efficiens est quid divinum. Atqui nihil divini creaturis tribui potest. Ergo activitas efficiens creaturis tribuenda non est. Ita Malebranchius, *De la recherche de la vérité.*

Resp. Nego *majorem*, vel si lubet, distinguo : Activitas efficiens *prima* et imparticipata est quid divinum, *concedo;* activitas efficiens *secunda* et participata est quid divinum, *nego.* — Si non poetice sed philosophice volumus quæstiones definire, dicendum omnino est quod sicut ratio *esse* primo et imparticipate Deo solummodo convenit, et tamen id non prohibet, concedente ipso Malebranchio, quominus creaturæ *secundario* habeant *esse* non quidem a seipsis sed a Deo, et consequenter per participationem; ita soli Deo convenit quidem ratio causæ primæ imparticipatæ et a se, a qua creaturæ participant rationem efficientiæ sicut participant esse.

Objectio secunda. Subsumes : Atqui ratio efficientiæ est imparticipabilis. Ergo redit argumentum. Probatur *antecedens.* Actio efficiens est actio creativa et infinita. Atqui creatio et infi-

nitas sunt dotes imparticipabiles a creaturis. Ergo ratio efficientiæ est imparticipabilis a creaturis.

Resp. Nego *min. subsumpt.* Ad ejus probationem, nego *majorem.* — Non enim actio efficiens, qua talis, est creativa et infinita, sed actio creativa illa est quæ effectum totum ex nihilo producit. Quæ quidem assertio nostra ex eo potissimum probatur quod, cum notio actionis effectricis omnibus sit communis, facilis, evidentissima; actio creativa e contrario difficillima est, et in ea dilucidanda plures errant, doctissimi insudant, quin tamen in dubium vertamus discrimen quod inter unam et aliam actionem existit.

Objectio tertia. Deus omnia agit et perfectissime agit; ergo frustra conceditur causalitas effectrix creaturis.

Resp. Distinguo *antecedens :* Deus omnia agit et perfectissime agit ut causa prima, *concedo;* omnia agit et perfectissime agit ut causa unica, *nego.* — Concedimus solum Deum esse causam primam, imparticipatam, et infinitam; sed id evincit solummodo quod Ipse sit causa unica in proprio ordine, hoc est in ordine causæ primæ, sed non cum exclusione causarum secundarum, quæ ab ipso tum esse tum vim activam participant et in agendo ipsi subjiciuntur, ut jam dictum est in responsione ad 1m. Pariter Deus perfectissime agit in ordine suæ causalitatis, sed creaturæ etiam agunt in proprio ordine, hoc est intra limites propriæ naturæ modo imperfectiori.

Objectio quarta. Dato quod causæ secundæ agerent, non agerent tamen nisi sub influxu Dei, ita ut causa prima et causa secunda eumdem effectum producerent. Atqui hæc identitas effectus omnino reddit superfluam causalitatem efficientem creaturarum. Igitur præfata causalitas creaturis est deneganda.

Resp. Distinguo *majorem :* eumdem effectum producerent et eadem ratione, *nego;* et diversa ratione, *concedo.* Et contradistincta *minori* in sensu datæ distinctionis, nego *conseq.* — Utique Deus et causa secunda simul agunt in cujuscumque effectus productione, quia nulla causa secunda ex se, seu independenter a Deo, agere potest, sicut ex se et independenter a Deo non potest habere *esse, virtutem* agendi, et utriusque conservationem. Sed tum Deus tum creatura agunt in proprio ordine, ut dictum est, et consequenter eumdem effectum producunt secundum ordinem propriæ causalitatis : Deus nempe ut causa prima et universalissima; creaturæ ut causæ secundæ et limitatæ. — Et quia creaturæ neque ut causæ secundæ agunt, nisi sub divino influxu, maxime manifestant bonitatem et sapientiam Dei, qui cum omnia per seipsum agere valeat et modo perfectissimo,

largitur tamen non ex indigentia sed ex bonitate rebus creatis non solum esse, sed etiam virtutem agendi sub ejus influxu, sicut per ejus influxum existunt et in existentia conservantur.

Objectio quinta. Si creaturæ efficienter agerent, seipsas perficerent. Sed seipsas perficere non possunt. Ergo nec efficienter agere.

Resp. Distinguo *majorem;* seipsas perficerent independenter a Deo, *nego;* dependenter a Deo, *concedo.* Et contradistincta *minori* in eodem sensu, nego *conseq.* — Distinctio manifesta est ex dictis in responsione ad 4.

ARTICULUS TERTIUS

(46)

De principio immediato actionis.

I. Quæstio. Asseruimus in superiori articulo rebus creatis veram efficientem causalitatem. Atqui inter species causarum efficientium recensuimus causam *ut qua* et causam *ut quæ* (44, X). Certum autem est in Deo essentiam realiter idem esse cum sua agendi virtute, imo et cum sua actione, ratione perfectissimæ simplicitatis divinæ; sed quæritur, utrum in creaturis principium *quo* agendi immediatum, quod virtutem agendi communiter dicimus, sit realiter idem cum earum essentia, quæ ex consensu omnium est principium *ut quo* remotum, seu radicale, actionis, quia ab essentia est procul dubio agendi virtus. Scholastici hanc ipsam quæstionem hoc modo proponebant : utrum substantiæ creatæ sint *immediate* operativæ? Affirmat Scotus, in medium adducta solita distinctione actuali-formali a parte rei inter essentiam rei creatæ et agendi virtutem (14, VI), ac Scoto subscribunt omnes fere recentiores philosophi, cartesianis doctrinis plus minusve addicti, quin tamen simul distinctionem scotisticam amplectantur; negat S. Thomas, cujus sententiæ adhærent thomistæ aliique extranei, præcipue ex antiquioribus Scholasticis. Quid nobis de hac subtili quæstione videatur, dicemus in hoc ipso articulo. Sit igitur :

II Actio rerum creatarum realiter distinguitur a substantiali earum essentia. Hæc prima propositio si recte consideretur negari a nemine potest. Etenim, ut in nobis

evenire ex conscientia aperte scimus, actiones nostræ, sive corporales sive sensitivæ sive intellectivæ, et nobis superveniunt et a nobis transeunt, substantia animæ nostræ jugiter eadem perseverante. Hoc autem est signum manifestissimum quod actiones illæ sunt accidentia (30, II); quæ ideo realiter a substantia animæ nostræ distincta esse oportet *(ibid.)*. Quod vero de nobis dicitur, affirmare jure possumus de omnibus actionibus aliarum substantiarum creatarum : eadem enim pro omnibus ratio viget.

III. **Virtus agendi quæ inest substantialibus essentiis rerum creatarum est realiter distincta ab ipsis substantialibus essentiis.** Generice assero distinctionem realem : determinare enim naturam hujus distinctionis parum in præsenti refert. — Probatur. Actus et potentia ad actum illum essentialiter ordinata sunt in eodem genere (8, XI). Atqui actio, ad quam essentialiter sunt ordinatæ facultates seu virtutes activæ creaturarum, est in genere accidentis, ut superiori numero probatum est. Ergo et facultates seu virtutes activæ creaturarum sunt in genere accidentis; proindeque hujusmodi facultates, sicut dictum est de actionibus, realiter distinguuntur a substantiarum essentiis, quibus insunt. — Fusiori calamo hanc thesim probat noster Goudin, *Physic.*, P. I. Disp. II. Qu. IV. Artic. III.

IV. **Solvuntur objectiones.** Vix credibile est quot verbis conati sint recentiores philosophi e schola cartesiana impugnare thesim scholasticam, quam supra defendimus; et tamen si argumenta, quæ magno apparatu in medium proferunt, serio animo perpendantur, præter injurias et calumnias in doctrinam Scholasticorum, ab ipsis præpostero sensu expositam, nihil aliud invenies. Plura hac de re jam diximus in tractatu de accidentibus; alia videbimus dum de animæ nostræ facultatibus sermo peculiaris erit; duo denique contra hanc nostram thesim generatim hic in medium afferimus.

Objectio prima. Operari sequitur esse. Atqui substantia immediate per seipsam est. Ergo et per seipsam immediate agit.

Resp. Distinguo *majorem :* Operari sequitur esse, hoc sensu quod operatio præsupponat subjectum agens existens et sit in proportione cum ipsius subjecti essentia, *concedo;* hoc sensu quod operatio sit immediate ab ipsa subjecti creati essentia, *nego.* — Adversarii supponunt præcise id quod est probandum. Quæstio inter nos et ipsos est, utrum actio sequatur immediate a substantiali essentia rei, an mediante virtute; illi vero enuntiant

propositionem quod operatio sequatur esse, sumendo *τὸ sequatur* pro consecutione immediata; quod præcise controvertitur.

Objectio secunda. Proprietates substantiæ dimanant immediate ab ipsa substantia. Atqui dimanatio est actio. Ergo saltem quoad proprietates respectivas substantiæ immediate agunt.

Resp. Nego *minorem.* Non enim substantia agit ad producendas suas proprietates, neque istæ sunt proprie dicti effectus substantiæ sed resultantiæ ipsius, ut loquitur S. Thomas, P. I. Qu. LXXVII. Artic. I, et cum ipso jam supra (43, III) diximus, necessario comitantes substantiam ipsam cum qua propterea producuntur. Unde hoc argumento adversarii nostri extra quæstionem excurrunt.

Ab aliis argumentis afferendis supersedeo : ea late excutit Goudin loco citato. Melius et clarius de his in Psycologia in tractatu de animæ facultatibus redibit sermo.

V. Utrum causa efficiens non existens possit operari: Pro coronide tractatus circa causas efficientes, tres hic breviter proponimus resolvendas quæstiones, quarum prima enuntiata est. « In hac dirimenda questione, inquit Gerdilius *Ontologia*, De Causis, Qu. II. Artic. ult., acriter inter se pugnant thomistæ et scotistæ. Illi affirmant, isti, quibus omnes ferme neoterici merito adstipulantur, negant. Et sane lumine naturali exploratum videtur, id quod non est, non posse operari physice, cum omnis operatio existentiam supponat. — Deinde nemo dat quod non habet; sed causa non existens non habet esse; ergo nequit illud effectui tribuere. » — Optima sane sunt hæc argumenta quibus libenter subscribo; verum quod hoc thomistis tribuitur, pace Eminentissimi viri dixerim, plane falsum est. Nemo thomistarum crude asseruit causam efficientem non existentem physice agere posse, quinimo contrarium omnes et apertissime docent; sed hoc unum affirmabant, post emissam actionem effectumque aliquo modo productum, causam posse ab existentia cessare : quo in casu effectus inceptus ejus actione ad perfectam explicationem quandoque pervenit; quæ explicatio cum habeatur vi naturæ primitus acceptæ, ponebant, hoc *exclusivo* sensu, causas efficientes non existentes perdurare *virtute* in effectu producendo, vi illius vulgaris adagii : *Quod est causa causæ necessariæ est causa causati.* Neque ab ipso Gerdilio hæc thomistarum doctrina fuisset impugnata, si recte fuisset accepta.

VI. Utrum causa efficiens non præsens possit causare. Hæc est secunda quæstio. « Affirmant scotistæ, inquit iterum Gerdilius, loc. cit., negant thomistæ cum omnibus ferme neotericis; et sane si de causa efficiente physica loquamur, quis unquam

sibi persuaserit causam ibi vere agere posse, ubi non est neque præsentia suppositi neque præsentia virtutis a se diffusæ, cum causa ubi non est perinde se habeat, ac si non esset? Argumenta autem, quibus talis opinio nititur, sine gravi temporis jactura referri non possunt. » — Hæc recte dicta sunt, sed insuper confirmant animadversionem superiorem. Si enim thomistæ, fatente Gerdilio, causæ efficientis præsentiam requirunt ad causandum, ut vel præsentia suppositi, vel præsentia virtutis a se diffusæ, agere valeat : non poterant thomistæ docere, neque docent de facto, causam efficientem non existentem, neque existentia suppositi neque existentia virtutis a se diffusæ, agere posse.

VII. Utrum idem effectus produci possit a duabus causis efficientibus. Ad hanc tertiam quæstionem breviter respondendum esse censeo hoc modo. Si de causis partialibus sermo est, nulla profecto est repugnantia, imo hoc esse proprium diximus (44, IX) causarum partialium simul uniri ad eumdem effectum producendum. — Si autem de causis perfecte totalibus *(ibid.)* sit sermo, id fieri non posse videtur : secus enim non essent amplius totales perfecte, sed vere partiales. (Cf. S. Th. P. I. Qu.. LII, Artic. III). Et hoc assero de causis totalibus ejusdem ordinis; si enim sint diversi ordinis, eumdem effectum producunt, diversa tamen ratione; ut cum Deus et creaturæ aliquid efficienter operantur. — Denique si sermo habeatur de eodem *numero* effectu, et quæratur utrum, e. g., Alexander Magnus, præcise ut talis, potuisset produci ab aliis parentibus, qui non fuerint Philippus et Olympia, respondendum videtur *negative* si ad solas causas secundas attendatur, quia in effectu *numerice* inspecto haberi debet etiam ratio ad causam individualem, in qua prius quam producatur virtualiter continetur. Sicut igitur causa a causa numerice distinguitur, ita et respectivi effectus. At si agatur de causa prima, nempe de Deo, non videtur posse negari quod potuerit ipse per se eumdem numero effectum producere quem causæ secundæ producunt, cum ipse eminenter contineat virtutem cujuslibet creaturæ (14, XI). Et de his satis; sunt enim hæ, meo judicio, quæstiones magis curiosæ quam utiles (1).

(1) De causa efficiente instrumentali plura, si placet, videas in P. HUGON. Loc. cit. P. III, p. 164.

CAPUT TERTIUM

DE CAUSIS FORMALI ET MATERIALI

Prologus. Declarata natura causæ efficientis, dicendum est de causa formali et de causa materiali. Tria autem potissimum declaranda hoc in argumento occurrunt : 1° natura *causæ formalis;* 2° *causa exemplaris*, quæ ad formalem reducitur; 3° natura *causæ materialis.*

ARTICULUS PRIMUS

(47)

De natura causæ formalis.

I. Notio causæ formalis. Si quis aliquam materiam consideret prouti artificiali figura donatur, tria de facili animadvertit : 1° nempe materiam illam, e. g., ceram, non habere ex sua natura determinatam illam figuram; 2° figuram conferre *ceræ*, seu subjecto materiali tale *esse*, scilicet *esse figuratum;* 3° ex materia et figura resultare tertium quoddam, quod neque simpliciter est materia in se inspecta, neque figura considerata in seipsa, sed *materia-figurata.* Principium illud, quod intelligitur ut dans alicui subjecto quemdam essendi modum, ita ut ex subjecto et principio ipso resultet unum *esse* utrique commune, *forma* denominatur : de cujus generica existentia, ut in exemplo inducto videre est, dubitari nequit.

II. Ratio causalitatis causæ formalis. Ex hac notione causæ formalis patet discrimen inter hujus causæ causalitatem et causalitatem causæ efficientis. Hæc enim, ut talis, extrinseca est effectui; sed causæ formalis causalitas in hoc consistit, ut propriam entitatem immediate subjecto, quod informat et denominat, communicet, et in hoc esse causæ formalis communicato existat ad modum *unius* tum formatum subjectum. — Ad demonstrandam hanc thesim longam scribit Dissertationem doctissimus Goudin, P. I. *Physicæ*, Disp. I, Qu. IV. Art. II, sed, mea quidem sententia, si recte statuatur quid nomine *formæ* intelligatur, in aperto est

ipsam per propriam entitatem et sine ullo intermedio seu immediate uniri subjecto (1).

III. Forma substantialis et forma accidentalis. Forma subjecto adveniens, aut talis est ut subjectum jam præexistens et constitutum modificet solummodo; et talis *forma* dicitur accidentalis, ut pallor in vultu, rotunditas in cera, etc. Aut contra ex unione subjecti et formæ constituitur *esse* specificum, quod, recedente forma, perit; sicut ex unione animæ et corporis constituitur *esse* seu *natura animalis*, quod, recedente anima, perit; et hujusmodi *forma* dicitur substantialis. Hinc nomine formæ substantialis, ut cum Scholasticis notat Suarez, *Dispp. Metaphysic.*, Disp. XV. Sect. I. §. VI, intelligitur *substantia quædam partialis, quæ ita potest uniri materiæ* (quæ ut subjectum intelligitur), *ut cum illa componat substantiam integram ac per se unam*, qualis est homo ex anima *(forma)* et corpore *(materia)* resultans.

IV. Existentia realis formarum substantialium ontologice saltem est admittenda. Quoad formas accidentales nihil dicimus; earum enim realis existentia connexa est cum realitate accidentium (30, II). — Communi hominum sensu substantiæ, quæ realiter existunt ut homo, brutum, planta, lapis, non unam atque identicam habent essentiam, sed plane distinctam specie. Atqui substantiæ quæ ad invicem specie distinguuntur, nequeunt distingui nisi quatenus habent principia constitutiva specifice distincta. Igitur in substantiis realiter existentibus realiter sunt principia constitutiva earum essentialiter distincta : quæ cum constituant ipsas substantiarum essentias, *formæ substantiales* merito fuerunt appellatæ. — Suarez, Op. et loc. cit., §. V, postquam dixerit Platoni imprimis et postea Aristoteli acceptam fuisse hanc de formis substantialibus doctrinam, plura addit de existentia earumdem formarum, tum philosophice tum in ordine ad

(1) « Notio causæ tum formalis (art. præs.) tum materialis (art. 3) sic accepta, non corporeis tantum, sed et incorporeis convenit; nam et ipsæ substantiæ spirituales quatenus formationibus accidentariis, ut patet, subjiciuntur, capacitate recipiendi constant et formas accidentales vere recipiunt. Quocirca *rite de hac duplici causatione in Ontologia fit sermo:* de causa materiali vero et formali prout partes essentiales sunt substantiæ *corporeæ*, hic non est sermo faciendus; sed in cosmologia ». LEPIDI, vol. 3, p. 248. — Per ea quæ hic de causis agimus fit tractatio de prædicamentis *actio* et *passio, quæ conveniunt in substantia motus et differunt solum secundum diversas habitudines.* (S. Th. I, q. 45, a. 2, ad 2; In Physic., 3. Lect. 5).

doctrinam theologicam. Ceterum hac in re consuli possunt omnes ferme Scholastici.

ARTICULUS SECUNDUS

(48)

De causa exemplari.

I. Ratio articuli. Egimus in præcedenti articulo de forma quæ rem ipsam aut efficit aut constituit. At præter illam causam formalem rebus intrinsecam, dantur causæ formales extrinsecæ, quæ strictiori sensu *ideæ* nuncupantur, vel etiam causæ *exemplares*. De his, quæ scitu sunt necessaria, in hoc articulo dicemus : ut enim de illis ait S. Augustinus, Lib. LXXXIII. *Qq.* Qu. XLVI, n. 1, *tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit.*

II. Duplex idearum acceptio. At in antecessum distinguendus cautissime est duplex sensus, in quo *idea* in philosophia accipitur. Etenim, ut ait S. Thomas, P. I, Qu. XV, Artic. I, « Ἰδέα græce, latine *forma* dicitur. Unde per *ideas* intelliguntur formæ aliarum rerum præter ipsas res existentes, seu quarum existentia extrinseca est rebus, quarum dicuntur formæ vel ideæ. Forma autem alicujus rei præter ipsam existens ad duo ordinari potest : vel ut sit rei *exemplar* ad cujus similitudinem res ipsa conficitur; vel ut sit *principium* cognitionis rei, secundum quod formæ vel ideæ rerum cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. » De ideis hoc secundo sensu acceptis nonnihil diximus in Dialectica, et iterum dicemus in Ideologia. De ideis primo sensu sumptis, prout nempe significant *exemplaria*, sermo exclusive est in præsenti articulo.

III. Asseritur necessitas idearum. Porro hujusmodi ideas esse necessario ponendas tam certum est quam quod certissimum, sive ad factum ipsum attendatur, sive ad principia ipsa rationalia.

Factum. Nullus enim artifex artificium opere conficit, quod non antea mente præconceperit; et nedum absurdum sed ridiculum sese proderet, qui diceret Michaëlem-Angelum elaborasse statuam *Moysis* aut *Judicium finale* quin antea de hujusmodi rebus cogitaverit in mente sua.

Principia. Ab agente enim ad plura exequenda indifferente non sequitur potius A quam B, nisi per aliquod principium sese determinaverit. Hæc autem indifferentia in agentibus rationalibus præcipue existit, ut in operibus artis videre est. Principio igitur determinante indigent; quod aliud esse non potest quam mentis idea vel conceptus, a quo ipsa voluntas agentis ordinatur et dirigitur. De hac veritate profunde inter alios loquuntur S. Augustinus et S. Thomas locis citatis in hoc articulo, quorum verba refero et late expono in Opere *Della luce intellettuale e dell' Ontologismo*, Lib. III, Cap. IX.

IV. Causa idealis seu idea, quamvis proprie sit in agentibus intellectualibus, locum tamen aliqua ratione habet etiam in rebus naturalibus. Utraque pars hujus propositionis de facili suadetur. Etenim naturalia quæ mente carent, subjecta *idearum* proprie esse non posse quisque concedit : idea enim est quid mentale, quod mentem ut proprium subjectum requirit, nec unquam aliquis somniavit ponere in *quercu* ideam præconceptam glandis, quam producit. Attamen opus naturæ est opus divinæ intelligentiæ, in qua ab æterno, ut manifestum est ex dictis, n. III, sunt ideæ rerum omnium creatarum : secus mundus casu et temeritate conditus fuisset. Non sunt igitur in rebus intelligentia carentibus *ideæ exemplares*, sed sunt tamen *ideæ exemplatæ* ab ideis divinis (4, VI, ad 2).

V. Ratio causalitatis in ideis. Quod vero ideæ propriam rationem causalitatis habeant, et exinde proprie causæ dici debeant, ex dictis in promptu est probare. Determinant enim artificem ad opus exequendum ad sui similitudinem. Et cum *idea*, licet extrinseca sit rei, ut supra diximus, n. II, determinet tamen modum seu formam ipsius artificii, rationem ex hoc capite habet causæ *formalis*. Nihilominus potest reduci etiam ad causam *efficientem* et ad causam *finalem*. Ad causam efficientem, quatenus complet, ut ita dicam, causalitatem efficientis agentis intellectualis, quod sine *idea* careret principio proximo, non quidem activo, sed directivo actionis suæ. Ad causam finalem, quia agentis intellectualis scopus est inducere rei externæ similitudinem idealis exemplaris (1).

(1) *Causalitas* causæ exemplaris consistit *in determinatione ac directione virtutis effectivæ quatenus imprimentis in effectu similitudinem rationis, seu formæ qua agens operatur.*
Effectus ejus est ipsa forma effectus quatenus impressam

ARTICULUS TERTIUS

(46)

De causa materiali.

I. Notio generica causæ materialis. Quid generice intelligatur nomine causæ materialis, jam diximus (43, I), nempe est, *id ex quo aliquid fit*, cum insit; sicut marmor est causa materialis statuæ, quia *ex marmore* per actionem artificis fit statua. Causæ vero materiali vere competere, quamvis ignobiliori modo, rationem *causæ*, ex his quæ dicta sunt de causa in genere (41, I) constat. Et quia ex *materia* et *forma* efficitur *unum* resultans ex conjunctione utriusque, manifestum est rationem causalitatis *materiæ* in ejusdem entitatis immediata junctione cum forma consistere, ut de ipsius formæ causalitate dictum est (47, II). — Sumitur hic causa materialis positive et per se; et ideo cum Aristotele diximus *cum insit :* negative enim et per accidens dicitur quod ex *infigurato* fit *figuratum*, quando ex ligno fit statua; infiguratum autem non inest statuæ, ut patet. (S. Th. II, *Physic.*, lect. V, n. 3.)

II. De ordine inter materiam et formam. Ex his facile intelligitur inter formam et materiam talem esse ordinem, ut materia comparetur ad formam ut subjectum passivum, recipiens, denominabile, et forma comparetur ad materiam ut principium activum, receptum, et a se denominans compositum ex unione materiæ et formæ resultans. Ita corpus informatur ab anima, recipit animam, ab anima humana denominatur *humanum;* et homo per intellectum recipit doctrinam et denominatur doctus.

III. De duplici materiali causa. In comperto est causam materialem a philosophis latissime quandoque sumi ad significandum quodcumque subjectum quamcumque formam recipiens, sive hæc forma sit a subjecto realiter distincta, sive solummodo ratione : hinc dicimus voluntatem nostram esse subjectum virtutis, et genus esse ut causam materialem

---

affert similitudinem rationis (LEPIDI).

« La finalité est donc, disons-nous, lorsqu'on la considère du côté de la cause finale, un *attrait;* considérée du côté de la volonté qui subit l'attrait, elle est une *affection* passive. » MERCIER, *Ont.* 488.

respectu differentiæ specificæ. Quandoque vero strictiori sensu accipitur ad designandam veram materiam, et non solum metaphorice, sicut in primo casu. Hæc autem materia seu causa materialis, ex qua aliquid fit, alia dicitur *secunda*, alia vero *prima*. Materia *secunda* est substantia materialis in sua determinata natura jam constituta, ut marmor, aurum, corpus humanum, aliaque hujusmodi omnia in rerum natura existentia. Contra materia *prima* non est substantia, sed pars ex qua exurgit substantia materialis : quæ quidem materiæ primæ notio enucleatius explicabitur in Cosmologia.

CAPUT QUARTUM

DE CAUSA FINALI

Prologus. Ultimo denique loco, secundum ordinem præstitutum in Prologo ad quartum hunc Librum, dicendum est de causa finali. Et 1° *de ejus natura;* 2° *de ejus universalitate.* Causæ vero finali e diametro opponuntur *temeritas* seu *casus* ex una parte, et ex alia *fatum :* de quibus in posterioribus hujus Capitis articulis agere debemus.

ARTICULUS PRIMUS

(50)

De natura causæ finalis.

I. Finis notio. Finis varie sumitur : quidquid enim terminat aliquid, *finis* dicitur, quia *finit* rem ipsam. Impræsentiarum exclusive sumitur pro *objecto* quod allicit causam efficientem ad sui consecutionem, ita nempe ut, *objecto* illo consecuto, causa finiat, respectu ejusdem objecti, actionem suam, et in ejus possessione quiescat. Hinc philosophi insistentes huic vulgari notioni *finem* dixerunt, *id cujus gratia aliquid fit;* ita si cupit aliquis Romam videre, hujus desiderii explendi *gratia*, iter suscipit et Romam contendit; multa *ratione* honorandi Deum, colendi virtutem, fugiendi vitium homines probi suscipiunt (1).

(1) EXISTENTIAM CAUSARUM finalium in mundo negaverunt omnes *materialistæ* cujuslibet ætatis, quos sequuntur hodierni *positi-*

II. Finis in intentione et finis in executione. Finis varias subit divisiones, quas hic recensere summopere necessarium est, antequam ad quæstiones veniamus. — *Finis in ordine intentionis* est objectum prout apprehensum a facultate cognoscitiva et concupitum a facultate appetitiva; ut pecunia apprehensa et concupita ab avaro est *finis* intentus, voluntatem avari potenter excitans ad pecuniam ipsam consequendam. *Finis in ordine executionis* est ipsum objectum realiter obtentum a causa agente; ut pecunia realiter obtenta est finis avari in ordine executionis. — Patet igitur quod finis sub diversa ratione est simul *principium* agendi in ordine intentionis et *terminus* actionis in ordine executionis.

III. Finis CUJUS **et finis** CUI. Finis *cujus* est bonum quod agens consequi immediate per suas actiones intendit; sicut divitiæ sunt finis *cujus* negotiationum mercatorum. — Finis *cui* est suppositum vel persona *cui* bonum, seu finis *cujus* ab ipso agente destinatur; sicut divitiæ quas accumulare quærit mercator, qui est sapiens paterfamilias, ad filios ordinantur ab ipso. — Finis *cujus* quamvis in se spectatus sit finis, non est tamen revera nisi *medium* si consideretur in ordine ad finem *cui*.

IV. Finis ultimus et finis intermedius. *Finis ultimus* ille est quem volumus propter se, cetera vero propter ipsum; sic Deus est finis ultimus quem propter se justus appetit, et ad quem ordinat omnia virtutis ac religionis opera. — *Finis intermedius* est ille quem utique volumus, at non propter se, sed ut medium conducens ad finem ultimum : sicut justus affligit sensus propter virtutem, quæ ulterius ordi-

---

vistæ, semitas Darvin prementes, qui sua *theoria de evolutione* conatus est extirpare *omnem finalem tendentiam*, cui substituit *naturalem selectionem*.

Sed FINALITATEM esse in mundo probatur *experientia interna*. i. e. testimonio conscientiæ, quo scimus nos agere sub *influxu inclinationis* ad quædam objecta assequenda, licet sæpe numero contraria nobis videantur et quæ *terminant* actionem nostram cujus sunt *fines; experientia externa* qua in rebus mundi tam admirabilem invenimus operationum processum, qui aliter *sufficienter* non explicatur nisi in ipsis rebus admittamus tendentiam immanentem, finalem, et extra totum illum complexum ens quoddam ab ipso distinctum et totius universi ordinatorem. Unde ordo perennis, leges fixæ, aptatio infallibilis organorum ad functiones suas relativas, etc., aut sunt *finalitas* aut sine *finalitate* non concipiuntur. Ergo existunt causæ finales. Cf. HUGON et REINSTADLER. De Causis.

natur ad Deum consequendum; virtus igitur est finis intermedius justi. — Finis autem ultimus est vel *relative* ultimus, vel ultimus *absolute*. Primus propter se est volitus in aliquo determinato ordine rerum, cetera vero intra eumdem ordinem sunt volita propter ipsum; ita victoria est finis ultimus relativus belligerantium. — Finis ultimus *absolute* est ille quem voluntas appetit ut complementum ultimum cujusque desiderii et totius vitæ, et cetera omnia ad talem finem consequendum appetit et ordinat. Hujusmodi est suprema hominis beatitudo.

V. Finis principalis et finis secundarius. *Finis principalis* ille dicitur qui est objectum ab agente primario et directe intentum; sicut patriæ defensio est finis principalis militum. — *Finis secundarius* est objectum quod concomitanter et ex consequenti intenditur ab agente; ut honorificentiæ vel stipendia in voluntate militum.

VI. Finis operis et finis operantis. Hæc est principaliter attendenda inter finis divisiones. *Finis operis* ille est ad quam opus ab agente exercitum natura sua ordinatur; ut pauperum sublevatio est finis *operis* quod eleemosyna dicitur. — *Finis operantis* ille est quem agens sibi præfinit, sive finis coincidat cum fine *operis* sive non; sicut dans eleemosynam potest pro fine sibi proponere vel pauperum levamen, vel vanam gloriam, vel aliquid hujusmodi.

VII. Finis objectivus et finis formalis. *Finis objectivus* seu *finis qui* est ipsa res quam volumus, et quam agens consequi intendit; ut Deus est finis objectivus justorum. — *Finis formalis* seu *finis quo* est consecutio et possessio finis objectivi; ut possessio Dei est justorum finis *formalis*.

VIII. Finis naturalis et finis supernaturalis. *Finis naturalis* est quem agens propriis suæ naturæ viribus consequi potest; ut sanitas mediis naturalibus procurata. *Finis supernaturalis* est quem agens assequi non potest propriis suæ naturæ viribus, et ideo ad illum consequendum indiget supernaturalibus auxiliis; ita Deus visus in sua essentia, seu facie ad faciem, ut dici solet, est finis supernaturalis ad quem creatura rationalis non pervenit nisi per auxilium gratiæ Dei.

IX. Finis in ordine intentionis est vere et proprie causa. Consulto dico *in ordine intentionis :* hoc enim in ordine finis est principium antecedens actiones causæ, quam ipse finis movet; nam in ordine executionis, ut patet ex dictis, n. II, est effectus potius vel terminus actionis. Probatur

conclusio. Causa vera et realis illa dicenda est, quæ realiter influit in effectum, et a qua effectus ipse formaliter dependet, ita nempe ut sine ipsa effectus non haberetur. Patet ex dictis (41, I). Atqui hujusmodi est finis : nam ipse ut est apprehensus et volitus movet atque dirigit causam agentem ad agendum; quæ quidem non ageret si finis obtinendus non adesset. Ergo finis in ordine intentionis habet vere et proprie naturam causæ.

X. **Imo finis, qua ratione causa est, præstantior est ceteris causarum speciebus.** Et revera. Nullum agens ordinatum agit propter aliquid vilius consequendum, sed propter aliquid melius mediis adhibitis, et ex cujus consecutione agens intendit seipsum perficere. Igitur sicut finis ut intentus prior est causalitatis causæ efficientis exercitio, ita est perfectior eadem causa, quatenus hujus exercitium provocat. Causa vero efficiens nobilior est causis sive materialibus sive formalibus, quæ ab ipsa causa efficiente producuntur. Proinde, sicut finis nobilior est causa efficiente, prout hæc propter finem agit, ita a fortiori nobilior est causis materiali et formali. Unde merito S. Thomas, tum in II. *Physicorum*, Lect. V, tum in III et IV. *Metaphysicor.*, Lect. IV et Lect. III et IV, et alibi passim, dicit cum Aristotele, finem esse *quodammodo causam omnium aliarum causarum.*

XI. **De ratione causalitatis finis** IN ACTU PRIMO. Quæ hucusque de fine explanavimus, satis obvia sunt. Nonnulla modo addenda censemus ad majorem subjecti dilucidationem. Et imprimis de ejusdem finis ratione causandi, quam assero consistere in *bonitate* sive vera sive apparente ipsius finis. Nam finis movet causam agentem quatenus ab ipso agente est non solum cognitus sed etiam appetitus. Objectum autem appetitus seu voluntatis non est nisi bonum, aut verum aut ut tale apprehensum. Igitur causalitas finis in ejusdem bonitate aut vera aut apprehensa ut tali sita est : a qua si præscindas, rationem ipsius finis prorsus aufers. — Dixi *bonitatem* sive veram sive apprehensam ut talem : nam voluntas nihil appetit, nisi præeunte cognitione, quæ cum in nobis vera aut falsa esse possit, est causa cur voluntas in bonum vere aut falso ab intellectu existimatum inclinetur. — Quamvis autem ad rationem causalitatis finis requiratur apprehensio ejus bonitatis, non requiritur tamen ut ratio intrinsece constituens illam causalitatem in actu primo *remoto*, sed ut conditio extrinsecus requisita et ad constituendam causalitatem finis in actu primo *proximo* (44, X). Quod

hoc secundo modo requiratur, patet ex dictis, ex eo scilicet quod nihil est volitum quin præcognitum; probatur autem quod hæc præcognitio non sit intrinsece constituens ipsam finis causalitatem. Vis enim alliciendi et movendi causam agentem in bonitate finis consistit, ut dictum est; atqui hæc bonitas finis ipsi fini intrinseca est, et independens a nostra apprehensione: non enim res est bona quia apprehenditur, sed ideo apprehenditur ut bona, quia bona in se apparet. Non igitur apprehensio constituit intrinsece rationem causalitatis in fine, sed hæc *in actu primo* remoto ponitur præcise ratione suæ bonitatis.

XII. De finis causalitate in actu secundo. Jam alibi distinximus (44, X) causalitatem causæ in actu *primo* et in actu *secundo*. De actu *primo* in ordine ad finem jam dictum est in superiori numero. Causalitas vero finis in actu secundo in sui amore consistit excitato in causa agente. Etenim causalitas in actu secundo est ipsius causæ actio, qua mediante effectum producit. Atqui actio qua mediante finis effectum consequitur est sui amor quem causæ agenti sua bonitate inspirat : nisi enim hujusmodi amor a finis bonitate in agente excitaretur, nunquam agens moveretur ad finem ipsum consequendum. Igitur recte concludit S. Thomas, *Qq. Dispp.* De veritate, Qu. XXII, *De boni appetitu et voluntate*, Artic. II, quod, *sicut influere causæ efficientis est* agere, ita *influere causæ finalis est* APPETI *et* DESIDERARI. — At ne error hac in re obrepat, notandum est *amorem* dupliciter sumi : uno modo ut intelligitur quasi quædam immutatio facta in appetitu ab objecto amato, quatenus videlicet ut loquitur S. Thomas, I-II, Qu. XXVI, Art. II, *appetibile dat appetitui primo quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis.* In hac immutatione appetitus, seu complacentia appetibilis, quæ amor est, consistit causalitas causæ finalis. Alio modo sumitur *amor* pro motu illo vitali facultatis appetitivæ, sequente præfatam complacentiam, et ciente causam agentem ad agendum pro objecti amati consecutione : et hoc modo sumptus, amor non est causalitas finis ut patet, sed effectus ejus. Ad rem ipsemet Angelicus : *Appetibile movet appetitum faciens se quodammodo in intentione; et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum ut sit ibi finis motus, ubi fuit principium.* — *Ibid.* — Exinde facile colligitur motionem quæ tribuitur causæ finali non esse physicam sed moralem et metaphoricam; nam complacentiam illam sui excitatam a fine in agentis appetitu, quæ amor dicitur in primo sensu explicato, esse quid *morale alliciens* appetitum ad amandum, sumpto *amore* in secundo sensu, sed non *eliciens*

tamen hunc amorem nemo ambigit. Qua de re consuli potest Goudin. *Physic.*, P. I, Disp. II, Qu. V, Artic. III.

ARTICULUS SECUNDUS

(51)

De universalitate causæ finalis.

I. Quæstio prima. In superiori articulo de fine in genere disseruimus; sed inter philosophos quæstio movetur, utrum omne agens propter aliquem finem agat. Ad cujus evidentiam prænotare oportet, dupliciter aliquod agens agere posse propter finem, *executive* solummodo vel etiam *apprehensive*. — *Executive* tantum agit propter finem quod finem nullo modo apprehendit vel apprehendere potest; ita sagitta, missa a sagittante, in signum quidem tendit, sed signum non apprehendit, et non *se movet* sed *movetur* et dirigitur a sagittante. — *Apprehensive* vero in finem tendit agens illud, quod in finem *apprehensum* movet sese; ut canis repetens domini sui domum, homo iter arripiens, ex appetitu proprio moventur, excitato ab apprehensione domus, vel ab itineris scopo. — Quamvis autem bruta et homines, ut in allato exemplo videre est, *apprehensive* in finem tendant, maxima tamen est inter bruta et homines differentia. Bruta enim apprehendunt quidem finem, sed de ejusdem finis bonitate judicium ferre non queunt, et multo minus ratiocinantur de mediis aptioribus ad finem ipsum consequendum. Nulla enim ratione equus judicat excolendum esse agrum ad fœnum quod appetit consequendum. Homo vero et de bonitate finis judicat, et inter media quæ sibi offeruntur, aptiora determinat et libera eligit voluntate. Unde corpora destituta cognitione mere *executive* agunt propter finem; bruta animantia apprehensive quidem sed *ex instinctu;* substantiæ vero rationales *elective*. Nos impræsentiarum abstrahimus a modo, et dicimus :

II. Omne agens agit propter aliquem finem. Probatur. Omne agens agit ad aliquem effectum determinate producendum. Atqui determinatus iste effectus habet rationem finis. Ergo omne agens agit propter aliquem finem. — *Minor* certa est : nam illud propter quod agens agit, habet essentialiter finis rationem, ut ex dictis in articulo præce-

denti abunde constat. — *Major* probatur. Si enim agens non tenderet ad effectum determinatum producendum, omnes effectus ei essent indifferentes. Quod autem indifferenter se habet ad multa, non magis unum eorum producit quam aliud : unde ab indeterminato ad opposita vel diversa, non sequitur aliquis effectus nisi per aliquid ad unum eorum determinetur. Si igitur agens non tenderet ad effectum determinatum, nihil produceret, seu nullo modo ageret. Omne igitur agens tendit ad aliquem determinatum effectum. — *Contra Gentes*, Lib. III, Cap. II, n. 7.

III. Imo omne agens agit propter aliquem ultimum finem. Est corollarium præcedentis propositionis. Etenim omne agens agit propter aliquem finem. Iste autem finis aut est ultimus, aut intermedius (50, IV). Non datur tertium. Si est ultimus, habemus quod volumus. Si est intermedius, est propter alium finem *(ibid.)*. Non autem possunt esse omnes fines intermedii, quia cum sint intermedii præcise propter ultimum, hoc ultimo subtracto, neque ipsi fines intermedii darentur; et consequenter agens nullo modo ageret. Omne igitur agens agit propter aliquem ultimum finem.

IV. Quæstio altera. Sed secundo quæritur, quænam utilitas scientiis contingere possit ex cognitione finis ad quem agens aliquod tendere deprehenditur : seu, utrum per causas finales cognosci tuto possit rerum natura agentium propter finem. Refert S. Thomas ex Aristotele, III. *Metaphysicorum*, Lect. IV, quod quidam antiqui sophistæ, ut Aristippus, qui fuit de secta Epicureorum, omnino neglexerunt demonstrationes, quæ sunt per causas finales. Hæc Epicureorum sententia non displicuit Baconi a Verulamio, qui in suis, *Impetus philosophici*, ut De Maistre refert in suo Opere, *Examen de la philosophie de Bacon*, Cap. VI, scribit : « Epicurum adversus causarum (ut loquuntur) per intentiones et fines explicationem disputantem, licet pueriliter et philologice, tamen non invitus audio. » Et in alio Opere, *De augment. scient.*, apud ipsum de Maistre, Op. et loc. cit., exprobrat Platoni quod, *in causis finalibus operam trivit et eas perpetuo inculcavit :* nam juxta ipsum Baconem *(ibid.)*, causæ finales sunt in scientiis, *instar remorarum, uti fingunt, navibus adhærentium*. Hujus baconianæ opinionis insimulatur a quibusdam etiam Cartesius, eamque plus minusve contra Scholasticos defendunt recentiores physici.

V. Prænotamen ad quæstionis solutionem. Ut autem in hac quæstione, sicut et in ceteris fere omnibus, quæ agitatæ

sunt et agitantur in scholis inter antiquos recentioresque philosophos, unicuique suum tribuatur, fatendum est apud Scholasticos inferioris subsellii causas finales in scientificis demonstrationibus non semper prudenter, non raro etiam ridicule adhiberi. Quis enim eos ferat cum non ex finibus quos res vere habent, sed quos sibi ad arbitrium fingunt, arbitrantur de ordine rerum physicarum earumque natura veluti ex cathedra decernere? Quasi scilicet *a priori* possint hæc facta naturalia et contingentia definiri per principia abstracta, abstrusa et sæpe confusa, et non potius observatione et experientia, ut a factis ad regulas generales stabiliendas assurgamus. Exprobramus igitur præfatis Scholasticis abusum causarum finalium; attamen harum usum ut rationabilem sustinemus intra proprios limites. Unde sequentem propositionem ponimus :

VI. Ex fine, rebus præstituto et indubie cognito, solidum argumentum desumi potest ad earum rerum naturam determinandam. Nota terminos propositionis, *ex fine rebus præstituto*, non a nobis sed a naturæ Auctore, et *indubie cognito*, non ad arbitrium conficto. Probatur thesis. Quoties res aliqua ad finem aliquem ordinatur, res ipsa est ut *medium* quod natura sua debet esse fini obtinendo proportionatum, sicut mensuratum debet suæ mensuræ proportionari. Sed ex natura mensuræ indubie cognitæ optime sumitur argumentum ad determinandam naturam mensurati. Cognito ergo indubie fine, optime ex ipso ducitur argumentum ad cognitionem rerum, quæ natura sua in finem illum ordinantur.

Objectiones adversariorum non adduco, quia non contra usum sed contra abusum argumentorum ex causis finalibus militant; thesis autem intra limites quibus a nobis conclusa est, a nemine, si materialistas excipias, negari potest. — Videsis nostram *Propædeut.* Lib. I, Cap. III. n. VI (1).

---

(1) Effata scholastica :

1. *Qui vult finem, vult et media ad illum* secus voluntas esset inefficax.

2. *Finis est primus in intentione, postremus in executione.* Quia processus logicus idearum non est idem cum processu ontologico rerum et operationis; imo est inversus. — Finis enim quod primo est volitum est illud quod ultimo attingitur.

3. *Qualis unusquisque est talis finis videtur ei*; seu dispositio subjectiva appetitis sæpe facit ut videatur bonum quod ei proponitur;

ARTICULUS TERTIUS

(52)

De fortuna et casu.

I. Casus et fortunæ notio. *Casus* definitur, *effectus secutus præter ordinem vel intentionem causæ efficientis*, quatenus nempe causa efficiens producit effectum præter ordinem suum, vel præter intentionem a fine consueto deficit. Si hæc deficientia contingat inopinate causis liberis, dicitur *fortuna :* si causis necessariis, dicitur casus. Hinc casualis dicitur occisio hominis a sagitta, quæ a scopo in quem a sagittante dirigitur, aliquo superveniente non præviso impedimento, divertit : *fortunatus* dicitur homo, qui sepulchrum fodiendo thesaurum reperit. Quare? Nempe quia sagitta, præter intentionem et actionem directivam sagittantis, scopum non intentum consequitur; et similiter quia fossio sepulchri in intentione fodientis non est ordinata ad the-

---

vel e contra secundum quod appetens est bonum vel malum.

4. *Finis est in operabilibus sicut principium in speculabilibus :* patet ex dictis de principiis demonstrationis et de finibus.

SCHOLION. *De harmonia rerum.*

Ex activitate, coordinatione et subordinatione causarum exurgit in mundo mirabilis ordo qui ab Augustino (De Civ. Dei, L. XIX c. 13) definitur, *parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio;* et a Div. Thoma passim definitur : *Recta ratio rerum ad finem.* Unde in ipso duo sunt : *multiplicitas* et *unitas*, varietas et harmonia quæ non explicandur in sententia fatalistarum (art. 4), nec in sententia Mechanicismi, juxta quam non essent nisi causæ efficientes et vires indifferentes absque *finalitate* et absque Ordinatore. Ipsis scientiis naturalibus nec non Cosmologiæ hæc adversantur; ac proinde irrationabilia sunt. Remanet igitur theoria *finalistica* Aristotelis et S. Thomæ, salvans ordinem mundi ejusque stabilitatem et simul cum omnibus postulatis rationis cohærens et quadrans. (Mercier. *Ontologie.* 256 seqq.) Hic ordo particularis et universalis theleologicus nobis revelat intelligentiam quandam supremam, ad quam officium scientiæ est ascendere; insuper manifestat rerum *perfectionem* quæ in finis assecutione maxime consistit (Zigliara, Ontol. 20) et *pulchritudinem* mundi (Ont., 19), quæ splendor perfectionis rerum optime dici potest.

Lo primo ed ineffabile Valore,
Quanto per mente o per loco si gira,
Con tanto ordine fé, ch' esser non puote,
Senza gustar di Lui chi ciò rimira.

DANTE. Paradiso, X, 2-6.

sauri inventionem; quam proinde alibi (44, IV) diximus effectum *per accidens*.

II. **Quæstio.** Antiquis Epicureis ceterisque materialistis opinio institit casum fortunamque non solum possibilia esse, verum etiam de facto dari. Unde ponebant mundum corporeum, quem solum, rejectis substantiis spiritualibus, admittebant, ortum fuisse ex fortuito ac temerario atomorum concursu. Antiquorum materialistarum errorem secuti sunt materialistæ recentiores seu positivistæ, ut Comte, Stuart Mill, Littré, aliique, de quibus mentionem pluries jam fecimus. Sed et Beguelin, in dubium revocato causalitatis principio (42, II et seqq.), possibilitatem temeritatis et casus admisit; aliquid enim fieri sine causa, et casu fieri, idem prorsus est. Contra hos omnes sit :

III. **Casus admittendus est respectu causarum secundarum, sed respectu Causæ primæ est impossibilis.** Prima pars thesis vix ac ne vix quidem probatione indiget : factis enim quotidianis, et facili ratiocinatione ostenditur. *Factis quotidianis :* multa enim nobis et inopinato eveniunt, et non solum præter sed etiam contra nostram intentionem actiones nostræ sortiuntur effectus contrarios iis quos producere intendimus. — *Ratione* etiam : nam causæ secundæ particulares sunt et finitæ, quæ non omnia possunt, ac ideo ab aliis causis possunt impediri ne proprium effectum consequantur; et consequenter aliquid præter ordinem et intentionem eis contingere potest.

Probatur secunda pars. Casus est effectus productus extra ordinem et intentionem causæ efficientis, ut ex definitione casus est manifestum. Atqui impossibile omnino est quod aliquis effectus exeat extra ordinem et intentionem Causæ primæ. Igitur respectu Causæ primæ casus est omnino impossibilis. — Probatur *minor*. Causa prima est infinita atque ideo non potest ob defectum virtutis ab effectu producendo deficere, vel ab aliis causis impediri, sicut accidit causis secundis, ut dictum est; insuper Causa prima est universalissima, ita nempe ut sub illa ordinentur causæ secundæ et illius virtute agant. Non solum ergo Causa prima in agendo a causis secundis nequit impediri, verum etiam causæ secundæ per suas actiones in id tendunt ad quod a Causa prima moventur et diriguntur. — S. Th. P. I. Qu. XXII, Artic. II, et Qu. CXVI, Artic. I.

Fratres O. P. — Studentes 1930 — Pater Thomas Ya
O.P. S.T.L., Ph.D.
Laurentius Longinetti,
Aquinas Nolton,
Raphael McNamara,
Stephanus McEachern,
Paulus McCann,
Josephus Agius, Thomas McElhaton,
Patricius Kelly,
Vincentius McEachen,

Dec. 17-1930

ARTICULUS QUARTUS

(53)

De fato.

I. Fati notio. *Fatum* vox est ancipitis sensus. — Fatalistæ sumunt fatum pro necessitate ineluctabili agendi determinatos effectus omnibus et singulis causis, Deo non excepto, imposita : quo sensu loquitur Seneca, *Naturalium Quæstionum*, lib. III, cap. XXXVI, cum vocat fatum, *necessitatem omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpat.* In hoc sensu fatalistæ omnia in mundo evenire dicunt. — Alii vero saniori sensu accipiunt *fatum* pro dispositione, secundum quam res contingentes constanter Dei ordinationem exequuntur. Quo sensu dixit Boëtius, *De Consolatione*, Lib. IV, *Prosa* VI, fatum esse immobilem rerum mobilium dispositionem, per quam providentia divina suis quæque ordinibus nectit; seu juxta S. Thomam, *fatum* est *ordinatio secundarum causarum ad effectus divinitus provisos*,, P. I, Qu. CXVI, Artic. IV. — Declarato duplici sensu quo *fatum* sumi potest, quæstio, utrum detur vel dari possit fatum, dupliciter solvitur. Sit primum.

II. Fatum, sumptum pro ineluctabili necessitate omnium causarum, dari omnino repugnat. Probatur. Fatum sumptum pro ineluctabili necessitate omnium causarum, est series agentium sine libertate : necessitas enim e diametro libertati opponitur. Atqui omnino repugnat omnia agentia libertate frustrari : libertas enim est dos cujuslibet substantiæ intellectualis, et quæ essentialiter in Deo est, ut late probabitur in Psychologia et Theologia, ubi excutiemus etiam fatalistarum sophismata. Ergo fatum, sumptum pro universali necessitate omnium causarum, dari omnino repugnat.

III. Fatum, sumptum pro divina ordinatione causarum secundarum, est revera admittendum, non quidem in Deo sed in ipsis causis secundis. Hæ restrictiones sunt attendendæ : nam voluntas divina ipsa creat et ordinat res, et libere creat et ordinat, sed nonnisi causaliter et improprie dicitur *fatum :* fatum enim, secundum quod proprie et essentialiter accipitur, non est divina voluntas disponens, sed dispositio, seu series, id est, ordo causarum secundarum, ut sapienter notat S. Thomas, P. I. Qu. CXVI. Artic. II. ad 1.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

— Facta hac declaratione, probatur thesis ratione, quam in eodem Artic. habet Angelicus. Divina providentia per causas medias seu creatas suos effectus exequitur, ut constat ex iis omnibus quæ contra occasionalismum late disseruimus (Artic. 45). Ipsa igitur ordinatio causarum secundarum seu creatarum dupliciter potest considerari. Uno modo secundum quod est in ipso Deo, et hoc sensu illa ordinatio non est *fatum*, ut dictum est in prænotamine, sed *providentia*. Alio modo secundum quod est in ipsis causis secundis, et in hoc sensu dicitur *fatum*, ut jam diximus, et est ordinatio secundarum causarum a Deo dependenter ad aliquos effectus producendos. Atqui revera omnes causæ secundæ subduntur divinæ ordinationi : secus essent *a se* et a Deo independentes; quod repugnat. Igitur fatum sumptum pro divina ordinatione causarum secundarum est revera admittendum, non quidem in Deo, sed in ipsis causis secundis.

Ceterum, quia *fatum* æquivoce sumi potest, cum maxima cautela loqui debemus, ne ansam præbeamus fatalistis usurpandi fatum pravo sensu, contra humanam divinamque libertatem (1).

(1) Sic igitur per Logicam et Ontologiam generalem ordinem cognitionis et ordinem realitatis mirabiliter in philosophia nostra jungimus et in ipso intellectus quiescit. Apparet necessario « unam esse causam quæ effecerit et ordinem cognoscendi et ordinem essendi. Nam entia quæ cognoscunt, ex intima sua natura habent ut cognoscant quæ *sunt;* et entia quæ sunt ex intima sua natura habent ut cognosci possint ab iis quæ *facultatem cognoscitivam habent*. Causa ergo quæ auctor est essendi, debet etiam esse causa cognoscendi. Hanc veritatem ut agnoscamus per universam logicam (et ontologiam) adducimur. Hæc veritas præceptis logicis (ontologisque) robur dat et lumen. Reiecta hac veritate, totum cognitionis negotium, in quo explicando versatur logica, *(et totus realitatis valor in quo investigando versatur metaphysica generalis)*, nihil est nisi vanum mentis ludibrium atque naturæ humanæ indignitas. PESCH. Inst. Logic., vol. III, p. 396.

FINIS ONTOLOGIAE

INDEX

PRAEFATIO XV

DE PHILOSOPHIA

IN GENERE

I. Philosophi et philosophiæ vocabula. — II. Philosophiæ notio. — III. Philosophiæ divisio. — IV. Excellentia philosophiæ. — V. Utilitas et necessitas philosophiæ. — VI. Causa ex qua orta est philosophia. — VII. Dispositiones subjectivæ ad recte philosophandum. — VIII. In tradendis philosophciis disciplinis incipiendum est a Logica. 1

LOGICA

PROLEGOMENA

I. Ars hominibus propria. — II. Ars et scientia logica. — III. Logicæ objectum. — IV. Logicæ definitio. — V. Logicæ divisio. — VI. Altera divisio Logicæ. — VII. Discrimen inter Dialecticam et Sophisticam. — VIII. Studium Logicæ necessarium. — IX. Aristotelis in Logicam Tractatus. — X. Monitum. — XI Dialecticæ partitio 7

LOGICAE

PARS PRIMA.

SEU DIALECTICA

LIBER PRIMUS

DE SIMPLICI APPREHENSIONE ET PRIMIS ELEMENTIS HUMANARUM COGNITIONUM

Prologus. 11

CAPUT PRIMUM

DE MENTIS ACTIBUS RESPECTU IDEARUM

Prologus. 12

Art. I. *De ideis.* — I. Sensibilis cognitionis vocabulis actiones mentales non incongrue designamus. — II. Oculus animæ cogitare, cognoscere. — III. Simplex mentis apprehensio. — IV. Idearum notio logica. — V. Idearum distinctio a sensuum phantasmatibus. — VI. Idearum notæ. — VII. Conceptus formalis et conceptus objectivus. — VIII. Corollaria. . . . . *Ib.*

Art. II. *De idearum divisionibus ex parte objectorum.* — I. Causæ, ex quibus generales idearum divisiones oriuntur. — II. Idea positiva et negativa. — III. Quo sensu idea negativa intelligenda sit. — IV. Idea simplex et composita. — V. Opinio Lockiana. — VI. Idea geometrica et pura. — VII. Idea concreta et abstracta. — VIII. De triplici concreto. — IX. Idea realis et logica. 15

Art. III. *De idearum divisione ex amplitudine objecti.* — I. Ratio articuli. — II. Idea singularis et idea universalis. — III. Idea particularis, collectiva et distributiva. — IV. Ideæ particulares determinatæ et indeterminatæ. V. De idea collectiva ut est ab universali distributiva distincta. — VI. Ideæ univocæ et analogæ. — VII. Ideæ analogæ analogia attributionis et habitudinis. — VIII. Ideæ æquivocæ non dantur 18

Art. IV. *De ideis transcendentalibus ac de divisione universalis univoci.* — I. Ratio articuli. — II. Notio transcendentalium. — III. Divisiones universalium. — IV. Corollaria. — V. Prædicabilia. — VI. Quo sensu genus dicatur pars speciei. 21

Art. V. *De coordinatione universalium.* — I. Ratio articuli. — II. Generum coordinatio. — III. Coordinatio specierum. — IV. Differentiarum coordinatio. — V. Formulæ loquendi in Scholis. — VI. Undenam in nobis notiones specificæ et genericæ. — VII. Arbor porphyriana. . . 25

Art. VI. *De categoriis.* — I. Quid categoriæ significent. — II. Distinctio prædicamentorum a prædicabilibus. — III. Duo suprema genera rerum. — IV. Accidens prædicamentale et accidens prædicabile. — V. Novem accidentium genera. — VI. Auctor Libri de arte cogitandi. — VII. Explicantur prædicamenta. 29

Art. VII. *De idearum divisionibus ex modo repræsentandi.* — I. Ratio articuli. — II. Divisio generica. — III. Idea clara et idea obscura. — IV. Idea distincta et idea confusa. — V. Idea completa et idea incompleta. — VI. Idea adæquata et inadæquata. — VII. Corollarium. — VIII. Philosophiæ Lugdunensis opinio de ideis obscuris. — IX. Adæquatio idearum juxta recentiores et juxta antiquos. 34

Art. VIII. *De divisione idearum inter se collatarum.* —

I. Ratio articuli. — II. Fontes divisionis genericæ idearum inter se collatarum. — III. Ideæ indenticæ et diversæ. — IV. Expenditur opinio de intrinseca et extrinseca identitate vel diversitate idearum. — V. Ideæ associatæ. — VI. De multiplici nexu in ideis associatis. — VII. Ideæ sociabiles et insociabiles. — VIII. De oppositionis speciebus. — IX. De postprædicamentis antiquorum. 39

ART. IX. *De ideis in ordine ad mentem.* — I. Ratio articuli. — II. De triplici modo cognoscendi res. — III. Idea directa et idea reflexa. — IV. Recensentur aliæ denominationes actuum mentis. 43

CAPUT SECUNDUM

DE IDEARUM SIGNIS

Prologus. 46

ART. I. *De natura terminorum.* — I. Signi notio. — II. Signorum species. — III. De signo artificioso, certo et incerto. — IV. De signis logicis. — V. Signi logici definitio. — VI. Corollaria. — VII. Necessitas vocabulorum et scripturæ. — VIII. Vocis notio ejusdemque discrimen a locutione. — IX. Vocum species. — X. De nomine et verbo. — XI. De scriptura. — XII. De gestibus. . . . . *Ib.*

ART. II. *De divisionibus et proprietatibus terminorum.* — I. Termini sequuntur idearum divisiones. — II. De obscuro et ambiguo, seu æquivoco. — III. Terminorum proprietates. — IV. Suppositionis natura. — V. Suppositionis species. — VI. De suppositione universali. — VII. De suppositione distributiva. — VIII. De descensu a termino communi ad individua subjecta. — IX. Regulæ ad discernendam naturam suppositionis. 53

ART. III. *De reliquis terminorum proprietatibus.* — I. De appellatione, ejusque speciebus. — II. Regulæ ad discernandas appellationes. — III. Ampliatio. — IV. Restrictio. — V. Alienatio. — VI. De recto terminorum usu. — VII. De scholasticis vocabulis. 57

CAPUT TERTIUM

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE

Prologus. 61

ART. I. *De fontibus obscuritatis nostrarum idearum, deque mediis ad ideas perficiendas idoneis.* — I. Fontes naturales obscuritatis vel confusionis idearum. — II. Fontes voluntarii confusionis idearum . . . . . *Ib*

ART. II. *De definitionis natura et speciebus.* — I. Definitionis notio. — II. Definitio nominalis et definitio realis. — III. Definitio intrinseca et extrinseca. — IV. Definitio essentialis et descriptiva. — V. De his quæ proprie a nobis definiri possunt. 63

ART. III. *De legibus definitionis.* — I. Ratio articuli. — II. Prima regula definitionis. — III. Secunda regula definitionis. — IV. In rerum definitionibus abstinendum est a metaphoricis locutionibus. — V. De conversione in definitionibus. — VI. De modo conficiendi definitiones. 66
ART. IV. *De divisione.* — I. Prænotamen. — II. Notio et divisio generica totius. — III. Divisio totius actualis. — IV. Divisio totius metaphysici. — V. Divisionis notio et species. — VI. De multiplici divisione accidentali. — VII. De multiplici divisione potentiali. 69
ART. V. *De legibus divisionis.* — I. Ratio articuli. — II. Leges divisionis. — III. Discretio in subdivisionibus inducendis. — IV. Duæ difficultates contra assignatas leges divisionis. 72

LIBER SECUNDUS

DE JUDICIO

Prologus 75

CAPUT PRIMUM

DE NATURA ET SPECIEBUS JUDICII

Prologus . . . . . *Ib.*
ART. I. *De natura judicii.* — I. Judicii notio, et ejus elementorum scholastica denominatio. — II. De conditionibus prærequisitis ad judicium efformandum. — III. Quæstio. — IV. Judicii explicatio philosophica. *Ib.*
ART. II. *De variis judiciorum speciebus.* — I. Radix duplicis divisionis genericæ nostrorum judiciorum. — II. Divisio judicii ex parte subjecti. — III. Radix diversitatis judiciorum ex parte objecti. — IV. Judicia immediata et judicia mediata. — V. Kantii judicia synthetica a priori. — VI. Kantii doctrina refutatur 78

CAPUT SECUNDUM

DE PROPOSITIONIS NATURA EJUSQUE SPECIEBUS

Prologus 81
ART. I. — *De propositionis natura.* — I. Propositionis notio. — II. Corollarium. — III. De terminis in propositione explicite vel implicite positis. — IV. De propositione naturali innaturali et præter naturam 82
ART. II. *De divisionibus propositionum ratione materiæ, formæ et qualitatis.* — I. Elementa propositionis. — II. Divisio propositionis ratione materiæ. — III. Probatur allata divisio ratione sancti Thomæ. — IV. De quatuor modis dicendi seu prædicandi *per se*. — V. Propositionis divisio ex parte formæ. — VI. Natura divisionis pro-

positionis in affirmativam et negativam. — VII. Divisio propositionis ex parte qualitatis. — VIII. De variis modis quibus per propositionem enuntiatur veritas vel falsitas judicii. 84

Art. III. *De divisionibus propositionis ratione quantitatis seu extensionis.* — I. Propositionis extensio a subjecti extensione exclusive desumitur. — II. Propositionis ratione extensionis divisio. — III. De extensione propositionis indefinitæ. — IV. De triplici distributione subjecti. — V. De extensione prædicati in propositione. — VI. Exceptiones. — VII. De comprehensione prædicati in propositione. 89

CAPUT TERTIUM

DE PROPOSITIONIBUS COMPOSITIS ET MODALIBUS

Prologus 93

Art. I. *De propositionibus re et apparentia compositis.* — I. Propositionis simplicis et compositæ notio. — II. Species propositionis compositæ. — III. Propositio copulativa. — IV. Propositio causalis. — V. Propositio discretiva. — VI. Propositio relativa. . . . . *Ib.*

Art. II. *De propositione hypothetica.* — I. Notio propositionis hypotheticæ. — II. Species propositionis hypotheticæ. — III. Propositio hypothetica disjunctiva. — IV. Discrimen inter propositionem disjunctivam et conditionalem. — V. De propositionibus disjunctivis proprie et improprie acceptis. — VI. De propositione hypothetica conjunctiva 95

Art. III. *De propositionibus apparenter simplicibus et realiter compositis.* — I. Notio propositionis occulte compositæ — II. Species propositionis exponibilis. — III. Propositio exclusiva. — IV. Propositio exceptiva. — V. Propositio comparativa. — VI. Propositio reduplicativa. — VII. Differentia inter vocabula *reduplicative* et *specificative* 98

Art. IV. *De propositionibus apparenter compositis.* — I. Notio propositionis complexæ. — II. Propositio incidens. — III. Veritas propositionis incidentis. — IV. Propositiones incidentes explicativæ et restrictivæ. — V. Quo sensu propositio incidens restrictiva enuntiet veritatem vel falsitatem 101

Art. V. *De propositionibus modalibus.* — I. Notio propositionis absolutæ et propositionis modalis. — II. Quatuor termini, quibus constituitur propositio modalis. — III. Definitiones. — IV. Fusior explicatio propositionis modalis. 102

CAPUT QUARTUM

DE PROPOSITIONIBUS AD INVICEM COMPARATIS

Prologus 104

Art. I. *De oppositione propositionum.* — I. Oppositionis propositionum notio. — II. Corollaria. — III. Oppositionum species. — IV. Litteræ designantes quantitatem et formam propositionum. — V. Leges oppositionis contradictoriæ. — VI. Leges oppositionis contrariæ. — VII. Leges oppositionis subcontrariæ. — VIII. Oppositiones in propositionibus compositis et modalibus 105
Art. II. *De propositionum conversione.* — I. Conversionis notio. — II. Conversionis modi. — III. Corollaria. — IV. Utilitas et ratio conversionis propositionum. . . . 110
Art. III. *De æquipollentia propositionum.* — I. Æquipollentiæ notio. — II. Præcepta ad habendas propositiones æquipollentes. — III. De subcontrariis 112

LIBER TERTIUS

DE RATIOCINIO

Prologus 114

CAPUT PRIMUM

DE SYLLOGISMO

Prologus 115
Art. I. *De ratiocinii natura.* — I. Ratiocinii notio. — II. Definitiones. — III. Corollaria. — IV. Ratiocinii species. — V. Exemplum. — VI. Ratiocinii canones generales . . . . . *Ib.*
Art. II. *De natura syllogismi.* — I. Syllogismi notio. — II. Principia quibus nititur syllogismus. — III. Altera syllogismi notio. — IV. Principia quibus nititur syllogismus, hoc secundo modo consideratus. — V. Sententiæ philosophorum conciliantur. — VI. Definitiones . . 118
Art. III. *De legibus syllogismi.* — I. Ratio articuli. — II. Syllogismi leges. — III. Declarantur regulæ terminorum. — IV. De medio termino singulari. — Declarantur regulæ propositionum syllogismi 120
Art. IV. *De figuris syllogismi.* — I. Figuræ syllogisticæ notio. — II. De triplici figura syllogismi. — III. De quarta figura syllogismi. — IV. De figurarum perfectione. — V. Leges pro singulis figuris. — VI. Declarantur leges suprapositæ 123
Art. V. *De modis syllogismi.* — I. Ratio articuli. — II. Modi syllogistici notio. — III. Primæ partis problematis solutio. — IV. Solutio secundæ partis problematis. — V. Modi legitimi primæ figuræ indirectæ. — VI. Scholasticorum versus. — VII. De versibus scholasticis. — VIII. De quarta figura syllogismi. — IX. De reductione omnium modorum ad modos primæ figuræ. — X. De probatione syllogismorum. — XI. De inventione medii 127

CAPUT SECUNDUM

DE SYLLOGISMI SPECIEBUS

Prologus 138
ART. I. *De syllogismo simplici et composito.* — I. Syllogismus scholasticus et oratorius. — II. Syllogismus simplex et syllogismus compositus. — III. Species syllogismi primo modo compositi. — IV. Syllogismi conditionalis notio. — V. Syllogismus disjunctivus. — VI. Syllogismus conjunctivus . . . . . *Ib.*
ART. II. *De reliquis syllogismi speciebus.* — I. Reliquæ syllogismi species. — II. Enthymema. — III. Epicherema. — IV. Dilemma. — V. Leges Dilemmatis. — VI. De dilemmate complexo. — VII. Sorites. — VIII. Leges Soritis. — IX. De polysyllogismo 141

CAPUT TERTIUM

DE INDUCTIONE

Prologus 146
ART. I. — *De natura et speciebus inductionis.* — I. Inductionis notio. — II. Inductio proprie argumentativa. — III. Experientia, observatio, experimentum. — IV. Inductio Socratica et Rhetorica. — V. Inductio completa et incompleta. — VI. Processus inductivus. — VII. Inductionis vis nulla est sine syllogismo . . . . . *Ib*
ART. II. *De legibus inductionis.* — I. Leges inductionis completæ. — II. Leges inductionis incompletæ 151

CAPUT QUARTUM

DE SYLLOGISMO IN ORDINE AD MATERIAM

Prologus 152
ART. I. *De diversis mentis statibus respectu veritatis.* — I. Quid sit veritatem consequi. — II. Certitudinis notio. — III. Certitudo subjectiva et certitudo objectiva; immediata et mediata; metaphysica, physica et moralis. — IV. De gradibus certitudinis. — V. Ignorantia. — VI. Ignorantia radicaliter in nobis oritur vel ex limitatione intellectus cognoscentis vel ex ipsa objecti obscuritate. — VII. Error. — VIII. Opinio. — IX. Dubitatio. — X. Dubitatio positiva et dubitatio negativa. — XI Corollarium. — XII. Conclusio generalis articuli. . 153
ART. II. *De syllogismo demonstrativo.* — I. Demonstrationis notio. — II. Corollaria. — III. Scientia. — IV. Corollaria. — V. De propositionibus *per se notis et prioribus* quoad se et quoad nos. — VI. Demonstratio *propter quid* et *quia*. — VII. De discrimine inter demonstrationem *propter quid* et demonstrationem *quia*.

— VIII. Demonstratio *a priori* et *a posteriori*. — IX. Demonstratio *directa* et *indirecta*. — X. Demonstratio *pura*, *empirica* et *mixta*. — XI. Demonstratio absoluta et demonstratio relativa, seu ad hominem. — XII. Quo pacto omnis demonstratio reducatur ad demonstrationem *propter quid* vel *quia* 158
ART. III. *De syllogismo probabili*. — I. Descriptio triplicis processus rationis humanæ ex Divo Thoma. — II. Probabilitatis notio. — III. De gradibus probabilitatis. — IV. Syllogismi probabilis notio. — V. Monitum adolescentibus 165
ART. IV. *De syllogismo sophistico*. — I. Syllogismi sophistici notio. — II. Divisio generica syllogismi sophistici. — III. De fallaciis ex parte dictionis. — IV. De fallaciis ex parte rerum, seu extra dictionem. 169

CAPUT QUINTUM

DE METHODO PHILOSOPHANDI

Prologus. 176
ART. I. *De methodo in genere*. — I. Methodi divisio. — II. Regulæ methodi in genere. — III. Regulæ methodi syntheticæ. — IV. Regulæ methodi analyticæ . . . 177
ART. II. *De methodo addiscendi per se et docendi alios*. — I. Methodus scholastica. — II. Scholasticorum vindiciæ. — III. Methodus S. Thomæ. — IV. Methodus Wolfiana 181
ART. III. *De methodo disputandi*. — I. Methodus disputandi describitur. — II. Leges servandæ in disputationibus scholasticis. — III. Utilitas disputationum scholasticarum 187

LOGICAE

PARS ALTERA

SEU CRITICA

Prologus. 191

LIBER PRIMUS

DE POSSIBILITATE CONSEQUENDI CERTITUDINEM

Prologus. 192

CAPUT UNICUM

DE SCEPTICISMO

Prologus. . . . . *Ib.*

ART. I. *De actibus quibus mens nostra veritatem consequitur.* — I. Veritas logica per simplicem apprehensionem: 1° a mente habetur quidem; 2° sed imperfecto modo. — II. Objectio solvitur contra secundam partem conclusionis. — III. Mens nostra simpliciter apprehendens : 1° est semper vera *per se;* 2° at *per accidens* potest ipsi inesse falsum. — IV. Veritas vel falsitas logica plene et perfecte habetur per judicium. — V. De conformitate requisita ad veritatem logicam 193

ART. II. *De scepticismo absoluto.* — I. De certitudine vulgari et philosophica. — II. Quæstionis definiendæ natura. — III. Nonnulla historice de antiquis Scepticis. — Pyrrhonismus. — Academici. — IV. Scepticismus absolutus est intrinsece absurdus. — V. Cum sceptico absoluto universali nulla logice institui potest disputatio. — VI. Solvuntur Scepticorum objectiones. 199

ART. III. *De scepticismo universali hypothetico.* — I. Quæstio. — II. Cartesius. — III. Prænotamina quædam. — IV. Methodus cartesiana rationabiliter admitti nullatenus potest. — V. Defensio SS. Augustini et Tho- [illegible] 208

LIBER SECUNDUS

DE MEDIIS ASSEQUENDAE VERITATIS SEU DE CRITERIIS

Prologus 213

CAPUT PRIMUM

DE CRITERIIS SUBJECTIVIS

Prologus . . . . . *Ib*

ART. I. *De sensibus externis.* — I. Criterii notio. — II. Criterium formaliter est quid distinctum tum a facultate cognoscitiva tum ab objecto ut cognito. — III. Sensus externi. — IV. Sensibile *proprium.* — V. Sensibile *commune.* — VI. Regula circa sensibile *commune.* — VII. Sensibile *per accidens.* — VIII. Doctrina S. Thomæ circa sensibile *per accidens.* — IX. Norma circa sensibile *per accidens.* — X. De perfecto sensuum externorum exercitio. — XI. Quæstio. — XII. Idealismus. — XIII. Sensus externi sunt veraces, hoc est criteria veritatis, in referenda realitate corporum extra nos existentium. — XIV. Corollarium. — XV. De modo quo veritas sensitivæ cognitioni conveniat. — XVI. Solvuntur idealistarum difficultates 214

ART. II. *De phantasia.* — I. Phantasiæ et phantasmatum notio. — II. Phantasia in nobis consociatur exercitio intelligentiæ. — III. Pericula intelligentiæ ex phantasia. — IV. Remedia contra pericula imaginationis . . 225

ART. III. *De conscientiæ testimonio.* — I. Conscientiæ notio. — II. Conscientia *intellectiva* et conscientia *sensitiva.* — III. Conscientiæ objectum. — IV. Quæstio. — V. Conscientia intra limites proprii objecti est criterium veritatis. — VI. Quo pacto conscientia attingat etiam *subjectum cogitans* vel *sentiens.* — VII. De conscientia directa et de conscientia reflexa. — VIII. De difficultatibus quæ moventur contra conscientiæ veracitatem. 227

ART. IV. *De intelligentia et ratione.* — I. Intelligentiæ et rationis notio. — II. Intelligentia non potest esse errori obnoxia in judiciis sibi propriis. — III. Solvuntur difficultates. — IV. Ratio humana in judiciis mediatis per ratiocinium inferendis *per se* non fallitur, at falli potest *per accidens.* — V. In demonstrationibus mens ex necessitate assentitur veritati conclusionis demonstratæ. — VI. In argumentatione probabili mens non ex necessitate oncclusioni assentitur. — VII. Solvuntur objectiones contra rationis humanæ veracitatem 231

CAPUT SECUNDUM

DE CRITERIIS OBJECTIVIS

Prologus 238

ART. I. *De evidentia.* — I. Evidentiæ notio communis. — II. De evidentia objectiva et subjectiva. — III. Evidentia immediata et mediata. — IV. De idea clara et distincta Cartesii. — V. Evidentia objectiva est firmissimum veritatis criterium. — VI. Objectio . . . . . *Ib.*

ART. II. *De primis principiis objectivis.* — I. Primorum principiorum natura. — II. Prænotamen primum ad solutionem primæ quæstionis. — III. Prænotamen alterum. — IV. Prænotamen tertium. — V. Prænotamen quartum — VI. Prænotamen quintum. — VII. Primum principium *a priori* in demonstrationibus directis seu ostensivis est : *Omne ens est sua propria natura.* — VIII. Objectiones. — IX. Primum principium *a priori* in demonstrationibus indirectis est illud contradictionis : *Impossibile est idem simul esse et non esse secundum idem.* — X. Abstractione facta a speciebus demonstrationum, primum principium est principium contradictionis. — XI. Prima principia demonstrationum sunt firmissima criteria veritatis. — XII. Kantii animadversio circa formulam qua enuntiatur principium contradictionis 242

ART. III. — *De doctrina Kantiana.* — I. Philosophia critica. — II. Idealismus Kantii cum antiquo comparatus. — III. Doctrina Kantii, seu idealismus criticus, admitti nullatenus potest. — IV. Doctrina SS. Augustini et Thomæ... 249

ART. IV. *De doctrina hegeliana.* — I. Heraclitus. — II. Critica. — III. Hegel. — IV. Critica. — V. Solvuntur difficultates. 256

CAPUT TERTIUM

DE CRITERIIS EXTRINSECIS

Prologus 266
ART. I. *De divino magisterio.* — I. Sensus quo hic sumitur divinum magisterium. — II. Magisterium et auctoritas. — III. Conditiones quibus auctoritas magisterii prædita esse debet ut *fide* dictis ejus adhæreamus. — IV. Auctoritas divina est firmissimum veritatis criterium. — V. Certitudo assensus fidei, quæ auctoritate divina tanquam criterio nititur, est certitudo metaphysica. — VI. Certitudo assensus fidei, quæ divina nititur auctoritate superat quamlibet aliam nostram certitudinem metaphysicam. — VII. Solvitur difficultas . . . . . *Ib.*
ART. II. *De sensu naturæ communi.* — I. Notio sensus communis naturæ. — II. Limites sensus communis. — III. Sensus communis revera talis et intra proprios limites est firmum criterium veritatis. — IV. De falsitatibus admixtis sensus communis judiciis. — V. Utrum sensus naturæ communis sit criterium metaphysicum vel morale... 270
ART. III. *De humano magisterio.* — I. Humani magisterii natura et elementa. — II. In rebus scientificis auctoritas humana, per se loquendo, est infirmissimum criterium veritatis. — III. Objectio solvitur. — IV. Natura humani magisterii in rebus scientificis. — V. Per accidens autem auctoritas sapientum est veritatis criterium. — VI. In re facti auctoritas humana generatim inspecta est criterium veritatis, seu certitudinis moralis. — VII. Testis humani scientia in concreto potissimum innotescit: 1° ex natura rei narratæ, 2° ex præcognita testis perspicacitate, 3° ex ejus experta prudentia. — VIII. Testis humani veracitas in concreto potissimum innotescit: 1° ex ejus vitæ probitate; 2° ex amore veritatis cui unice studet. 273
ART. IV. *De arte critica.* — I. Artis criticæ notio. — II. De auctoribus. — III. De authentia et incorruptione librorum. — IV. De hermeneutica 279

LIBER TERTIUS

DECRITERIORUM ET SCIENTIARUM COORDINATIONE

Prologus. 284

CAPUT PRIMUM

DE SUPREMO VERITATIS CRITERIO

Prologus. . . . . *Ib.*
ART. I. *Prænotamina quædam.* — I. Sensus quæstionis. — II. De existentia supremi criterii. — III. Conditio requisita ad supremum criterium . . . . . *Ib*

Art. II. *Systemata subjectiva quoad supremum criterium veritatis.* — I. Generalis partitio systematum subjectivorum quoad supremum veritatis criterium. — II. Sensismus antiquorum et positivismus recentiorum. — III. Sensus non possunt esse supremum criterium cognitionis humanæ. — IV. De conscientiæ testimonio. — V. Conscientia nequit assumi ut supremum veritatis criterium. — VI. Facultates cognoscitivæ. — VII. Fides cæca in veracitatem naturalem facultatum cognoscitivarum non potest esse principium totius nostræ certitudinis seu supremum veritatis criterium. — VIII. Instinctus naturæ rationalis. — IX. Instinctus cæcus nequit assumi ut supremum criterium certitudinis primorum principiorum. — X. Sentimentalismus. — XI. Affectiva animi nostri propensio nequit admitti ut supremum veritatis criterium 286

Art. III. *Systemata quæ supremum veritatis criterium in principio extrinseco reponunt.* — I. Generalis partitio systematum, quæ docent supremum veritatis criterium esse criterium extrinsecum. — II. Revelationistæ. — III. Divina revelatio non potest esse supremum criterium veritatis seu certitudinis naturalis. — IV. De certitudine doctrinæ Christianæ. — V. Systema La Mennesianum. — VI. Repugnat absolute auctoritatem seu consensum humani generis esse supremum criterium veritatis. — VII. Systema Venturæ. — VIII. Auctoritas nequit esse supremum criterium veritatis, seu certudinis mediatæ. — IX. Ratio erroris de La Mennais et patris Ventura . . . 295

Art. IV. *Designatur supremum veritatis criterium.* — I. Supremum veritatis criterium est quid objectivum. — II. Sententia cartesiana. — III. Critica sententiæ cartesianæ. — IV. Prima principia demonstrationum non sunt suprema criteria veritatis. — V. Evidentia objective spectata est supremum veritatis criterium. — VI. De criterio excogitato a Vico. — VII. Critica. — VIII. Sententia rosminiana. — IX. Critica sententiæ rosminianæ 303

CAPUT SECUNDUM

DE SCIENTIARUM COORDINATIONE

Prologus. 309

Art. I. *De specificatione et distinctione scientiarum.* — I. Scientia nostra dicit ordinem realem dependentiæ ad scibilia, et non vice versa. — II. Objectum materiale et objectum formale scientiæ. — III. De duplici formali objecto scientiæ. — IV. Unitas specifica scientiarum ex unitate utriusque objecti formalis resultat. — V. Diversitas specifica scientiarum a diversitate rationis formalis *sub qua* præcipue resultat. — VI. Non immerito docuerunt Scholastici divisionem scientiarum generatim desumendam esse ex diverso abstractionis gradu a materia. — VII. Præcedentium conclusionum plenior dilucidatio. . *Ib.*

ART. II. *De divisione et subordinatione scientiarum.* — I. Scientiæ, generice inspectæ, non incongrue dividuntur in quinque primarias, nempe Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam, et Moralem. — II. Notio subalternationis scientiarum. — III. Cardinalis Cajetani animadversiones quoad scientias subalternantes. — IV. Inter quinque supra enumeratas scientias nulla datur *proprie dicta* subalternatio. — V. De præeminentia Metaphysicæ, Logicæ et Moralis, ac præcipue Theologiæ Christianæ. . . 315

METHAPHYSICA GENERALIS

SEU ONTOLOGIA

Prologus. 321

LIBER PRIMUS

DE EXISTENTIA UNIVERSALIUM

Prologus 322

CAPUT UNICUM

DE EXISTENTIA UNIVERSALIUM

Prologus 323
ART. I. *Prænotiones quædam.* — I. Existentia universalium. — II. De primo modo quo potest considerari et de facto consideratur universale; seu de universali *ut existit in singulari.* — III. Secunda consideratio universalis, seu de universali *logico.* — IV. Tertia consideratio universalis, seu de universali *metaphysico.* — V. Quarta consideratio universalis seu de universali *quoad rem conceptam* et *quoad modum concipiendi.* — VI. Quinta consideratio universalis, seu de universali *concrete* et *abstracte* accepto. — VII. Quæstionis natura et gravitas. . . . *Ib.*
ART. II. *De nominalismo.* — I. Nominalismi notio. — II. Nonulla historice circa Nominales. — III. Nominalismus purus est prorsus absurdus 327
ART. III. *De conceptualismo.* — I. Conceptualismi notio. — II. De vera mente conceptualistarum. — III. Conceptualismus absolute spectatus rejici debet. — IV. Argumentis idealistarum satisfit 329
ART. IV. *De realismo platonico.* — I. Realismi platonici descriptio. — II. De vera mente Platonis quæstio historico-critica. — III. Refellitur realismus platonicus. — IV. Realismi platonici modificatio ontologistica. — V. Realismus ontologisticus admitti nullatenus potest. — VI. Solvuntur argumenta realismi ontologistici. 334

ART. V. *De duabus aliis formis realismi platonici.* — I. Realismus empiricus. — II. Refellitur realismus empiricus. — III. Realismus pantheisticus. — IV. Critica 341
ART. VI. *De realismo temperato.* — I. Realismi temperati natura. — II. Sententia S. Thomæ. — III. Realismus temperatus veram doctrinam circa existentiam universalium tuetur. — IV. Solvitur difficultas. — V. De modo loquendi recentiorum circa *absolutum*. 345

LIBER SECUNDUS

DE TRANSCENDENTIBUS

Prologus 349

CAPUT PRIMUM

DE ENTE

Prologus . . . . . *Ib.*

ART. I. *De entis natura.* — I. Entis notio. — II. De ente reali et ente rationis. — III. Distinctio rei ab ente. — IV. Distinctio rei ab ente antiquioribus philosophis notissima. — V. De conceptu formali et de conceptu objectivo entis. — VI. Entis seu rei dotes. — VII. De tertia acceptione entis. . . . . *Ib.*
ART. II. *De potentia et actu.* — I. Ratio articuli. — II. Notio potentiæ. — III. Potentiæ species. — IV. De potentia naturali et obedientiali. — V. Notio actus. — VI. Definitio *actus* ex Aristotele. — VII. Actuum species. — VIII. De aliis divisionibus *actus*. — IX. Potentiæ et actus relationes. — X. Axiomata scholastica. — XI. Actus et potentia essentialiter ad actum illum ordinata sunt in eodem genere supremo. 355
ART. III. *De potentia objectiva.* — I. Possibilitatis et impossibilitatis notio. — II. De possibili absoluto et de possibili relativo. — III. Corollaria. — IV. De distinctione inter possibile et nihilum. — V. Error circa notionem possibilis. — VI. Error circa impossibilia 363
ART. IV. *De essentiis rerum.* — I. Ratio et divisio articuli. — II. Essentiæ notio. — III. Vocabula quibus varie solet *essentia* designari. — IV. Essentiarum dotes. — V. Nominalium sententia circa nostras cognitiones essentiarum. VI. Prænotiones quædam ad quæstionis solutionem. — VII. Realitas essentiarum non est nobis omnino ignota. — VIII. Solvuntur objectiones 366
ART. V. *De essentiis rerum in ordine ad principia extrinseca.* — I. Quæstio prima. — II. Opinio wolfiana. — III. Refellitur sententia wolfiana. — IV. Quæstio altera. — V. Opinio Okami. — VI. Opinio Okami impugnatur. — VII. Opinio Cartesii. — VIII. Essentiæ rerum non pen-

dent a libera Dei voluntate. — IX. Essentiæ rerum formaliter pendent ab intellectu divino. — X. Essentiæ rerum remote seu mediate pendent a divina essentia 372
ART. VI. *De existentia.* — I. Notio existentiæ. — II. Existentia in Deo et in creaturis. — III Quæstio. — IV. Undenam pendeat quæstionis solutio. — V. In rebus creatis existentia realiter distinguitur ab earum essentia. — VI. Solvuntur difficultates. — VII. De sententia S. Thomæ circa realem distinctionem existentiæ ab essentia in rebus creatis. 377

CAPUT SECUNDUM

DE PROPRIETATIBUS ENTIS

Prologus. 387
ART. I. *De unitate.* — I. Unitatis notio. — II. De definitione unitatis. — III. Unitas transcendentalis et unitas numerica. — IV. De distinctione inter unitatem transcendentalem et unitatem numericam. — V. Unitas transcendentalis non distinguitur realiter ab entitate rei, distinguitur tamen ratione. — VI. De speciebus unitatis. — VII. De identitate. 388
ART. II. *De distinctione et multitudine.* — I. Distinctionis notio. — II. Distinctio realis et rationis. — III. Distinctio entitava, modalis et virtualis. — IV. Distinctio rationis raciocinatæ et rationis ratiocinantis. — V. Distinctio ex parte naturæ objecti cogniti. — VI. Distinctio scotistica. — VII. De multitudine. — VIII. Oppositio inter unum et multitudinem. — IX. De unitate et multitudine in eodem subjecto. — X. Omnis multitudo præsupponit unitatem et in unitate fundatur. — XI. De identitate indiscernibilium. 392
ART. III. *De veritate.* — I. Veritas, ut est objectum Metaphysicæ. — II. Veritas ontologica non differt realiter ab entitate rei, quæ dicitur vera. — III. Quæstio prima. — IV. Formalitas, per quam ens dicitur formaliter verum, est ordo seu relatio ipsius entis ad aliquid. — V. Quæstio altera. — VI. Veritas dicitur formaliter de ente per ordinem ad intellectum. — VII. Quæstio tertia. — VIII. Veritas dicitur per essentialem ordinem dependentiæ ad intellectum divinum. — IX. Veritas dicitur de rebus etiam per ordinem ad intellectum creatum; at non per ordinem essentialem et dependentiæ, sed accidentalem et efficientiæ. — X. Argumentatio S. Thomæ. — XI. Corollaria. — XII. De diversis acceptionibus veritatis. — XIII. Objectiones contra realem identitatem entis et veri. 397
ART. IV. *De falsitate.* — I. Falsitatis notio. — II. Corollaria. — III. Quæstio prima. — IV. Nulla res est formaliter falsa respectu divini intellectus. — V. De falsitate morali in ordine ad divinum intellectum. — VI. Quæstio altera. — VII. Nulla res est *per se* falsa respectu intellectus creati.

VIII. *Per accidens* autem aliqua res respectu intellectus humani potest esse falsa. — IX. Corollaria. 404

ART. V. *De bono.* — I. Bonitatis notio. — II. De appetibili formaliter, et appetibili fundamentaliter. — III. Quæstio. — IV. Bonum non realiter differt ad ente. — V. De ente simpliciter et de bono simpliciter. — VI. Bonum proprie dicitur de solis rebus existentibus. — VII. Quo pacto ratio boni extenditur ad non existentia. — VIII. Species boni 407

ART. VI. *De malo.* — I. Mali notio. — II. De duplici mali acceptione. — III. Malum physicum et malum morale. — IV. Quæstio prima. — V. Intrinsece repugnat existere summum malum, ut malum est. — VI. Effugium Manichæorum. — VII. Quæstio altera. — VIII. Malum non potest esse nisi a bono, non tamen *per se* sed *per accidens.* — IX. Qua ratione in rebus naturalibus bonum sit causa *per accidens mali* 410

ART. VII. *De pulchro.* — I. Pulchri notio ex effectu. — II. Tria requisita ad pulchritudinem. — III. Descriptio philosophica pulchri. — IV. Pulchrum sensibile et pulchrum spirituale. — V. Pulchrum morale. — VI. Pulchrum humanum. — VII. Corollaria. — VIII. Deforme . . . .

CAPUT TERTIUM

DE DIVERSA ENTIUM PERFECTIONE

Prologus 420

ART. I. *De perfectione generatim sumpta.* — I. Perfecti notio. — II. Perfectio prima, seu *ex esse;* perfectio secunda, seu *ex fine;* perfectio *accidentalis.* — III. Perfectum *relativum* et perfectum *absolutum.* — IV. Perfectiones *simpliciter simplices,* et perfectiones *secundum quid.* — V. Perfectio *formaliter,* vel *virtualiter* vel *eminenter* sumpta. 421

ART. II. *De ente necessario et contingente.* — I. Entis necessarii et entis contingentis notio. — II. Ens contingens, ut realiter existat, necessario postulat ut ab alio ad existentiam producatur. — III. Amplior declaratio et confirmatio præcedentis argumenti. — IV. Ens contingens non potest realiter existere nisi, sive immediate sive mediate, producatur ad existentiam ab ente necessario. — V. Corollaria 423

ART. III. *De ente simplici et composito.* — I. Compositi et simplicis notiones. — II. Axiomata. — III. Error circa composita non totaliter excludit rei compositæ cognitionem, excludit autem in simplicibus 426

ART. IV. *De ente infinito et finito.* — I. Finiti et infiniti notio generica. — II. Infinitum *privative* et infinitum *negative.* — III. Infinitum *relativum* et infinitum *absolutum.* — IV. Discrimen inter infinitum et indefinitum. — V. Discrimen inter infinitum negativum et ens in genere. — VI. De natura notionis quæ nobis inest de infinito. —

VII. Opinio cartesiana circa prioritatem in mente nostra notionis infiniti. — VIII. Quæstio. — IX. Notio infiniti haberi nequit per continuam additionem finiti ad finitum. — X. Notio infiniti haberi potest, per totalem subtractionem limitum a finito. — XI. Solvuntur difficultates. 427

ART. V. *De subjecto infinitatis.* — I. Quæstio prima. — II. Multitudo actu infinita intrinsece repugnat. — III. Solvuntur difficultates. — IV. Quæstio altera. — V. Repugnat magnitudo actu infinita. — VI. Solvuntur difficultates. — VII. Ens absolute infinitum non potest esse nisi ens simplicissimum 434

ART. VI. *De ente mutabili et immutabili.* — I. Mutationis notio. — II. Requisita ad mutationem. — III. Mutatio substantialis et mutatio accidentalis. — IV. Mutatio ab intrinseco et ab extrinseco. — V. Mutatio absoluta seu intrinseca, et mutatio relativa seu extrinseca. — VI. Axiomata. — VII. De ente immutabili. — VIII. De ente immutabili *secundum quid* et de ente immutabili *absolute.* — IX. S. Thomæ doctrina. 438

LIBER TERTIUS

DE SUPREMIS GENERIBUS ENTIUM

Prologus. 443

CAPUT PRIMUM

DE SUBSTANTIA

Prologus . . . . . *Ib.*

ART. I. *De notione substantiæ.* — I. Vulgaris notio substantiæ. — II. Philosophica notio substantiæ ex Augustino et Thoma. — III. Expenditur et declaratur supradicta notio substantiæ. — IV. Falsæ quædam substantiæ notiones. — V. Ratio essentialis substantiæ non consistit in ordine substandi accidentibus, sed in hoc quod per se existit et non in alio. — VI. Corollarium. 444

ART. II. *De divisionibus substantiæ.* — I. Sensus naturæ communis circa substantiarum diversitatem. — II. Substantia *prima* et substantia *secunda.* III. Substantiæ completæ et substantiæ incompletæ in ratione *specici.* — IV. Substantiæ completæ et substantiæ incompletæ in ratione *substantialitatis.* — V. Substantia simplex et substantia composita. — VI. Substantia *corporea, materialis* et *immaterialis* seu *spiritualis* 447

ART. III. *De realitate substantiarum.* — I. Lockii opinio. — II. Origo opinionis lockianæ. — III. Doctrina de substantiarum realitate ut certissima est omnino tenenda . . . 452

ART. IV. *De supposito et persona.* — I. Prologus. — II. Notio suppositi et personæ. — III. Solvitur objectio. — IV. Subsistentia et personalitas sunt quid vere positivum. —

V. Questio prima. — VI. Substantiæ *secundæ* non possunt esse personæ. — VII. Attamen ratio personalitatis non est in individuis substantiis ipsamet ratio earum singularitatis. — VIII. In rebus creatis persona distinguitur realiter a natura individua earum. — IX. De natura distinctionis inter personam et naturam in rebus creatis. — X. Quæstio altera. — XI. Intrinsece repugnat identitatem personæ constitui per memoriam et per conscientiam. — XII. De mente Lockii 454

CAPUT SECUNDUM

DE ACCIDENTIBUS GENERATIM

Prologus 461
ART. UNICUS. *De natura accidentium.* — I. Accidentis prædicamentalis natura. — II. Divisio accidentis in absolutum et modale. — III. Quæstio prima. — IV. Accidentia physica realiter distincta a substantia nullam involvunt repugnantiam. — V. Dantur realiter accidentia quæ a substantia in qua sunt realiter distinguuntur. — VI. De natura distinctionis realis inter accidentia et substantiam. — VII. Solvuntur difficultates. — VIII. Quæstio. — IX. Prænotamina ad quæstionis solutionem. — X. De essentia accidentis, ut accidens est, non est quod actu sit in connaturali subiecto, ut est subjectum. — XI. De accidentibus et speciebus . . . . . *Ib.*

CAPUT TERTIUM

DE QUALITATE

Prologus 469
ART. I. *De natura et speciebus qualitatis.* — I. Diversæ significationes quibus sumitur vocabulum *qualitas.* — II. Notio qualitatis. — III. Qualitatis proprietates. — IV. Qualitatis species . . . . . *Ib.*
ART. II. *De habitibus.* — I. Notio generica habitus. — II. Habitus definitio. — III. Corollaria. — IV. De ratione habitus est dicere aliquo modo ordinem ad operationem. — V. De modo quo habitus potest esse in corpore nostro, in sensibus, et in anima nostra. — VI. De habitibus intellectualibus. — VII. De coexistentia habitus fidei cum habitu scientiæ in eodem subjecto. — VIII. Solvitur difficultas. — IX. De causis habituum 471

CAPUT QUARTUM

DE QUANTITATE

Prologus 477
ART. I. *De quantitatis natura.* — I. Proprietates quæ *de facto*

insunt quantitati. — II. Quæstio. — III. Essentiale constitutivum quantitatis est extensio partium in ipsa substantia, non vero extensio partium in ordine ad locum. — IV. Objectio. — V. Quantitatis definitio 478

ART. II. *De reali distinctione quantitatis a substantia.* — I. Quæstio. — II. Sententiæ contrariæ. — III. Radix solutionis quæstionis. — IV. Essentia realis corporea, quatenus talis, non est extensa actu. — V. De natura distinctionis realis quantitatis a substantia. — VI. Corollarium. — VII. De reali distinctione quantitatis a substantia corporea in ordine ad Ecclesiæ Catholicæ doctrinam . . . 480

ART. III. *De spatio.* — I. Spatii notio vulgaris. — II. Locus, situs, spatium. — III. Spatium reale et spatium imaginarium. — IV. Conceptus spatii realis. — V. De repugnantia spatii realis infiniti 484

ART. IV. *De tempore.* — I. Temporis notio vulgatissima. — II. In notione temporis includitur essentialiter successio. — III. Ad rationem temporis requiritur etiam essentialiter *instans* præsens. — IV. Corollaria. — V. Aristotelica descriptio temporis 487

ART. V. *De æternitate.* — I. A notione temporis assurgimus ad notionem æternitatis. — II. Æternitas absoluta est essentialiter sine principio, sine fine, sine successione. — III. Corollaria. — IV. De duplici æternitate. — V. Definitio æternitatis a Boëtio tradita. — VI. Clarkii in Scholasticos falsa critica. — VII. Erronea Antonii Genuensis sententia circa naturam æternitatis. — VIII. De ævo. . 489

CAPUT QUINTUM

DE RELATIONE

Prologus 493

ART. I. *De natura et speciebus relationis.* — I. Relationis notio. — II. Relatio realis et logica. — III. Relatio creata et relatio increata. — IV. Relatio transcendentalis et relatio prædicamentalis. — V. Conditiones ad relationem prædicamentalem requisitæ. — VI. Subjecti, termini et fundamenti definitiones. — VII. Relatio *mutua et non mutua.* — VIII. Relatio æquiparantiæ et disquiparantiæ. *Ib.*

ART. II. *De realitate relationum.* — I. Quæstio. — II. Sententiæ contrariæ. — III. Dantur in rebus creatis relationes reales. — IV. Solvitur difficultas. — V. Adversariorum sophisma 497

ART. III. *De proprietatibus relationum.* — I. Prima relationum proprietas. — II. Secunda relationum proprietas. — III. Tertia relationum proprietas. — IV. Quarta relitionum proprietas. — V. Quinta relationum proprietas. — VI. De tribus ultimis relationum proprietatibus. . . 499

LIBER QUARTUS

DE CAUSIS

Prologus 501

CAPUT PRIMUM

DE CAUSA IN GENERE

Prologus 502
ART. I. *De natura causæ.* — I. Notio causæ in genere. — II. Conditiones requisitæ ad rationem causæ. — III. Objectio. — IV. Notio sensistica causæ. — V. Principii et pinrcipiati notio. — VI. Corollaria. — VII. Ad rationem principii, ut principium est, non requiritur quod præcedat principatum prioritate naturæ, sed sufficit origo unius ab alio. — VIII. De prioritate originis . . . . . *Ib.*
ART. II. *De relatione inter effectum et causam.* — I. Argumentum articuli. — II. Opinio Beguelini. — III. Principium causalitatis est axioma certissimum et evidentissimum. — IV. Argumenta Beguelini. — V. De principio rationis sufficientis. — VI. Critica opinionis leibnitzianæ. 506
ART. III. *De causæ divisionibus.* — I. Species causarum quatuor. — II. Præfata divisio est adæquata. — III. Objectio solvitur. 510

CAPUT SECUNDUM

DE CAUSA EFFICIENTE

Prologus. 512
ART. I. *De natura causæ efficientis.* — I. Notio vulgaris causæ efficientis. — II. Causæ efficientis definitio philosophica. — III. Ratio assignandi divisiones causæ efficientis. — IV. Causa efficiens *per se* et causa efficiens *per accidens.* — V. Causa efficiens principalis et causa efficiens instrumentalis. — VI. Fusior explicaio causæ instrumentalis ex S. Thoma. — VII. Causa principalis prima et secunda. — VIII. Causa efficiens proxima et remota. — IX. Causa efficiens totalis et partialis. — X. Causa *ut quæ* et causa *ut qua.* — XI. Causa efficiens universalis et particularis. — XII. Causa univoca et causa æquivoca. — XIII. Causa libera et causa necessaria. — XIV. Causa physica et causa moralis. — XV. Causa perficiens, præparans, adjuvans, consilians. — XVI. Quæstio. — XVII. Ex quocumque effectu cognito potest manifeste demonstrari *existentia* causæ. — XVIII. Ex quocumque effectu cognito potest aliqua saltem ratione cognosci *natura* causæ . . . . . *Ib.*
ART. II. *De subjecto causalitatis.* — I. Occasionalismus. — II. Occasionalismi species. — III. Entia contingentia revera agunt efficienter. — IV. Substantiæ spirituales vere sunt causæ efficientes. — V. Etiam corpora sunt revera in proprio ordine veræ causæ efficientes. — VI. Solvuntur objectiones 519
ART. III. *De principio immediato actionis.* — I. Quæstio. — II. Actio rerum creatarum realiter distinguitur a substan-

tiali earum essentia. — III. Virtus agendi quæ inest substantialibus essentiis rerum creatarum est realiter distincta ab ipsis substantialibus essentiis. — IV. Solvuntur objectiones. — V. Utrum causa efficiens non existens possit operari. — VI. Utrum causa efficiens non præsens possit causare. — VII. Utrum idem effectus produci possit a duabus causis efficientibus 525

CAPUT TERTIUM

DE CAUSIS FORMALI ET MATERIALI

Prologus. 529
ART. I. *De natura causæ formalis.* — I. Notio causæ formalis. — II. Ratio causalitatis causæ formalis. — III. Forma substantialis et forma accidentalis. — IV. Existentia realis formarum substantialium ontologice saltem est admittenda . . . . . *Ib.*
ART. II. — *De causa exemplari.* — I. Ratio articuli. — II. Duplex idearum acceptio. — III. Asseritur necessitas idearum. — IV. Causa idealis seu idea, quamvis proprie sit in agentibus intellectualibus, locum tamen aliqua ratione habet etiam in rebus naturalibus. — V. Ratio causalitatis in ideis 531
ART. III. *De causa materiali.* — I. Notio generica causæ materialis. — II. De ordine inter materiam et formam. — III. De duplici materiali causa. 533

CAPUT QUARTUM

DE CAUSA FINALI

Prologus. 534
ART. I. *De natura causæ finalis.* — I. Finis notio. — II. Finis in intentione et finis in executione. — III. Finis *cujus* et finis *cui*. — IV. Finis ultimus et finis intermedius. — V. Finis principalis et finis secundarius. — VI. Finis operis et finis operantis. — VII. Finis objectivus et finis formalis. — VIII. Finis naturalis et finis supernaturalis. — IX. Finis in ordine intentionis est vere et proprie causa. — X. Imo finis, qua ratione causa est, præstantior est ceteris causarum speciebus. — XI. De ratione causalitatis finis *in actu primo*. — XII. De finis causalitate in actu secundo 534
ART. II. *De universalitate causæ finalis.* — I. Quæstio prima. — II. Omne agens agit propter aliquem finem. — III. Imo omne agens agit propter aliquem ultimum finem. — IV. Quæstio altera. — V. Prænotamen ad quæstionis solutionem. — VI. Ex fine, rebus præstituto et indubie cognito, solidum argumentum desumi potest ad earum rerum naturam determinandam 539

ART. III. *De fortuna et casu.* — I. Casus et fortunæ notio. — II. Quæstio — III. Casus admittendus est respectu causarum secundarum, sed respectu Causæ primæ est impossibilis 542
ART. IV. *De fato.* — I. Fati notio. — II. Fatum, sumptum pro ineluctabili necessitate omnium causarum, dari omnino repugnat. — III. Fatum, sumptum pro divina ordinatione causarum secundarum est revera admittendum non quidem in Deo sed in ipsis causis secundis 544

FINIS INDICIS

IMPRIMÉ PAR DESCLÉE, DE BOUWER ET Cie,

41, RUE DU METZ, LILLE. — 4.468

501

100
Z 3

Zigliara, F. Thoma M.
AUTHOR

Summa Philosophica V I
TITLE

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709